

~~[illegible]~~
~~[illegible]~~
~~1734.~~

harmadik példány
Szt. Antal Collegium számása

INSTITUTIONES CHRISTIANÆ
DE
SACROSANCTA ET INDIVIDUA
TRINITATE
AC
DE VERBO INCARNATO
Adversùs hostes utriusque Divinissimi Mysterii
Veteres, & Recentiores.
Nuper concinnatæ
AR. P. GABRIELE KAPI è S. J.
Nunc verò
HONORIBUS
Illustrissimi, Spectabilis, ac Magnifici
Domini Domini
FRANCISCI è Comitibus KALNOKY
De Kôrôs-Patak &c.
Dum
In Alma, ac Regio-Principali Soc. JESU
Academia Claudiopolitana
PROMOTORE
R. P. ANDREA GALL è Societate JESU,
AA. LL. & Philos. Doct. ejusdémq; Profess. ordinario.
Primâ AA. LL. & Philosophiæ laureâ insigniretur,
A Neo-Baccalaureis Condiscipulis
DICATÆ.
Annô M. DCC. XXXIV. Mense Majo, die

CLAUDIOPOLI, Typis Academicis Soc. JESU.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU

ILLUSTRISSIME, SPECTABILIS, AC MAGNIFICE DOMINE COMES NEO-BACCALAUREE.

NOn *tam veriùs, quàm ſapientiùs olim* Lycurgus *ad Lacedæmonios*: Nihil, *inquiebat*, noſtra nobis Nobilitas, nihil ductũ ab Hercule genus profuerit, niſi curemus, ut eorum, per quæ ille mortalium omnium clariſſimus extitit, ſimilia; ut digna Hercule facinora perpetremus. *In arduo quippe poſita Majorum Gloria aditus habet perquam difficiles, ac impeditos; nunquam ut illâ potiatur degenerum ignavia Poſterorum. Sunt in medio hos inter, & illam ſita quàm plu-*

plurima, ut Homerus *ait*: Montes umbrosi, fretáq; horrisono clamosa fragore, *quæ pervadat, oportet, quisquis ad illam aspirat. Lumen ij quidem immensum, at procul accenderunt; ut in ejus communionem venire non possint, quot quot vel præ imbecillitate non ferunt vim illius: vel præ inertia altiùs haud subvolant, ut illud è vicino prospectent. Non inclarescant, inquam, Paternarum, aut Avitarum splendore virtutum Minores; nisi harum imitatione ad Heroum illorum similitudinem quàm proximè accesserint, Hæredes non ingentium tantùm* Nominum, *ac latifundiorum, sed indolis egregiæ, & verè nobilis, sed ingenii, & industriæ, sed earum omnium laudum, quibus illi in celebritatem Orbis efloruerunt.*

Insistendum igitur iter, quo illi ad Gloriam *grassati fuêre: premenda Heroa vestigia: illúdque* Lycurgæum *oraculi loco habendum:* Exiguam esse, aut nullam illustrium Natalium laudem, nisi moribus illis respondeamus. *Imò pro convitio futurum* MAGNIFICI Nomen, *nisi operam damus, ut virtute à nobis æquatum, sustineatur cum dignitate.*

Et verò valuerat etiam apud inclytam Civitatem Sapientissimi sententia Legislatoris. Juventus Spartana severissimâ Parentum disciplinâ, & consvetudine rerum toleratu perdifficilium adeò in sensum omnem doloris occallescebat: excelsos adeò, atque heroos gerebat spiritus, nihil ut esset tam arduum, nihil tam formidolosum, quod perhorresceret, quod honestæ laudis cudiditate non pertoleraret: Ut etiam Paræmiæ locum faceret Spartana Generositas, *quâ ne Civitatem quidem suam murô sepiendam putârunt, jactantes rarô fortitudi-*

titudinis exemplô : Spartæ Cives pro muris eſſe.

Verùmenimverò quorſum hæc à nobis tam prolixè commemorata? quid ſibi longum adeò proœmium voluit? an excitatum ab inferis Lycurgum, *neſcio quem?* Tui *ad verum decus cohortandi causâ ore noſtro locutum putas*, Illuſtriſſime Domine Neo-Baccalauree Comes? *aut nos, quaſi* Te *præceptis Vitæ cum laude degendæ implere voluerimus*, *Principem illum* Polyticorum *volentes, ac libentes induiſſe? abſit; non ita nobis adhuc aut mens exerravit, aut frons, & os obduruit, ut quod à* Te *fieri in dies læti omnes intuemur: quódque ipſi à* Te *doceri poteramus, ejus* Te *palàm admonendum putaremus. Quid igitur?* Animum *verè* Nobilem, *ac* Generoſum *ductis veluti ſummis lineis adumbratum dedimus: cujus* Tu *Imaginem veriſſimis expreſſam coloribus, ſuíſque omnibus abſolutam numeris in* Temet *exhibes, ſpectandámque non ſine voluptate oculis ſubjicis, quot quot livor, ac mala mens non infecit: ad quam noſtros ipſi nævos velut ad ſpeculum caſtigemus: fingamus mores, & expoliamus: vitam denique omnem velut ad amuſſim, aut libellam exigamus.*

Non igitur indiges id indolis, ætatis, ac ingenii Comes, *quem natura ipſa finxit ad laudem omnem, decus, & gloriam: quem tam egregia & oris dignitas, & totius conformatio corporis, quæ plerumque futuræ probitatis indicium eſt: quem denique perſpecta nobis jam pridem animi celſitudo ad ſumma quæque magnis itineribus ducunt-* Non *indiges, inquam, officii monitore, morúmque informatore* Lycurgô.

curgô. *Et certè ſi eodem jam inde à puero indiguiſſes, in ſpes adeo lætas excreviſſe* Te *non celeberrima hæc* Academia, *non* Illuſtriſſima Tua Familia, *non Patria univerſa hodie gratularetur.*

Enim verò annos vix quatuor natus, orbaris Parente Virô clariſſimô, qui ſine dubio, ſi honoribus, qui eum majores, atque majores in dies in Republica manebant, immaturô fatô præreptus non fuiſſet, Lycurgum Tibi, *& aliquid ampliùs* Lycurgô *poterat repræſentare, florentémque hanc* Tuam *ætatem non tam præceptis, quàm exemplis pulcherrimarum, quibus enituit, virtutum fingere. Neque tamen orbatum illo* Te *ſentiebas, quamdiu curæ, fideíque commiſſum* Illuſtriſſimi Domini Comitis Joannis Halleri, *Viri ſpectatâ prudentiâ, & integritate, quémque hìc honoris causâ nominamus, in ejus aula, velut in ſchola virtutum verſari contingebat. At verò tribus non ampliùs annis ibidem exactis, ſeptennis Puſio* Maternam *ſub curam redis, ac poteſtatem, ex ea quoque non multo pòſt tempore emancipandus. Accreverat interim ætas doctrinæ jam patiens, nec à cultura abhorrens, ſeu Pietatis, ſeu literarum ſtudium illam exerceret. Et intererat permagni ad futuri temporis commendationem, quamnam mollis hæc cera imaginem acciperet. Bonum factum* lectiſſimæ Fœminæ! *& quod nullis unquam ſatis dignis laudibus æquari queat! Non ſinit otiô torpeſcere ingenium* Filii *ad maxima natum. Etſi in oculis ferret: etſi præſentem ſibi aſſiduè cuperet; officium tamen ſapientis facit* Parentis: *procúlque ab ſe literarum tum* Teutonicarum,

tum eti-

tum etiam Latinarum *ergô volentem amandat. Jámque progreſſiones in utriſque feceras majores, quàm pro temporis anguſtiis; cùm incertum fortunâ* Tuâ, *an infortuniô?* Illa Virum, *quicum recens in manus convenerat, in* Valachiam *uſque ſecuta,* Te Tibi *reliquiſſe videri poterat. Non* Te *tamen ſubducis imperio vel peregrè proficiſcentis: proſequeris in exteras oras primùm animô, mox etiam corpore. Illic otium duorum annorum, ſtudiô lingvarum* Græcæ, *&* Italicæ, Turcicæ, *ac* Valachicæ *feliciter adeò redimis, ut eas magnô teneræ illius ætatis ornamentô percalleres. Sednimirum* Latinam *adhuc ignorabas: eum igitur ab invita* Matre *favorem eblandiris: liceret* Tibi *in* Patriam *reduci, in latinas literas de integro incumbere. Voti damnatus, plenámque jam adeptus libertatem, quis dicendo conſequatur? quanto ardore repetis intermiſſum Latinitatis Tyrocinium,* Coronæ *primùm, mox* Claudiopoli, *ſumma ubique tum excellentis ingenii, tum raræ induſtriæ commendatione. Et tamen ſilentiô præterimus, quot interim conflictari cum difficultatibus neceſſe habebas: dum curis non minùs œconomicis, quàm ſcholaſticis diſtrahereris: dum* Te, *dum cogitationes* Tuas *huc, atque illuc ex æquo divideres. Vicit tamen omnia ſciendi ardor incredibilis: vicit excelſitas* Animi, *atque* Generoſitas, *plus quàm* Spartana. *Eluctatus tandem Elementorum aſpera, Muſis amœnioribus, itémque Facultati dicendi operam ſubinde non minori cum laude navas; donec tandem uno abhinc anno* Ariſtotelem *audire feliciter exorſus, hodiéque literario hoc in pulvere nemini noſtrûm ſecundus verſaris.*

Ea eſt

Ea eſt ſeveriorum horum ſtudiorum natura, ut pumilos animos vel aſpectu ſui terreant, abjectáque turpiter haſtâ pedem referre compellant. Nimirum ardua ſunt, quæ pulchra, ùt ajebat olim Solon, Pittaci *molliciem taxans, qui forſan impatientiâ laborum, imperiô ſemet abdicaverat.* Et non cujusvis eſt appellere Corynthum, *ut vetuſtum juxta, atque venuſtum habet adagium, Verbô: acris ingenii, judicii ſolidi, mentis amplæ res eſt* Philoſophia, *quam muliebris alicujus, ac tenuis cerebelli anguſtiæ, lentor, ac flaccidita ſ haud unquam capiant. Quid quod multos ab hoc ſtadio revocat eorum etiam multitudo, qui fœdè deſertis Muſarum caſtris, ignavo in otio emarcuerunt, nullo vel ſuo, vel Familiæ, vel Reipublicæ emolumentô: qui cùm ſeu hebetudine, ſeu pravitate ingenii ſcholis valere juſſis, liberis potius, quàm libris operam dare maluerunt; ignominiam vitæ ſociorum numerô conſolari quærunt, quo privatum dedecus ſub communi plurium deliteſcat. Ad* Te *quoque pertinuiſſe exempli hujus perniciem Ipſe non ſemel ingenuè faſſus es,* Illuſtriſſime Dñe Comes, *dictitans: eo* Te *non niſi conſiliô, animum ad graviora hæc ſtudia appuliſſe, ut vix ſuperatis* Logicæ *ſpinis, multam continuò ſalutem* Almæ Philoſophiæ *diceres: ſuam ſibi* Phyſicam, *ſibi* Metaphyſicam *ſuam,* Ariſtotelem *habere juberes. Sed nempe enituit brevi & ingenii* Tui *acies,* Philoſophicis *par ſubtilitatibus, & vis* animi *ſingularis, atque altitudo ſupra inertium gregem ſeſe attollentis, & omnia infra gloriam ducentis. Tantum abeſt, ut vel obſtacula in itinere ad* Sapientiam *paſſim obvia, vel ignavorum exempla* Te *ab inſtituto ſtudiorum curſu remorarentur;*

rentur; ut animos addidiſſe, amorêque rei in humanis pulcherrimæ pectus incendiſſe viderentur. Excipis Philoſophicas Lectiones *conſtanti adeò, diligentíque calamô, ut in exemplum ire poſſis, non æqualibus tantùm, id eſt: claro genere ortis, quíque ſubſidiô* Philoſophiæ *ad ſuarum incrementa fortunarum opus haud habent; verùm etiam locô humillimô natis, & qui ſibi à ſtudio* Philoſophiæ *ſplendorẽ debeant mutuari.*

Quid jam attinet felicíſſimos eruditorum laborum ſucceſſus meminiſſe? altera vice in arenam deſcendiſti: primùm Proœmiales, *tum ex univerſa ratiocinandi ſcientia* Poſitiones *tuitus. Quantam utrobiq;* Tibi *laudem collegeris, nôrunt ij, qui præſentes glorioſiſſimis certaminibus interfuerunt: qui* Te, *qui ingenium* Tuum *alterius etiam cujusvis* Academiæ *luce dignum propiùs cognoverunt.*

Talem igitur Te *præbes, ut* Te majores Tui, *Genus ex eorum ſtirpe ducere meritò gratulentur, ſi reviviſcant: dum totus es in colligendis iis ingenii viribus, quæ ſufficiant in facinora eorũ non abſimilia, per quæ illi iĩmortalitatẽ Nominis ſunt conſecuti. Quod cùm ſingulare ſit ad laudem ſi vel hortatu alienô, ſi vel imperiô inductus faceres; quanti modò faciendum eſt, quibúsque ornandum encomiis, dum* Tui *planè juris, dum in ſumma vitæ licentia, nullô aurem vellente* Lycurgô, *nullis* Parentum *urgentibus imperiis, nihilominus faciendum* Tibi *ſapienter exiſtimas?*

Itaque colimus quidem Te, *& obſervamus ùt pervetuſtæ, Nobiliſſimæque inter* Tranſylvanicas *ſtirpis florentem ſurculum: ùt* Magni *illius* Samuelis Kálnoky (*cui dexteritas rerum tractandarum, & inſignes aliæ corporis, animíque dotes viam ad*

ampliſſi-

ampliſſimum Cancellarii Tranſylvaniæ *Officium muniverunt: aperuit favor* Auguſti LEOPOLDI *cognomentô* Magni) *colimus, inquam,* Te *ùt tanti* Viri Nepotem *inclytum; ſed multò tamen* Te *colimus impenſiùs, quòd in eam* Te *viam dediſſe, imò magnam ejus partem jam confeciſſe videaris, à qua ſi ætas adultior non deflectat, non ille navatâ difficillimis temporibus ſaluberrimâ* Reipublicæ *operâ: non geſtô, ſumma cum laude, quem modò dicebamus, ampliſſimô* Magiſtratu: *non illuſtratâ editis Annalibus* Ungariâ: *non denique præclariſſimis aliis, atque immortalibus in* Rempublicam *meritis; quàm* Te Nepote *tali, ac tantô, clarior apud Poſteros ſit futurus.*

Habes Illuſtriſſime Dñe Comes, *cur levidenſi hoc munere, teſte tamen animi obſervantiſſimi in* Te *noſtri, honorare* Te *voluerimus. Indignata mehercule fuiſſet Poſteritas omnis, animíque longè ingratiſſimi vitium nobis æternùm opprobratura, ſi* Te, *qui tanto nobis, tanto* Academiæ *huic* Regio-Principali *fueris ornamento, pro meritis colere neſciſſe convicti fuiſſemus.*

Nunc, cur volumen iſtud, munus literarium, Tibi *offerendum, eóque ad Poſteros* Nomen Tuum *propagandum cenſuerimus, paucis accipe:* Corporis, *ùt ſcholæ loquuntur,* Naturalis *principiis, affectionibúſque cognoſcendis operam* Te *nobiscum dare non neſciebamus; ejus, inquam,* Corporis, *cujus velut integumentô,* Divinitatem *ſuam trium ſupra tricenos annorum Curriculô, occulere* Verbum Æternum, *amore generis noſtri* Caro factum, *non dubitavit.*

Non defuerunt homines projectæ audaciæ, ac impietatis, quorum agmen Arrius, DEI *illud, atque hominum odium, ducebat,*

cebat, qui, quòd Servator *hominum*, in similitudinem factus hominum, & habitu inventus ùt homo *fuisset*; *eidem* Divinitatem *suam*, *sacrilegô ausu*, *ereptum irent*. *Et reperit pestilens dogma suos fautores*, *nefarius ingenii humani abortus suas matres*, *quarum sinu exciperetur*. *Amplexi sunt* Majorũ nostrorum *memoriâ complures etiam* Transylvanici *Generis non jam novitiam*, *sed redivivam ab inferis opinionem*, *parùm secundâ nominis nostri famâ*, *quasi spiritus avernalis omnium Hæresum colluviem in* Transylvaniam *nostram corrivâsset*. *Et præstò quidem fuêre vel ex Popularibus nostris*, *vel ex vicina* Ungaria, *qui serpenti malo se velut aggeres opponerent*: *qui lucubrationibus eruditissimis inficetum*, *ac injurium* DEI Filio *cõmentum confutarent*: *docerentque clarissimis scripturæ*, *ac Patrum testimoniis*: *Eundem sartâ tectâ*, *si ita loqui fas est*, *id est*: *integrâ* Divinitate, *Corpus mortale induere potuisse*, *atque etiam reipsa induisse*: *idque factum non fraudi illi esse debere*, *quod vellent temerarii* Divinitatis *ejus hostes*; *sed honori æterno*, *ac venerationi*.

In eorum tamen numero, *qui id prolixiori disputatione recens præstiterunt*, *facilè principem tenet locum* Adm. R. P. Gabriel Kapi, *qui justô volumine materiam hanc persecutus*, *veluti miles veteranus*, *adversùs* inimicos Crucis, *atque* Divinitatis Christi, *emeritis stipendiis rude donatus in cœlis*, *ùt confidimus*, *conquiescit*. *Illustri* Kapiorum *prosapiâ in* Ungaria *natus*, *adlectúsque in* Societatem JESU, *per complures honorum religiosorum gradus ivit*, *omnibus quidem se dignum præbuit*. *Eruditioni par*, *atque ingenio virtus illi fuit*: *ut*

meritò

meritò dubitares: Theologus *præstantior*, *an* Vir *melior esset? Elatus haud multis abhinc annis* Tyrnaviæ, *publicô Bonorum omnium luctu; cujus tamen memoriam hac in Urbe, imò Provincia, de qua præclarissimè vivus meruit, imò etiam mortuus, posthumô hôc insigni opere mereri pergit, magnum diu labascentis isthic injuriâ temporum* Ecclesiæ DEI *columen, perennare in animis nostris omnino æquum est.*

Physices *igitur* Auditori *Volumen istud de* Filio DEI, *humanum* Corpus *induto, offerre minimè duximus indecorum. Ei præsertim* Physices Auditori, *qui naturæ arcana sic rimatur, in cognitionem ut possit venire* Authoris naturæ: *quique ejusdem cogniti religiosissimo cultu nemini concedere, præcipuam putat aut partem, aut fructum* Philosophiæ, *juxta illud* Eccli. 2. 16. & 20. Initium, & plenitudo Sapientiæ est timor Domini. *Vive itaque magnum* Lycæi *hujus, magnum inclytæ* Gentis Kalnokiæ, Patriæque *decus, & quàm diutissimè vale.*

Ita vovent

Honoris Tui

Studiosissimi

Condiscipuli Physici.



DUODECIM INSTITUTIONES CHRISTIANÆ DE SACROSANCTA ET INDIVIDUA TRINITATE, Ac de Chriſto Domino, DEO vero Incarnato.

Adverſus Hoſtes utriuſque Diviniſſimi Myſterij, Veteres & Recentiores.

PROOEMIUM.

SAtisfeciſſe videmur Lutheranis & Calvinianis, poſcentibus nos rationem de illa, quæ in nobis eſt fide; neque iis, quæ ſunt hactenus dicta, ſupperaddendum quidquam, ad illos confutandos hoc in loco judicamus: præſertim, quòd de nonnullis erit ſua præterea propriis in locis, DEO favente, vitáque ſuppeditante, facienda mentio. At ſupereſt quæſtio, in Religione Chriſtiana omnium omnino princeps graviſſimáque; de DEO Trino & Uno, ac de Chriſto Incarnato: nm eam inexaminatam, num hoſtes myſteriorum, inter divina omnia diviniſſimorum, prorſus inauditos diſſimulare poterimus? Id quidem, non nego, ſuaderet, tum argumenti ſublimitas, credendi & adorandi magis, quàm mul-

multùm ſcrutandi; tum paucitas adverſariorum hoc tempore tanta, ut anguſtos Tranſylvaniæ fines vix illi excedere videantur: nihilominùs quia debitores ſumus & iſtis, vicinis non uno titulo noſtris adjuvandis; & quia Majeſtas ipſa pulchritudóque immenſa Myſterij nos ad ſui contemplationem impellit vehementer; prætermittere illius pro viribus exiguis tractationem minimè poſſumus. Quòd ſi cæteris in rebus tantò minoribus, pulchrum eſt, ac neceſſarium homini Chriſtiano, eruditione, ingenióque valenti, ſcire penitùs cur, & quid credat; quantò id potiori exigetur jure in hoc argumento, cujus notitia cùm præ aliis cunctis longè pulcherrima, tum verò ad fidem ac religionem Chriſtianam, ad literas divinas intelligendas, ad amorem erga DEUM, Chriſtúmque JESUM in corde noſtro ſolidiùs inflammandum, eſt ſummopere neceſſaria? Equidem ut de me confitear, duabus potiſſimùm ad hæc ſcribenda fodicabar jam pridem acriter ex cauſis: prima eſt, quòd Majores Matris meæ fuerint ante annos centum in hac hæreſi deteſtanda, primis in Tranſylvania, quàm poſtremis furore ſuo propiores: quanto igitur adſtringor opere, profeſſus à Nativitate Nomen Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, ineffabilibus excultus Chriſti & Eccleſiæ ejus beneficiis, ut Conditori, Redemptori, Sanctificatori meo benedicam? ut ora maledicentium obſtruere, quoad poſſim ſatagam? ut Avorum culpam expiare, miſerísque compluribus, earundem blaſphemiarum inter procellas periclitantibus, ſubvenire contendam? Altera cauſa eſt, quòd cùm ſub initium hujus ſæculi, ex præſidum meorum voluntate miſſus in Tranſylvaniam, frequentibus cum novis hiſce Arianis in congreſſibus, audirem paſſim jactitari ab ipſis; haud poſſe Divinam Trinitatem ſcripturarum teſtimonio, extra quas nihil crederent, ſatis doceri: cúmque viderem à Lutheranis, & Calvinianis, detrimentum ea de re diſputantes nullum eos accipere; zelo fidei Sanctæ ſtimulatus, cœpi me totum

totum in myſterium altiſſimum, literásque Divinas ſcrutandas, in Patrum cum Arianis veteribus dimicantium, in Theologorum ævi noſtri, qui recentiores hos Antitrinitarios egregiè profligârunt, libros volvendos abdere: cœpi mox quæſtionum, quas reliqui ſectariorum movent, ratione ipsâ naturali ſatis demonſtratarum, quaſi leviorum tædio non parvo affici; guſtum religionis Chriſtianæ, ac ſacrarum Literarum cœpi ſingularem experiri; denique opus, ad quod nunc aggredior, in otio ab armis undique ſtrepentibus inducto meditari; atque adeò fundamenta etiam ei non parva jacere. Cujus progreſſum etſi poſtmodum aliæ atque aliæ occupationes graves, uſque ad hoc tempus remoratæ ſint; conſolationes tamen ſcripturarum & illuſtrationes, quas imprimere menti meæ dignabatur in eo ſtudio, Lux illa vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſic adhæſerunt pectori; ut per hos annos viginti & ampliùs, illæ me ſuſtentâſſe, illæ ad id ſi quid boni dixi, egi, ſcripſi promoviſſe, confortâſſe in rebus adverſis, fructu ac voluptate ſpirituali animâſſe, mihi videantur. Itaque nefas futurum exiſtimavi committere; ut non expromam, quæ diu multúmque cogitavi, nec inter parietes tantùm ſcholaſticos, ſed quod maximi eſt, ad cauſam ſtylúmque premendum momenti, in foro etiam contradictionis, non nihil tractavi. Tu ô Pater! ô Fili! ô Spiritus Sancte! Tu ô Salvator mundi! qui tres has in uno DEO Perſonas nobis revelâſti, Tu qui ex ore infantium & lactentium perficis laudem, rege ſpiritu oris tui calamũ meũ rudem, puſillum, enervem, Majeſtate tuâ Divinâ indigniſſimum.

2. Cognitio primorum horum Chriſtianæ Religionis fundamentorum, & quidem eâ methodo, quâ per Filium ſuum à Patre fuit expoſita; quâ illam per miniſtros ſuos convellere nitebatur ſatanas, quâ ſe iis feliciſſimè oppoſuerunt Patres Sancti; eſt tam neceſſaria Chriſtiano cuilibet peritiori; ut abſque illa ſcripturarum corpus fideíque doctrinam,

ut par eſt intelligere, quemadmodum poſſimus, planè non videam. Primorum ſex aut ſeptem ſeculorum Hæreſes, hoc uno ferè nomine bellum faciebant Eccleſiæ. Ipſis Apoſtolorum temporibus Ebion & Cherintus, Chriſtum purum hominem eſſe; nec ante Virginem Mariam extitiſſe contendebat: Baſilides contrà, cum altera turma Satanæ veram Chriſti carnem & humanitatem negabat; fingebátque apparentem duntaxat & phantaſticam, ut omnia Chriſti geſta fuiſſe. Sanctus Joannes illos Evangelio ſuo; iſtos Epiſtolis confutavit. Quæ duæ inferorum claſſes, Antitrinitariorum & Chriſtomachorum omnium conſequentium, jam humanitati, jam Divinitati veræ Domini oblatrantium, gubernâſſe Spiritum videntur. Seculo mox tertio Sabellius unam tantum in DEO Perſonam ponebat; Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, non Perſonas, ſed nomina tria eſſe unius Perſonæ aſſerens. Paulus Epiſcopus Samoſatenus de Chriſto cum Ebione ſentiebat. Seculo quarto Arius Filium DEI eſſe creaturam, neque coæternum & conſubſtantialem Patri docebat. Photinus Syrmienſis Epiſcopus Chriſti pariter veram Divinitatem, ac Divinam repudiabat Trinitatem. Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Spiritum præcipuè Sanctum impetendum ſibi ſumpſerat cum Diſcipulo ſuo Eunomio: à Filio eum, ſe minorem creatum eſſe blaſphemans. Seculo quinto Neſtorius duas in Chriſto, ut naturas, ita & Perſonas diſtinctas, alteram Divinam, alteram humanam conſtituebat: Virginem Mariam non DEI, ſed hominis tantùm eſſe Matrem; DEUM neque paſſum, neque mortuum pro nobis prædicans. Cui ut contradiceret Eutyches Abbas, Chriſto & Perſonam, & naturam unicam, haud minore impietate tribuebat; quem ſecutus eſt præter alios Dioſcorus. Hæreſibus iſtis in quatuor primis Conciliis Generalibus condemnatis, deſperans in tantis rebus victoriam, ad alios tandem fidei articulos arietandos tranſivit Diabolus. Nam præter-

terquam quòd cum Græcis ſeculo 9. de proceſſione Spiritûs Sancti à Patre Filióque, diſputari cœptum; Diviniſſimam Trinitatem, Chriſtúmque DEUM incarnatum, in pace ſumma credidit poſtmodum & adoravit, Chriſtiana & Catholica Eccleſia, uſque ad ſeculum 16.

3. Cujus in principio, Luthero Duce, præteritarum hæreſeon ferè omnium Anacæphalæoſin quandam paſſi ſumus. Ex illius ſchola præter Lutheranos & Confeſſioniſtas, Zvingliani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, centena ſectarum hujusmodi monſtra, ovo ſuo digna excluſa ſunt. Qui licèt multa cum Eraſmo antecurſore ſuo contra Chriſtum Dominum, & Sacro-Sanctam Trinitatem, impiè ſcriptis verbísque ſuis effutiverint; apertè tamen contradicere duobus his ſupremis religionis capitibus, auſi non ſunt. Tentavit vadum periculoſum primus, Michaël Servetus Juvenis Hiſpanus: is Lutheranâ eruditus diſciplinâ, cùm ſcripturarum interpretandarum rationem non Eccleſiæ Sanctorúmque Patrum, ſed proprio uniuscujusque Spiritui alligandam imbibiſſet; majore quàm erat Magiſtrorum, privato Spiritu agi concupivit: de Sacramentis, de Juſtificatione, de Purgatorio, de Sanctorum Interceſſione, de Eccleſia & ejus Paſtoribus, dimicare cum Orthodoxis dedignatus, ipſa ſibi principalia Domûs DEI fundamenta invadenda, nec non (ſi tartarus favere poſſet) eruenda putavit. Genevam, ubi Calvinus regnabat, locum blaſphemiis ſuis crudelibus, ùt exiſtimabat, aptiorem deligit: librum de erroribus Trinitatis divulgat; Scholam novam erigit: haud veritus impudentiâ inauditâ, Sacro-Sanctam Trinitatem, cerberum tricipitem, & Gerionem tricorporem appellare. Venit eodem paulò pòſt, & Valentinus Gentilis Italus, famâ ùt præferebat eruditionis Calvinianæ allectus: ſed nec is diu ſpiritum ſuum, ſeu Calvini, quippe modeſtioris quàm cuperet, ſeu Serveti ſpiritui ſubjici paſſus; paria vel majora meditans, propriæ in eodem argumento

ſummo, Doctor celebrari maluit hæreſis; quàm Sectator audire alienæ: tres Divinas Perſonas, tres Deos naturâ differentes, ſolum nihilominus Patrem, Patrem eſſe altiſſimum; Filium Patre, Spiritum Sanctum utroque minorem, pro portione Naturæ Divinæ à Patre participatæ, promulgare cœpit. Æmulos ferre Calvinus recuſans, induxit Senatum Genevenſem, ut in media Servetus Urbe, lento igne vivus combureretur: gladium infelix, quô interimeretur, magno ùt ſcribit ille Boatu expoſcens, nec impetrans. Gentilis fugâ elapſus, cùm nuspiam conſiſtere tutus ob ſuum Arianiſmum poſſet; Bernæ demum in Helvetia comprehenſus, capitísque damnatus eſt. Gloriabatur miſer, cùm eſſet in carcere, Martyres cæteros pro Chriſti Gloria neci occubuiſſe; ſe autem primum omnium futurum, qui pro eminentia DEI Patris mortem oppeteret: ubi tamen certum Lethi nuncium accepit; ad ejurandam etiam doctrinam ſuam promptiſſimus, ſi Judices flexibiles fuiſſent. Hic fuit infeliciſſimus primorum Magiſtrorum exitus; neque melior diſcipulorum, parentis ſui Arij à vita, mortéque non diſcedentium: de quibus multa Theodorus Beza. Certum eſt pulſos eos undique, locum impietati ſuæ in Helvetia, Gallia, Germania nullum reperiſſe.

4. At invenerunt, neſcio quâ Regni nobiliſſimi temporum iniquitate, in Polonia: ubi penè præ Sectis cæteris triumphâſſe, diu ſatis videbantur. Invenerunt in vicina ei Tranſylvania, quò ductoribus Gergio Blandratâ, & Franciſco David, Serveti diſcipulis penetrantes, quantas in tota illa Provincia ſesqui altero ſeculo religionis tragœdias excitaverint; eſt inenarrabile. A Polonis regnante Joanne Caſimiro decreto publico, anno 1658. lato, exacti ſunt omnes; hodie in finibus Pruſſorum deliteſcentes: libellum ſupplicem fideíque ſuæ confeſſionem, quam Regi Pruſſiæ ante aliquot annos obtulerant, typis eorum Claudiopolitanis editam habeo; tali concinnatam artificio, ut fraudis ignarus, à Catholicis

ipſos

ipſos vix dignoſceret. Multò peſtilentius eſt ſcriptum breviſſimum, quod pariter præ manibus meis eſt, nuper typi loco non addito, ab iisdem vulgatum: quô, ex occaſione tumultûs cujusdam Thorunenſis in Catholicos moti, juſtéque caſtigati, bellum tubâ canere audet fæx hæc infima mortalium: *contra omnes Papiſtas*, verba eorum recito, *ut Idololatras tyranniciſſimos, qui Sanctiſſimos Martyres, Iconoclaſtas Thorunenſes, pro bono opere, iniquo & intolerabili decreto crudeliſſimè trucidârunt.* Titulus ſcripti eſt: *Paræneſis cujusdam Doctoris antiquiſſimæ Evangelicæ, à 1500. & ampliùs annis proteſtantium Eccleſiæ, à rudi vulgo dictæ Arianæ; adhortatoria Dominorum Neo, à 200. annis Evangelicorum, vulgo Lutheranorum & Calvinianorum, ad mutuam tum fidei, tum animorum, tum ſi opus eſſet, etiam armorum Arianorum Unionem, contra quosvis puri Verbi DEI, & communis Evangelij hoſtes.* Adeò pacifici ſunt iſti, vel in exilio. Apud Tranſylvanos ſuperſunt etiamnum liberi; tametſi multùm imminuti: nullum è nobilitate majore in ſuis numerant; nullos in Orbe terrarum habent ſocios, præter pauciſſimas illas è Polonia expulſorum reliquias, & fortaſſis aliquos (uti gloriantur in ſcripto ſuo citato) *ære potentes Meniſtas*, vel Mennonianos in Hollandia: ſuperſunt ad flagellum noſtrum; ad fidem in nobis doctrinámque Diviniſſimæ Trinitatis & Incarnati Verbi; ad intelligentiam ſcripturarum, quæ totæ duobus his explicandis Myſteriis continentur, ad eorundem religionem amplificandam, noſtrísque in cordibus incendendam; verbo, ad Zelum Sanctum DEO & Chriſto fidelium excitandum: quibus ex cauſis arbitror, permiſſum à DEO ter optimo maximo fuiſſe; ut & eorum majores per tot ſecula inſultarent Eccleſiæ, & iſti temporibus noſtris, tanto intervallo reſuſcitarentur, à Satana. Superſunt ad retundendas faciliùs reliquias Sectarum: quæ clarè vident in hiſce defectionis ſuæ prolibus; quinam ſequantur abortus, ex ſcriptura ſpiritu privato, & au-

thoritate ac traditionibus Eccleſiæ contemptis, tractata.

5. Hi erunt præſentium mearum Inſtitutionum, adverſarij: quorum non ex odio ſed amore, illuminandis iis, & ad Chriſtum Dominum, vitámque reducendis æternam, ut ex toto corde profiteor, ſcripturi ſumus, quæcunque ſcribemus. Vocabimus eos jam Antitrinitarios, jam Chriſtomachos, jam Arianos, Ebionitas, Socinianos, Blandratiſtas &c. quæ nomina veſtra mihi, oro, bonum unicè veſtrum ſpectanti, non vitio vertite. Blandrata primus vos in Tranſylvania genuit, non Chriſto; ſed ejus Nomini ſanctiſſimo blaſphemando. Socinus veſtrum in Polonia lumen fuit. Arium, & Ebionem ex inferis revocâſtis. Chriſtomachi, ſeu hoſtes Chriſti eſtis deteriores; quàm ulli Barbarorum, vel Turcarum. Nam Turca Chriſtum uti vos, negat eſſe DEUM verum, negat Perſonarum divinarum Trinitatem; at ſimul DEUM illum, quem unum, & Cœli terræque conditorem credit, non aſſerit eſſe Patrem Filij Unigeniti: Chriſtum confitetur eſſe Prophetam magnum, DEO non ſolo quidem, ſed Mahometo etiam minorem; quo uno poſtremo ex capite vos de Chriſto ſentire meliùs jactatis: at rogo animadvertite: ille propterea Mahometanum ſe; miniméque Chriſtianum appellari vult; vos vultis Chriſtiani ſi ſuperis placet, vocari & eſſe; vos libros omnes ſcripturarum utriusque fœderis, & eos quidem juxta editionem vulgatam paſſim admittitis; Chriſtum nihilominus, DEUM eſſe verum denegatis, hoc eſt Divinitatem ei altiſſimam, quam tribui à Chriſtianis univerſis Orbis univerſus videt, impiè abrogatis. Si Dominus JESUS idem cum Patre DEUS (ut blasphematis) non eſt; verè minus ei dignitatis Turca tollit, qui Mahometo eum poſtponit, quàm vos: minor enim injuria eſt, inter creaturas puras ſceleſtiſſimam Sanctiſſimæ anteponere; quàm illum, qui DEUS eſt altiſſimus, in ordinem velle creaturarum purarum

rarum detrudere. Scio vobis, veſtrísque Parentibus hanc fuiſſe à diabolo nominis gloriam objectam: quòd ſoli ſcripturis omnibus admiſſis, & Chriſtiano retento, ut cupitis, nomine, DEO Trino, & Uni, Chriſtíque veræ Deitati contradicatis: id quod à nullis fit in mundo mortalibus. Ne porrò in refutandis dogmatibus veſtris, injuriam vobis faciam; cùm eorum defendendorum vias mille inire ſoleatis: ſequar in eo duos veſtros omnium principes libros. Primus eſt, quem occultatis vehementer, mihi nihilominus notiſſimus, Joanni ſecundo Principi Tranſylvaniæ Anno 1567. à vobis oblatus; hâc inſcriptione: *De falſa & vera, unius DEI Patris, Filij, & Spiritûs Sancti cognitione, libri duo: Authoribus Miniſtris Eccleſiarum conſentientium in Sarmatia, & Tranſylvania.* Secundus eſt: *Explicationes locorum veteris & novi Teſtamenti, ex quibus Trinitatis dogma ſtabiliri ſolet. Auctore Georgio Enyedino Superintendente Eccleſiarum in Tranſylvania, unum Patrem DEUM, & ejus Filium JESUM Chriſtum, per Spiritum Sanctum profitentium.* Priorem illum præter alios Bellarminus in libris ſuis de Chriſto, ſub nomine Libri Miniſtrorum Tranſylvanorum citans; hunc ex profeſſo Ambroſius Pennaloſa è S. J. Viennæ Theologiæ Doctor Anno 1635. refutavit,

6. Ad extremum juverit fata etiam ultima primorum duorum Apoſtolorum in Tranſylvania veſtrorum, obiter commemorâſſe. Georgius Blandrata quum Anno 1588. neſcio quid horrendum in cubiculo ſuo exclamâſſet; accurrit nepos ipſius quidam, quid ſibi vellet rogans: is impetu in eum facto, fauces nepoti elidere conatur: iſte arrepto folliculo, qui fortè proximus aderat ſabulo plenus, ſe fortiter defendit; ictúsque toties repetit; donec ſeni putrido animam è corpore Juvenis eliſerit. Venerat ille recens ex Italia Blandratæ patria; ut ſi quid ei accidiſſet humanitùs, hæreditatem cerneret: cùm verò Arrianus fieri nollet, nec alter ipſum hæredem ſecùs ſcriberet; lis inter illos caſu allato deciſa eſt,

juvene collectis & convaſatis, quæ poterat, clam ſe ſubripiente. Franciſcum David in carcere Devenſi miſerrimè obiviſſe notiſſimum eſt. Cùm turma ei dœmonum ante mortem apparuiſſet; exclamavit: *Ecce qui me comitem itineris expectant!* Monitus, ut JESUM Chriſtum invocaret, negavit ſe invocaturum eum, qui ſe ipſum à cruce non potuerit liberare. Videatur de utroque Florimundus Ræmundus de ortu progreſ. & ruin. Hæreſ. l. 4. c. 12. n. 2. & alibi.

FUNDAMENTUM & RATIO DISPUTATIONIS TOTIUS.

ANimadvertenda eſt ante omnia methodus & via, quâ progreſſuri ſumus. Primum eſt, Chriſtum Dominum, Verbúmque Incarnatum, ſeparare nos à Sacro-Sanctæ Trinitatis doctrina, minimè poſſe. Nam DEUS, *ut eſt in ſe*, fuítque ab æterno, unus in Deitate, trinus in Perſonis; videri à nobis in hac vita nequit: *Lucem inhabitat inacceſſibilem* 1. Tim. 6. 16. *DEUM nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui eſt in Sinu Patris, ipſe enarravit.* Joan. 1. 18. Chriſtum & vidimus, & audivimus: ille Filium ſe unicum DEI; cum Patre ſuo unum DEUM, vitâ, doctrinâ, morte, reſurrectione ſuâ, luculentiſſimè probavit: unde duas in DEO uno eſſe Perſonas, Patrem & Filium didicimus: Tertiam quæ Spiritûs Sancti eſt, enarravit pariter idem Dominus JESUS; mittens unà cum Patre ſuo, poſt abitum ſuum, viſibilibus in ſignis ad nos Paraclitum alium, nobiſcum manſurum, & docturum nos omnem veritatem. Ergò in Chriſto JESU vidimus Patrem ac Filium, juxta illud: *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*: Vidimus & Spiritum Sanctum, redempto mundo ad eundem ſanctificandum miſſum. Quare ſicut Filius à Patre miſſus, unus cum eo DEUS eſt; ita & Spiritum Sanctum miſſum ab utro-

utróque, concludimus unum cum utróque DEUM eſſe confitendum. Hanc diviniſſimam Trinitatem Filius Incarnatus enarravit: quomodo igitur à primo illo æternóque trium Perſonarum Divinarum ineffabili Myſterio, ſecundùm hoc, quod apparuit in tempore, Incarnationis Myſterium disjungere poterimus? illud abſque iſto eſſe quidem, ſed noſci tam clarè, intelligíque à nobis, quàm per hiſtoriam Chriſti accepimus, nunquam in terra poterat. Alterum eſt: ordiendam eſſe diſputationem ab eo docendo, & quàm fieri poterit validiſſimè roborando; quòd Chriſtus ſit verus DEUS: quâ doctrinâ, ſecundùm ſimplicem ſui cognitionem, nihil pluribus, majoribúsque argumentis imprimendum judicavit oculis, mentibúsque noſtris Altiſſimus. Eam ſi ſemel adverſarius, de Patris Divinitate nihil dubitans, admittat; evictâ dualitate, Trinitatem Perſonarum in DEO, & nos nullo negotio conficiemus, & ille perfacilè concedet. Itaque Divinitatem Chriſti veram, & eandem cum Patris Deitate, quotquot probabimus documentis; totidem ſtabiliemus Fidem Sanctiſſimæ Trinitatis. Filius eſt medius inter Patrem & Spiritum Sanctum; illo in carne aſſumpta manifeſtato, & Patrem & Spiritum Sanctum manifeſtari oportebat. Hâc viâ in ſcripturis, operibúsque ſuis univerſis, locuta eſt hominibus Sapientia æterna, de ſe Trino & Uno: verbis illius hâc viâ repugnavit per hæreticos diabolus; hâc retuderunt eos Patres veteres, hâc recentiores Theologi Orthodoxi, Bellarminus, Gregorius de Valentia, & alij plures. Hæc erit nobis quoque infimis via tenenda; dicendorum omnium ſeriem, duodecim inſtitutionibus diſtincturis.

DUO-

DUODECIM HARUM INSTITUTIONUM TITULI.

INSTITUTIO I. *Argumentum Scripturarum omnium princeps, ac potiſſimum eſt*

CHRISTUS DOMINUS.

INSTITUTIO II. *Veram Chriſti Divinitatem docet inprimis Incarnatio illius.*

INSTITUTIO III. *Chriſtus fuit ille ipſe DEUS, quem Teſtamentum vetus DEUM Iſraëlis maximum, ubique prædicat.*

INSTITUTIO IV. *Nomina Chriſti, demonſtrant manifeſtè illum eſſe DEUM Altiſſimum.*

INSTITUTIO V. *Chriſti Officia & Munia id ipſum oſtendunt.*

INSTITUTIO VI. *Probant id ipſum attributa etiam, & Opera Chriſti.*

INSTITUTIO VII. *Tota Vita Chriſti, & Oeconomia, ſive Diſpenſatio Dominicæ Incarnationis, Divinitatem ipſius veram conteſtatur.*

INSTITUTIO VIII. *Chriſtus per omnem Incarnationis ſuæ ſeriem, Myſterium Sacroſanctæ & Individuæ Trinitatis explicavit.*

INSTITUTIO IX. *De vera Spiritûs Sancti Divinitate.*

INSTITUTIO X. *De particularibus Scripturæ Teſtimoniis, quibus Myſterium Diviniſſimæ Trinitatis, ac veræ Chriſti Divinitatis aſtruimus Chriſtiani.*

INSTITUTIO XI. *Reſpondemus iis, quæ objiciunt ex Bibliis Adverſarii,*

INSTITUTIO XII. *Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ Teſtimonio roboratur Chriſti Divinitas, & Myſterium Sacroſanctæ atque Individuæ Trinitatis.*

IN

INSTITUTIO I.

Argumentum Scripturarum omnium princeps, ac potiſſimum, eſt CHRISTUS DOMINUS.

I.

VEræ Divinitatis Domini evincendæ fundamentum iſtud firmiſſimum præmittimus. Divide bifariam Biblia; in novi, veteríſque teſtamenti libros. Novum in primis Teſtamentum tam clarè, unicéque tractat de Chriſto; quàm ut profano utamur exemplo, Livius de Rep. Romana, Curtius de Alexandro Magno. Quid evidentius? Vetus deinde Teſtamentum, totum eſt promiſſio, expectatio, umbra, figura fœderis novi, ſive Chriſti, & Eccleſiæ. Quid eſt Chriſtianis certius? ne veſtris quidem Proceribus refragari auſis. Teſtes veritatis hujus, libri omnes Evangelici: teſtis ipſe Dominus. *Scrutamini Scripturas*, ajebat Judæis, vobiſcum in eum credere nolentibus: *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Joan. 5. ſcrutamini* dixit, quia ſcripturæ veteres non ita clarè, ut novæ, loquebantur de illo; ſed in typo, in prophetia, in umbra: vos in Evangelio lucem ipsã præſentẽ abſque ſcrutatione magna intuentes, oculos clauditis, tenebras magìs quàm illam diligentes. Apparens duobus ſuis poſt reſurrectionem, inquiebat: *O ſtulti! & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Luc. ult. v. 25. 27. Ibidem v. 44. *Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum; quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Quoties vel ipſe dicta factáque ſua relegat ad ſcripturas? vel Evangeliſtæ citant illas in eam ſenten-

ten-

tentiam? Vix caput aliquod quatuor Evangeliorum reperies, abſque tali combinatione novi cum antiquo fœdere, in Chriſto deſcribendo conſpirantis. Idem in cæteris Evangelicis Scriptoribus deprehendes. Lege Actus Apoſtolorum, ac præcipuè Conciones illorum: lege Pauli Epiſtolas; 1. Cor. 10. *Patres noſtri*, ait *omnes ſub nube fuerunt*: tum principalia quæ iis evenerunt recenſens: *Hæc autem in figura*, inquit, *facta ſunt noſtri.* Rurſus infrà: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Lege totam ad Hebræos epiſtolam: tabernaculum & religionem Judæorum cùm enarrâſſet cap. 9. v. 9. ſubjicit: *Quæ parabola eſt temporis inſtantis*: mox v. 23. 24. vocat vetera illa, *exemplaria cœleſtium*, & *exemplaria verorum*: hoc eſt, Chriſti, & rerum noſtrarum. Lege Catholicas Epiſtolas: lege Apocalypſin. Eſtne aliqua particula in Vita Domini & Evangelio; quæ à veteri non præſignificetur teſtamento? eſtne aliqua pars legis antiquæ, ſi ſola fortè moralia excipias, quæ non ſit figura noſtri?

2. Gloria & Laus tibi ſit in ſecula ſeculorum, ô diviniſſime Spiritus! quòd Evangelicos tuos Amanuenſes ſic inſtitueris; ut Chriſtum, qui te nobis inſufflans dedit, à Moyſe, Prophetísque myſticè decantatum, mundo manifeſtè revelarent: ut ſuis de illo narrationibus adderent paſſim ſolenne illud ſuum: *ut adimpleretur*, *quod dictum eſt per Iſaiam*, aut alium Prophetarum. *Tunc adimpletum eſt*, *quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem. Hoc autem totum factum eſt*, *ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Et impleta eſt ſcriptura*, *quæ dicit &c.* Paulus de Judæis, qui Moyſen audientes ac legentes, Chriſtum in eo non vident: *Uſque in hodiernum diem*, inquit 2. Cor. 3. 15. *cùm legitur Moyſes*, *velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Quantò major eſt adverſariorum noſtrorum nomen Chriſtianũ affectantium cæcitas! qui Apoſtolos ipſos cùm audiunt, séque illis credere jactant, revelantibus Dominum in Moyſe, ac Prophetis; hunc in iis ipſis intueri, confiteríque no-

nolunt? Si vos ô Præcones Chriſti lucidiſſimi! quæ legimus non ſcripſiſſetis; ecquis horum? aut etiam fortaſſis Chriſtianorum nobis crederet, ita ut vos feciſtis, teſtamentum vetus interpretantibus? Quòd ſi nunc vobis ſcripturas eas explicantibus, iſti oblatrare non verentur; quid agerent, ſi veſtris hiſce careremus teſtimoniis? Verbis illis Sancto Joſepho Virginis Sponſo ab Angelo dictis, *pariet autem Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM*, Matth. 1. 21. adjecerat Evangeliſta: *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium; & vocabunt Nomen ejus Emmanuel: quod eſt interpretatum nobiſcum DEUS:* adeò torſit Georgium Enyedinum huic loco reſpondentem, ea Sancti Mathæi à Spiritu Sancto accepta ſapientia; ut auſus ſit homo impius evomere ſequentia. *Facilè eſt cuivis obſervare, cùm alios novi teſtamenti ſcriptores ſæpè, tum ferè ſemper hunc Evangeliſtam, levi occaſione, & propter exiguam convenientiam aut ſimilitudinem (etiam ſolorum vocabulorum) veteris teſtamenti dicta producere.* Auſus eſt blaſphemiam hanc horrendam, aliâ non minore confirmare: *Ne longè abieris*, inquit, *paulò poſt c. 2. v. 17. illud Jeremiæ, Vox in Rama audita eſt &c. applicat Bethlemiticis Matribus: at Prophetа nec de Bethlehem, nec de matribus infantium occiſorum illa ſcripſerat.* Eſtne hoc vir bone, novo teſtamento & Evangelio, ut verè verbo DEI fidem habere? meliúsne tu, quàm Apoſtoli, Spiritúsq; Sanctus, Prophetas intellexiſti? Quis quæſo nobis crederet, prædicantibus Iſraëlē in Ægypto preſsū, indéq; à Deo evocatum, typum fuiſſe pueri Jesu eodem delati, & elati à Parentibus? niſi ſcriptum eſſet Matth. 2. *Et erat ibi uſque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam: ex Ægypto vocavi Filium meum*: qui textus Oſe. 11. 2. in ſenſu primo literali loquitur profectò de Iſraële. Quis crederet illud: Iſa. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, duplici in ſenſu de Domino eſſe intelligendum? tum

quòd

quòd is paſſione ſuâ peccata noſtra ſuſtulit; ùt S. Petrus exponit 1. Petr. 2. 24. tum quòd ejecit dæmonia, & omnes malè habentes curavit: quibus ejus operibus ſubjungit hiſtoricus Sacer: *ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit; & ægrotationes noſtras portavit.* Mat. 8. 17. Quis crederet Pſalmodum vix ferè aliud in 150. Pſalmis, quàm Chriſtum ceciniſſe? ac ne plures proferam, Pſalmum 108. & maledictiones illius, verbáque nominatim illa, *Epiſcopatum ejus accipiat alter*, de Juda eſſe interpretanda; ſi Act. 1. declaratum id perſpicuè non foret? Quis crederet (hoc ſit aliis centenis omiſſis poſtremum) duos Abrahæ Filios, typum extitiſſe novi, & veteris teſtamenti, niſi S. Paulus id clariſſimè aſſereret? *Scriptum eſt enim* ait ille Gal. 4. *Quoniam Abraham duos Filios habuit; unum de ancilla, & unum de libera: ſed qui de ancilla, ſecundùm carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem. Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta. Unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans: quæ eſt Agar: Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, qui nunc eſt Jeruſalem; & ſervit cum filiis ſuis. Illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt Mater noſtra: nos autem fratres, ſecundùm Iſaac, promiſſionis Filij ſumus. Itaque fratres nos ſumus ancillæ Filij; ſed liberæ: quâ libertate Chriſtus nos liberavit.* Duo ex hac oratione tua, magne Apoſtole! diſcimus Chriſtiani. Alterum eſt, ſi tantùm duo illi Abrahæ filij, tantæ ſunt rerum noſtrarum figuræ; quantæ debeant eſſe cæteræ infinitæ, in toto illo priſco fœdere, nobis necdum ſatis omnes perſpectæ? Alterum eſt, quàm admirabile ſit Synagogam inter, & Eccleſiam noſtram diſcrimen.

3. At enim ne tam citò à pulcherrimo abeamus argumento; age, percurramus Bibliorum & Operum Divinorum ſumma capita, inde uſque ab exordio mundi. Primùm opere ſex dierum finito requievit die ſeptimo DEUS: quo nomine ſanctificavit illum diem; nihílque fuit Synagogæ Sabbathi ſolenni-

lennitate ſanctius. Non advertis in hac figura Chriſtum? qui DEUS idem, cœli ac terræ conditor, in carne nobis apparens, 33. annorum ſuorum laboribus multò majoribus exactis; Die Reſurrectionis ſuæ plenè requievit; ac propterea cultum Sabbati tranſtulit in illius diei cultum, diémque vocari juſſit Dominicum, veritati cedente typo & umbrâ. Num vel Apoſtoli tollere Sabbatum; vel Orbis terrarum Chriſtianus ſequi eos in ea inſtitutione, abſque Domini præcepto auſus fuiſſet? Num Chriſtus, ſi unus idémque cum eo, qui Sabbatum inſtituit, in mundi à ſe conditi commemorationem, DEUS non fuiſſet; convertere feſtum illud in laborum, gloriæque ſuæ ſolemnitatem tentaſſet? *Hæc eſt dies quam fecit Dominus.* Pſ. 117. quaſi nullam is aliam, extra eam quâ reſurrexit, feciſſet diem. Quidquid è legis antiquæ religione ſublatum eſt; id factum eſt profectò, quia ſuccedentis ei veritatis figura fuit.

4. Secundò ingrediamur in Paradiſum. Eva ex Adami ſoporati coſta ædificatur; Eccleſia è Chriſti mortui Latere aperto, cùm immiſiſſet Pater ſoporem in Unigenitum ſuum: *& continuò exivit ſanguis & aqua*, duorum principalium Eccleſiæ Sacramentorum Symbola. Peccantibus mox Protoplaſtis, maledicentem ſerpenti DEUM audi: *Inimicitias ponam inter te & mulierem; inter ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Gen. 3. Hæc erat prima & clariſſima, ſimul atque peccatum intravit in mundum, Chriſti ex ſemine Virginis promiſſio: per cujus venturi fidem ſalus & gratia data eſt, primis noſtris Parentibus, eorúmque poſteris. Lignum vitæ ibidem, imaginem fuiſſe ligni crucis per quam vivimus, quis negaverit? Quid? quod ipſe Adam & Eva, typi Chriſto & Virgini Mariæ oppoſiti? *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem; noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem: primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de Cœlo cœleſtis.* 1. Cor. 15. v. 22. 45. 47. *Vocavit Adam nomen uxoris ſuæ Heva; eò quòd mater eſſet cun-*

ctorum viventium : Gen. 3. Et hoc quidem poſt peccatum ; quando Mater effecta eſt verè cunctorum morientium : ſed eam ſignificare debebat nomine ſuo, ut ajunt Sancti PP. mulierem ; quæ nobis vitam peperit. Nec per ipſum ſerpentem præfigurari ſe poſteà dedignatus eſt Dominus, pro nobis crucifixus : auditus de eo planè gloriari : *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto ; ita exaltari oportet Filium hominis.* Joan 3. 14. Denique matrimonium in eodem horto voluptatis conſtitutum, nonnè primum rudiúsque fuit ſymbolum, conjunctionis Chriſti cum Eccleſia ; à Domino ſubinde perficiendum, promulgante myſterium S. Paulo ? *Sacramentum hoc magnum eſt : Ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia.* Eph. 5. Quid eſt, quod iisdem ibi utatur verbis, etſi eum expreſsè non citet, Apoſtolus ; quibus Moyſes Gen. 2. Non eſt hæc repetitio & alluſio, mihi crede, ut in aliquo Virgilij aut Ovidij carmine, otioſa.

5. Tranſeamus tertiò à Paradiſo in exilium, ad primos hominum filios Cain & Abel. Ille reproborum ; hic Salvatoris & ſalvandorum exemplar primum. Figura Chriſti erat Abel, & ſacrificio & morte ſuâ, ſacrificio cùm *obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum ; & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus* Gen. 4. certè omnia illorum ſacrificia, victimam in ara Crucis offerendam prænunciabant. Morte ſuâ, cùm *dixit Cain ad Abel fratrem ſuum, egrediamur foras. Cúmque eſſent in agro ; conſurrexit, & interfecit eum :* quo inſtrumento ? probabiliùs baculo ligneo & utenſili. Sic erat tecum ô Chriſte JESU ! populus tuus acturus. Hinc vocaris tu Apoc. 13. 8. *Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi* : Occiſus in ſemetipſo ſub Pontio Pilato ; in typis ſuis ab origine mundi. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur ; & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Iſ. 53. 7. *Acceſſiſtis ad teſtamenti novi mediatorem JESUM ! & ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quàm Abel.* Hebr. 12. 24. Martyrum ſuorum mortisque ſuæ typorum Dominus meminit Matth. 23. 35.

à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ. An non fuit is Agnus ab origine mundi occiſus; qui ex mortis ſuæ futuræ meritis operabatur jam tum ſalutem aſſiduè fidelium ſuorum. Cain malignus peccatis ſuis ſuæque poſteritatis, induxerat diluvium mundi: Servator hujus per arcam ligneam Noë, Redemptorem, noſtrámque redemptionem, quàm perſpicuè delineaverit; dicat ipſa Sapientia æterna, Filius DEI. *Propter quem* (id eſt Cain) *cùm aqua deleret terram; ſanavit iterum Sapientia, per contemptibile lignum, juſtum gubernans.* Sap. 10. Ubi cætera etiam ſapientiæ illius, hoc eſt Filij DEI opera, è toto teſtamento veteri collecta, leges. Dicat Petra, ſuper quam ædificabit is Eccleſiam ſuam: *Cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma, &c.* 1. Petr. 3. v. 20. 21. Vulneraverat genus humanum primò Adam; vulneraverat iterum Cain, & illius progenies: *propter quem cum aqua deleret terram; ſanavit iterum Sapientia:* ſine dubio illa, quæ ſanaverat antea; ſecundus illic Adam, ſecundus iſthic Noë, Sapientia Incarnata. Per contemptile lignum Crucis ſalvati ſumus: ſimilis formæ ſalvos nos facit Baptiſma.

6. Quartò Abraham, Iſaac, Jacob, tres Patriarchæ, omníſque illorum vita, typis Chriſti & Eccleſiæ refertiſſima. Iſaacum ab Abrahamo immolatum Gen. 22. contemplare; verbum quodlibet hiſtoriæ illius ſcrutare diligenter, ſervato Iſaac; in cujus ſemine benedicendæ omnes gentes: ſubſtituit ei DEUS *arietem inter vepres hærentem cornibus ſuis:* hunc Abraham *aſſumens obtulit holocauſtum pro filio ſuo.* Taliter Pater æternus Filium ſuum in eodem monte immolaturus, cùm ejus Divinitas pati, moríque non poſſet; carne noſtrâ *induit eum, pelliculásque circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Gen 27. 16. denique illam ejus carnem inter ſpinas hærentem, per manus Judæorum obtulit, arietem pro peccato noſtro divinum. Taliter in Sacrificio Euchariſtiæ incruento, ſanguineum illud

uſque ad finem ſeculorum repræſentaturo, cùm Chriſti corpori mors ultrà dominari nequeat; ſubſtituitur panis & vinum conſumendum. Hujus ipſius incruenti & Chriſtiani Sacrificij, figura fuit Melchizedech Rex Salem; dum occurrens Abrahamo victori Gen. 14. panem & vinum obtulit. Hoc tu ſi non vis intelligere, neque credis; non credis, neque intelligis, Pſ. 109. & ep. ad Hebr. caput 7. Lege illud totum, & obſtupeſce Sacerdotij Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech, noſtríque fœderis eminentiam. Mitto alia innumera de tribus his Patriarchis: juramentum unum, novum ac mirabile accipe, ſemel ab Abraham, atque iterum à Jacob adhibitum. Abraham de uxore filio ſuo Iſaac quærenda ſolicitus, *dixit ad ſervum ſeniorem domûs ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam ſubter femur meum; ut adjurem te per Dominum DEUM Cœli & Terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito.* Gen. 24. 2. Jacob morti appropinquans ad filium ſuum. Joſeph in Ægypto dominantem: *pone*, inquit, *manum tuam ſub femore meo; & facies mihi miſericordiam & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto; ſed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terra hac, condásque in ſepulchro majorum meorum. Cui reſpondit Joſeph: ego faciam quod juſſiſti. Et ille: jura ergo* inquit *mihi. Quo jurante, adoravit Iſraël DEUM, converſus ad lectuli caput.* Gen. 47. in fine. Quæ nova iſta jurisjurandi forma? quam nusquam alibi, nec ab alijs ullis uſurpatam ſcimus. Judæi conantur eam venerationi circumciſionis adſcribere, in membro femori vicino exercitæ: ſed ô cæci! nonne circumciſio communis erat omnibus illis, & eſt vobis etiam num? cur nec illorum reliqui, nec vos hodie ita juratis? eratne Sanctior in Abraham & Jacob, quàm in Joſeph & ſervo illo Principe circumciſio; quòd non ſub femore ſuo proprio, ſed ſubter femur Abraham & Jacob jubeantur ponere manus ſuas? Sancti Patres minimè Chriſtomachi, veritatem introſpexerunt. Ex femore

lum-

lumbísque ſuis egreſſurum Chriſtum Dominum ſciebant Patriarchæ iſti; audiverant omnes tres à DEO ſolenne illud: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ:* Gen. 22. & 26. & 28. Femur ergo ſuum propter fidem & ſpem inde prodituri Domini, rem habebant in terra Sanctiſſimam: ita Hieron. Theodor. Auguſt. Ambroſ. & alij. Sanctus Greg. Magnus, *manum* inquit *ſub femore jubet ponere: quia per membrum illud deſcenſura erat caro ejus; qui Filius Abrahæ eſſet ex humanitate, & Dominus ejus ex Divinitate. Quaſi dicat: tange filium meum, & jura per DEUM meum. Unde non ſuper femur, ſed ſub femore manum ponere juſſit*, hæc ille. Memineris porrò juramentum eſſe cultum latriæ, in DEI unius Nomine, vel maximè in rebus graviſſimis uſurpandum. Ad extremum, DEUM ſe Abraham, DEUM Iſaac, DEUM Jacob, gloriatur Altiſſimus: hoc eſt, ut interpretantur Sancti & Sapientes, DEUM Patrem, DEUM Filium, DEUM Spiritum Sanctum.

7. Quintò, ne moremur in Joſeph, quem in Ægyptum venditum, ibidem in carcerem conjectum, ac poſtmodum exaltatum, linguâ ægyptiacâ *Salvatorem Mundi* à Pharaone Gen. 41. 45. vocatum, & reliqua illius qui cogitat; neque in mentem venit ei Chriſtus Dominus; an Chriſtianus eſſe poſſit, ignoro: ne inquam moremur in eo diutiùs; veniamus ad Moyſen mediatorem: quo nihil habuit & populus, & lex illa præſtantius. Moyſes totus eſt Chriſtus figuratus: tum infantulus in fiſcella ſcirpea ſervatus; tum quando *grandis factus negavit ſe eſſe Filium Filiæ Pharaonis, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti:* Hebr. 11. tum quando paſcens oves Jethro ſoceri ſui, rubum vidit ardentem & non combuſtum; indéque miſſus eſt à DEO, ad educendum populum. Moyſes Iſraëlis liberator, Ægypti domitor, Paſcha primum celebrans; populi ductor per deſertum, & virgâ thaumaturgâ paſtor. Moyſes aquas in Mara amaras, ligno à DEO monſtrato in eas miſſo, convertens in dul-

ces; Mannâ de Cœlo pluente ſuos alens, in toto illo itinere; ſitientibus aquam de petra virgâ ſuâ percuſsâ, (quâ pariter percuſſerat mare rubrum) eliciens. Moyſes pugnante cum Amalecitis Joſue, manibus extenſis (en imaginem Crucifixi!) in monte orans; judicia Magiſtratúsque Iſraëli, è Conſilio Jethro ſoceri conſtituens: legibus à DEO acceptis, fœdus ac teſtamentum primum, inter eum & populum ſanciens; Arcam fœderis cum tabernaculo conſtruens; ſecundùm exemplar quod ei in monte monſtratum eſt. Quid reliqua enumerem? univerſa Moyſis, & Iſraëlis in deſerto per 42. manſiones peregrinantis hiſtoria, de qua ſpeciatim ſcripſerat Sanctus Paulus, *hæc omnia in figura contingebant illis;* Chriſtum & Eccleſiam noſtram militantem adumbravit. Quæ commemorans Hieron. in ep. ad Paulinum de Sacra Scriptura: *Hucuſque* ait *Moyſes; hucuſque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui ſe velle Apoſtolus in Eccleſia gloriatur.* Ubi gloriatur? *Sed in Eccleſia volo quinque verba, ſenſu meo loqui; ut & alios inſtruam.* 1. Cor. 14. 19. *ſenſu meo* ait, id eſt ſenſu Spiritûs Sancti, ſenſu Chriſtiano; & non ſenſu Judæorum, judaizantium, Chriſtomachorum. Moyſi adjungendus eſſet, vir in terra Hus, nomine Job; fidelis & Propheta è Gentibus: qui & patientem & reſurgentem Dominum, quàm bellè repræſentaverit; neminem latet. Lege melos ejus ſub finem capitis 19. *Scio, quòd Redemptor meus vivit; & in carne mea videbo DEUM meum.* Quomodo vivit Redemptor tuus, ſi nondum natus eſt? nondum natus eſt in carne de matre ſua; ſed generatus & natus eſt ab æterno de Patre ſuo in Deitate ſua.

8. Sextò, quid memorem Joſue, Judices, Reges, Davidis & Salomonis verſus, Prophetas majores & minores, & quid quid eſt poſt Pentateuchum in corpore toto Sanctorum Bibliorum? Videatur Epiſtola modò citata S. Hieronymi ad Paulinum, lectu digniſſima: quæ compendio eleganti comprehendit hæc omnia. Cùm plurima etiam minutiora retuliſſet

liſſet: *aliud* inquit *in cortice præferunt; aliud retinent in medulla:* videlicet Synagogam in cortice; Chriſtum in medulla. Videatur ejusdem Prologus galeatus; qui unà cum Epiſtola illa volumini ſcripturarum communiter annectitur: ubi ait, *eſſe priſcæ Legis Libros 24. quos ſub numero 24. ſeniorum, Apocalypſis Joannis inducit; adorantes Agnum, & coronas ſuas proſtratis vultibus offerentes: ſtantibus coram quatuor animalibus* (Evangeliſtis) *oculatis, antè & retrò, id eſt in præteritum, & in futurum reſpicientibus; & indefeſsâ voce clamantibus: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Apoc. 4. & 5. Hæc Doctor ille magnus, quo peritiorem ſcripturarum non habuit Eccleſia Chriſtiana. O quàm jure merito exprobravit Judæis Dominus; quod & adverſarij noſtri ſibi dictum intelligant! *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem; eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis; ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit, &c.* Joan. 5. 45. Quàm jure merito Philippus Natanaëli! *quem ſcripſit* ait *Moyſes in lege & Prophetæ; invenimus Jeſum.* Joan. 1. 45. Verè *Jeſus Chriſtus heri & hodie; ipſe & in ſecula,* Hebr. 13. 8. fuit heri Prophetarum; eſt hodie Apoſtolorum in ore: ipſe & in ſecula, cujus Regni non erit finis. Quantum hoc eſt ô Chriſtiani, teſtimonium de Domino noſtro! conſenſio utriusque inſtrumenti, Moyſis & Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum, Synagogæ & Eccleſiæ: uti docet paſſim Tertullianus contra Marcionem Concilio Nicæno tantò antiquior.

9. Eſt inſuper id etiam animadvertendum, quòd non Libri tantum Prophetici deſcribant, ac prænuncient, eo quo audivimus modo Chriſtum; ſed ipſa quoque Opera DEI, à Mundi Principio univerſa. Patriarchæ ipſi, Adam, Abel, Noë, Abraham, Moyſes, & cæteri Prophetæ; vita, geſta, ſacrificia, bella, mors illorum: ipſe Populus electus, cum ſua Religione tota; Ducibus, Pontificibus, Judicibus, Regibus,

caſibus ſuis; verbo cum hiſtoria ſua mundíque totius libris illis, contenta: quod inquam fuerint ea cuncta, umbræ, figuræ, prophetiæ, præludia Chriſti venturi. *Omnia in figura contingebant illis.* Ergo quid quid fecit, DEUS, quid quid Mundo locutus eſt Spiritus Sanctus per os calamúmque ſervorum ſuorum, ante Adventum Domini; totum id ad eum annunciandum, conteſtandum, venerandum referri debet ex inſtitutione divina: ut umbra & imago, ad corpus & veritatem. Ergò Chriſtus eſt negotium ſeculorum, & ſcripturarum omnium. Hoc eſt enim verò illud, quod ſapientia Patris, ſive Filius DEI de ſe prædicabat, Prov. 8. *Quando præparabat Cœlos aderam, cum eo eram cuncta componens; & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*: præludens nimirum ijs, quæ poſtea nobiſcum converſatus acturus erat: ſubjicit enim, *& deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Hoc eſt quod ad Colloſſ. 1. clariùs expreſſit Apoſtolus: ubi Chriſtum vocans, *primogenitum omnis creaturæ, omnia per ipſum ait, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant: & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Cujus Eccleſiæ? certò novæ ac veteris, figuræ ac veritatis, Prophetarum, & Apoſtolorum: *fecit* quippe *utraque unum*; *lapis* ædificij totius *angularis.*

10. Quæ cùm ita ſint; habeo, quod pro fundamento diſputationum ſequentium poſui: Chriſtum ſcilicet eſſe argumentum, & materiam præcipuam, vel potiùs unicam, librorum omniũ divinorũ; imò etiam eſſe ſcopũ, ac finem operum DEI, rerúmque in mundo geſtarum omnium: quorum capita potiſſima, quantùm nobis ſatis erat, biblia exponunt. Hanc poſitionem ſcripturas admittentibus indubitabilem, quia negare non poſſunt adverſarij; contra illos ſic argumentor. Perſona illa quæ in univerſa Bibliorum Oeconomia, materia & ratio eſt prima, & una pene ſermonis; ad quam cætera cuncta quæ ſcribuntur referantur; debet neceſſariò DEUS eſſe altiſſimus: Nonnè liber

liber ille unicus in mundo divinus eſt, & exaratus digito DEI; ut cognoſcatur, adoretur, quæratur unicè DEUS, ens entium ſummum, ab omnibus? aliquamne creaturam puram extra ſe, in tota eloquiorum ſuorum, imò & operum ſerie, nobis factis dictísque ſuis præcipuè inculcandam, & extollendam, Sapientia DEI æterna ſtatuerit? ô DEUS immortalis! quæ ſana mens poſſit hoc ſibi perſvadere? Atqui talis Perſona eſt Chriſtus, DEI Filius; ut liquet clariſſimè. Nam teſtamentum novum, quod eſt medulla ſcripturæ univerſæ, Chriſtum unicè narrat & exaltat: Patris non fit in eo, niſi propter Dominum, qui miſſus à Patre ſuo venit, incidenter quaſi, licet clariſſima mentio; alia Patris opera propria quæ non item ſint Filij, nulla recenſentur. Biblia porrò vetera id figurant, corticèque præferunt; quod Evangelium explicat. Chriſtus igitur verbi ſcripti univerſi argumentum primum, ſummum, pene unicum, DEUS ſit altiſſimus neceſſe eſt. Vos ipſi nobis eo titulo inſultatis Antitrinitarij & Chriſtomachi; quòd in libris priſci fœderis nihil extet clarum de Patre, Filio, Spiritu Sancto, ſive de Trinitate Perſonarum divinarum. Ea profectò quæ de DEO Creatore mundi, de illo Gubernatore, protectore, fine noſtro, Remuneratore bonorum, malorum vindice ſcripta ſunt, Patri ſoli convenire, vos nunquam docebitis; nos & Filio & Spiritui Sancto, æquè ac Patri communia eſſe opera, è verbo DEI, ut patebit oſtendemus perſpicuè. Cur igitur quæſo, de Filio & Chriſto nominatim potiſſimúmque loquuntur omnes Scripturæ? niſi ut ea infigeretur præcipuè mentibus noſtris Perſona divina; in qua & Pater & Spiritus Sanctus cognoſcendus foret, quæ myſterium Trinitatis explicatura, Patrem etiam ac Spiritum Sanctum mundo in hiſtoria ſuiipſius, luculenter repræſentatura erat.

11. Dicunt nihilominùs admiſſis etiam quæ retulimus cunctis, non ſequi Chriſtum eſſe DEUM verum; ſed illius DEI Commiſſarium ut ita dicamus, vel Vicarium & Legatum, vel

inſtrumentum & Præfectum duntaxat ſummum: cui commiſſum ſit à Patre opus, munúsque maximum ſalvandi mundi. Dum proinde redemptio noſtra in veteri præfigurabatur lege; præcellit & in typis illis, & in Evangelio, Perſona Patris Filium; quia major eſt mittens ac mandans, eô qui mittitur & obedit: quia omnis Chriſti Virtus & Gloria in DEUM Patrem, à quo is eam accepit, redundat magis, quàm in Filium Legatum ejus. Hic eſt unicus Adverſariorum Achilles, documentis mille à nobis retundendus, ridiculus, fictitius, contextus totus è peſſimo vocum quarumdam ſacrarum intellectu; è duplicis naturæ in una Perſona Domini unitæ diſſolutione; ex blaſphema corruptione phraſium Spiritûs Sancti, divina modo exprimentis humano, in ſenſu purè terreo acceptarum. Nunc ſingulis ſuum in locum remiſſis, hoc unum dico: ſi Filius DEI miſſus à Patre in mundum taliter fuiſſet; qualiter à ſuperiore inferior, à Principe Commiſſarius, Vicarius, Legatus, inter nos mittitur: ſi taliter is naturam ſuam, & quidquid ut DEUS habet, à Patre ſuo; qualiter homo unus ab alio, accepiſſet: ſi purus denique poſt Incarnationem homo; & non DEUS ſimul homóque verus extitiſſet, obediens ſecundùm naturam ſuam humanam, ſecundùm Divinam unà cum Patre Spiritúque Sancto mandans: ſi hæc inquam à conſtitutione mundi abſcondita, in Chriſti adventu revelata myſteria, vera non forent: quomodo (vos appello Chriſtiani, Judæi, mortales omnes!) Dominum noſtrum ſcriptura tota ita, uti legimus deſcripſiſſet? quomodo DEUS centenis & centenis teſtimonijs, nominibus, prærogativis, operibus tantis ſuper omnia extuliſſet; quanta in creaturam puram, & aliquem extra Numen altiſſimum cadere, nullo modo poterant? Summus eſt gloriæ ſuæ zelotes DEUS; vult unicus adorari, axaltari, amari à toto mundo. *Gloriam meam alteri non dabo*, clamat bis apud Iſaiam: Is. 48. 11. & 42. 8. lege locum utrumque. Non eget Legato, non inſtrumento, non Vicario, non Conſiliario, qui cum gloriam ſibi uni propriam communi-

cet;

cet; cui opera ſua omnium præſtantiſſima committat. Ideò ut ait per Prophetas, nullum extra ſe adhibuit ſocium in creatione; ut ne nos ad illum præ DEO amandum & adorandum converteremur. O quantò major eſt creationis opere mundi Redemptio! ad quam Filius miſſus, cujus causâ eſt ille incarnatus. Non potuit igitur alia Majeſtas eſſe Patris, atque Filij; non alius ille, alius iſte DEUS: ne gloriam ſuam alteri daret; & *laudem ſuam ſculptilibus*, prout addit Is. 42. ubi profectò de ſe, Filióque ſuo Chriſto loquitur DEUS. An verò ignoravit ſapientia infinita, futurum, ut quæ à Domino dicta & acta, quæ de illo ſcripta ſunt, attendens orbis terrarū Sapientia & Sanctitas, & Apoſtoli, & primitiva, & Eccleſia Catholica ſeculorum omnium Chriſtianorum, futurum ut pro vero DEO adoret illum? ut pro iſtius fidei confeſſione ſexcentæ Sanctorum myriades mortem fortiter obeant? ut ipſi Judæi audientes eum, ſibi perſvaſum habeant; quòd homo cum ſit, faciat ſe DEUM? ſi DEUS altiſſimus non eſt; nihil certius, quàm quòd ſit idolum Chriſtianorum, à Judæis juſtè contritum. Huic ergò ſculptili, & ipſi etiam ejus nomini, DEUS mandaverit genu, omne in Cœlo, & in terra, & in inferis flecti? *Ut omnis lingva confiteatur; quia Dominus JESUS Chriſtus eſt in Gloria DEI Patris?* Philip. 2. ſi eſt in Gloria DEI Patris, næ ille idem cum illo DEUS eſt, qui Gloriam ſuam alteri dare non poteſt. Moyſes populum ab idololatria deterrens, toto Deuteronomij capite 4. inter cætera: *Non vidiſtis* ait, *aliquam ſimilitudinem in die, quâ locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, nè fortè decepti, faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem, maſculi vel fœminæ, ſimilitudinem omnium jumentorum, &c. & errore deceptus, adores ea & colas; quæ creavit Dominus DEUS tuus.* Chriſtum JESUM, non tantùm ſimilitudinem, at planè veritatem maſculi, ſi creatura is pura eſt, an in ſpecie tali produxiſſet? an ijs DEUS ipſe coloribus effinxiſſet, ac tantò antè per ſecula omnia præfiguratum oculis noſtris expoſuiſſet; quibus ornatum boni & ſapientes omnes

pro

pro DEO altiſſimo recipere, argumentis omnibus compulſi fuiſſent? Negare Chriſtum, cadere poteſt in cæcas Gentilium; imò & Judæorum obduratas mentes: at ea quæ de illo utriusque fœderis Biblia narrant, admittere; veram nihilominùs ejus Divinitatem inficiari; quemadmodum cadere poſſit in hominem mentis compotem, capere nequeo.

12. Accedit his, differentia ingens vetus inter ac novum teſtamentum. *Lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt.* Joan. 1. Illi ſervi & ancillæ filij, nos liberi, & Filij liberæ: Gal. 4. illi ſub nube, in nocte ac tenebris; nos in luce ac die Rom. 13. exemplaria illi figuræ, umbræ; nos veritas: corpus illi, pœnis, præmijs, Sacramentis, ſacrificijs corporeis gubernati; nos ſpiritus, quem accepimus, nos in aqua & Spiritu Sancto regenerati: legem eorum portari non potuiſſe ajebat Petrus Act. 15. Lex Chriſti, jugum ſvave & onus leve, *non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus* deſcripta: 2. Cor. 3. illi ſub Pedagogo, ut pueri Gal. 3. nos ut viri, ſub Magiſtro Dominóque noſtro. *Cùm eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes; at ubi venit plenitudo temporis, miſit DEUS Filium ſuum, &c.* Gal. 4. Cæremonias & Sacramenta illorum vocat ibidem Apoſtolus, *infirma & egena elementa; de plenitudine ejus non omnes accepimus, & gratiam pro gratia* Joan. 1. Illorum vota & gaudia, terra Chanaan; nobis *appropinquavit Regnum Cœlorum*: illi populus unus, *notus in Judæa DEUS*; in omnem terram exivit ſonus noſter: de nobis & illis ſcriptum eſt: *Magna erit Gloria domûs iſtius noviſſimæ; plus quàm primæ dicit Dominus exercituum* Agg. 2. 10. Ad illos miſſi ſunt ſervi; ad nos Filius: illis promiſſio Salvatoris data eſt; à nobis accepta: in hujus fide, & expectatione venturi, poterant illi unicè ſalvari; *bibentes de ſpiritali conſequente eos petra*, quæ Chriſtus erat: nobis deſideria eorum præſentia, &c. Tamenne redeundum ad Moyſen, clamabis Franciſce David? & introducendos Sabbatarios in mundũ putabitis Anti-trinita-

nitarij? legi antiquæ adhæreſcetis penitùs, evangelici Nominis cupidiſſimi ſectarij? Ergo inquies, tu fœdus priſcum librósque illius repudiabis? non repudiabo: ſed in eis Chriſtum & Sponſam ejus Eccleſiam, mirabiliter ubique prælucentem legam; non literam & corticem, ſed ſpiritum & medullam attendam: contemplabor Moyſem revelatâ facie: mihi erit, *omnia, & in omnibus Chriſtus* Coloſſ. 3. 11. Quid? quòd ſæpè me majore ſpiritûs voluptate perfundit, in Moyſe Prophetísque figuratus Dominus; quàm in ipſa Evangelij luce coruſcans? nam & imago, in veſtigijs, in umbris, in lineamentis primis latens, oculum artis peritum crebrò delectat amplius; quàm proprijs ſuis vivísque coloribus expicta. Quare, ut cujus rei causâ ſunt hæc à me inducta, expromam: Si vera ſunt illa, quæ multi Adverſariorum noſtrorum jactarunt verba; Patrem regnâſſe in veteri lege, in nova regnare Filium & Spiritum Sanctum: videat unusquisque miſeram horum Theologiam; quantò plus tribuant Filio & Spiritui Sancto, quàm Patri? nimirùm quantò cœlum, lux, veritas, ſpiritus, &c. ſuper terram, tenebras, imaginem, corpus eminet. *Ex operibus eorum cognoſcetis eos*: Patrem vos Creatorem, Filium Salvatorem, Spiritum Sanctum Sanctificatorem, unà nobiſcum appellare non dubitatis; Filium igitur & Spiritum Sanctum, majorum operum beneficiorúmque Authorem, uti non anteponendum; ita minimè poſtponendum Patri; DEUM unum in eſſentia, Trinitatem in Perſonis adorandam judicetis ſi ſapere vultis, neceſsè eſt.

IN-

INSTITUTIO II.

Veram Chriſti Divinitatem, docet in primis Incarnatio illius.

I.

PErhorreſcit vel ad nomen Incarnationis Adverſarius. Perhorreſcite juſtiùs Chriſtiani! ad eorum blaſphemiam, qui negare Incarnationem hanc non verentur; qui ubinam vox hæc legatur in Biblijs quærunt. Nonne legis verba illa poplite flexo à fideli populo adorata? *Et Verbum caro factum eſt. Qui cum in forma DEI eſſet; in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Nemo aſcendit in Cœlum; nisi qui deſcendit de Cœlo Filius hominis.* Tribus hiſce phraſibus exprimitur Incarnatio Dominica in ſymbolo fidei, à Concilio Nicæno & Conſtantinopolitano expoſitæ: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et Incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine. Et homo factus eſt.* Secundùm eas probabimus nos Chriſtum, non uti cæteros homines natum eſſe primò, cùm Virgo eum peperit; ſed extitiſſe priusquam in terris naſceretur, veniſſe de Cœlo, carnem & humanam naturam haud amiſsâ formâ ſuâ priore induiſſe: *id quod fuit permanſit; quod non erat aſſumpſit: non commixtionem paſſus, neque diviſionem:* ita mirabile iſtud myſterium, mirabili ſynopſi explicat in feſto Circumciſionis Eccleſia. Duæ fuerunt hæreticorum huic Sanctæ Fidei repugnantium factiones: altera cum Ebione Chriſtum Filium DEI negabat extitiſſe ante Virginem Mariam: altera eum admittebat fuiſſe; at non ab æterno, verùm ut res alias creatum à Patre in tempore; quamvis ante mundi conſtitutionem. Itaque duas in eo creatas naturas conjungebant: humanam quam è ſemine Matris ſuæ accepit; divinam, quam habebat antea, ſed Patri, prout blaſphemabant, non æqualem nec æternam. Sic ſenſit Arius Epiphanio

Hær. 69.

Hær. 69. Auguſtino Hær. 49. Theodoreto L. 4. de hæret. fabulis, teſtibus: cui etiam adſcribit Epiph. Hær. 71. quòd Chriſtum hominem aſſeruerit, non habuiſſe animam; at ejus locum expletum à Verbo, cui ſupervenit humanitas ipſius. Adverſarijs noſtris præ Ario Ebionis hæreſim, quippe audaciorem, arridere ſcio; è libris eorum ſuprà num. 5. in Proœmio allegatis: eóque nomine Arianorum nomen ut opinor, audire nolunt; tametſi ad eum etiam declinare illos, adverti ſæpiùs: quoties videlicet Chriſtum purum hominem, nec ante Virginem Matrem fuiſſe; confiteri palàm vel erubeſcunt, vel extimeſcunt.

2. Primùm igitur oppugnandus Arius. Si fuit, antequam homo factus eſt, in rerum natura Filius; quæro quid fuit? DEUS, an Creatura? tertium nihil datur. Noli mihi dicere, fuit DEUS minor Patre: nam ego te ad Garamantas & Indos ablegabo: Chriſtianis non eſt niſi unus DEUS æternus, & infinitæ perfectionis: quidquid illo inferius; creatura eſt ab illo condita: finita eſt, diſtans haud minùs ab infinita perfectione DEI, quantumcunque ſit ea perfecta; quàm res quælibet in mundo infima. Finiti ad infinitum nulla comparatio. Finita, ut inter ſe ſummè inæqualia; diſtare ab infinito æqualiter, ſapientibus certiſſimum eſt. Fuit igitur Chriſtus tuus ante ſuum adventum in terras creatura pura; & non verus DEUS. Si creatura; qualis? homo ne an Angelus? homo non fuit priusquam conciperetur in utero Virginis; neque Angelus, qui omnes juſſi eum adorare Pſ. 96. Hæbr. 1. plures creaturas rationales quid fingis? Qualis igitur creatura? quando condita? ubi de illius Creatione ſcriptum eſt? *In principio creavit DEUS Cœlum & Terram*: nihil ante illa conditum fuiſſe novimus. Quid fabularis? quid garris? imò blaſphemas in re tanta, extra Verbum DEI; qui nihil à nobis, niſi quod clarè ſcriptum eſt, audire vis? ſi dicas Filium & Spiritum Sanctum, ante omnes Angelos & homines, eſſe in ordine ſupremo rerum creatarum; ordinem illum, eſſe commentum impietatis tuæ, nullo DEI teſtimonio robo-

roboratum, exclamabunt Christiani omnes. Quàm præclarè Sanctus Basil. l. de Spiritu Sancto c. 18. & Sanctus Athanasius serm. 30. cont. Arianos argumentantur! Spiritum Sanctum paritérque Verbum seu Filium, non esse creaturam; quia nusquam nominantur in serie creaturarum: David Ps. 148. tres pueri Dan. 3. invitant creaturas omnes nobiliores ad benedicendum & laudandum Dominum: *Benedicite omnia opera Domini Domino:* de Filio & Spiritu Sancto, cur tacent? cur has duas Personas Divinas solas, vel obscuriùs vel apertè, in eodem cum Patre rerum ordine, ponunt semper scripturæ? ut ex his disputationibus nostris clarè apparebit.

3. At codex Sanctus inquiebat Arius, Filium in personam sapientiæ introductum prædicat creatum, Proverb. 8. & Eccl. 24. Apud Salomonem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum; antequam quidquam faceret à principio, &c.* Quod septuaginta & Syrus, & Chaldæus, & Arabicus legunt. *Dominus creavit me.* Apud Siracidem: *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. v.* 12. *Ab initio & ante secula creata sum* v. 14. Eccl. etiam c. 1. versu 4. *prior omnium creata est Sapientia.* Respondeo 1. cum Patribus Sanctis, qui de textibus his, cum Arianis multùm digladiabantur, sermonem in illis esse jam de Sapientia genita, seu Verbo æterno dicto à Patre; jam de Sapientia eadem incarnata, seu de natura illius humana, verè in tempore creata: quæ ordinata dici potest ab æterno; quia fuit prædestinata decretáque illi unio hypostatica cum persona divina Filij: vi cujus homo ille, futurus esset DEUS. Quare Christus & increatus est quoad personam naturámque suam divinam & æternam; & creatus quoad humanitatem suam: dum dicitur creatus; notari generationem ejus humanam: dum dicitur, *ante omnes colles ego parturiebar* Proverb. 8. *ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*, Eccl. 24. 5. notari generationem Divinam. Certissimum est, in his locis multa de Sapientia ista prædicari, & speciatim quòd æterna sit, quòd Mundum & cuncta

ſta creaverit ; quæ de creatura pura intelligi nequeunt. Quod attinet verba illa, *Dominus poſſedit me.* Proverb. 8. Quæ Septuaginta vertunt ais, *Dominus creavit me*: Non multum de hoc tecum tricabor. In hebræo eſt, teſte S. Baſilio l. 2. cont. Eunomium, Epiphanio hær. 69. Hieronymo epiſt. ad Cyprianum &c. *Dominus poſſedit me* ; id eſt *genuit*, juxta illud Gen. 4. 1. *Poſſedi hominem per DEUM:* utroque námque in loco eſt verbum idem hebraicum : & in priore ſeptuaginta verterunt ἔκτησε, per η, id eſt *poſſedit* ; in poſteriore, ſive in proverbijs, habent fateor ἔκτισε, per ι: id eſt *creavit* : ſed locum eſſe corruptum mutatione levi literæ η in ι, ſuſpicio eſt Hieronymi l. 8. in Iſa. 26 ; quam Bellarm. l. 1. de Chriſto cap. 18. & Cornelius à Lapide pluribus confirmant. Verùm quidquid ſit.

4. Reſpondeo 2dò. cum S. Athanaſio & alijs, verba hæc *creo*, *facio*, *gigno*, ſæpius in ſcriptura confundi: *DEUM qui te genuit dereliquiſti* ; *& oblitus es Domini Creatoris tui.* Deut. 32. 18. *Animas quas fecerant in Haran.* Gen. 12. 5. ſic latini dicunt, *creare & procreare liberos.* Vide doctiſſimum Salmeronem diſp. 21. p. 2. in epiſt. S. Pauli verbi *creo*, ſignificata varia è Biblijs recenſentem. In textibus præfatis τὸ ἔκτισε, id eſt *creavit*, non poſſe in ſignificatione communi, & ſenſu Arianorum accipi, rectè notat S. Cyrillus l. 5. theſauri c. 6. ; ob ea, quæ de Patris ſapientia Filio, tum in locis illis, tum ubique in ſerie ſcripturarum prædicantur. Non enim ex una tali voce, verus ſcripturæ ſenſus eliciendus eſt ſemper ; ſed ex adjectis, & è textibus alijs, quos pro vera Filij divinitate innumerabiles afferre poſſumus. Ergò ſi Filius DEI æternus, dictus eſt interdum *creatus* ; non aliud, quàm *genitus* dici eſt intelligendum. Quid? quòd Athanaſius lib. de Decretis Nicænæ Synodi, ex Dionyſio Romano ſeculi antecedentis Doctore, interpretatur iſthic τὸ ἔκτισε, non *creavit* vel *fecit* ; ſed *præfecit* : ut ſenſus ſit, Dominus in initio præfecit me omnibus operibus ſuis creandis. Roboratur & illuſtratur plurimùm

mùm hæc reſponſio, eleganti Theologóque digniſſimâ ratiocinatione Concilij cujuſdam Catholici Orientalis, apud S. Hilarium, Athanaſij æqualem, in lib. de ſynodis anathematiſmo 5. quam ſequitur Doctor etiam Angelicus lib. 4. cont. gentes cap. 8. & eſt iſta : Productio æterna Filij DEI, jam dicitur generatio, jam creatio: generatio dicitur, ut Filius ſignificetur, ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ; quæ quia in DEO multiplicari nequit, debet ejuſdem in numero, & non in ſpecie ſola, Filius iſte naturæ ac Deitatis eſſe cum Patre ſuo: dicitur creatio, ut ſignificetur productio eſſe perfectiſſima ; id eſt abſque omni mutatione, vel alteratione, vel imminutione Patris: cùm in generationibus humanis parentes magnam patiantur immutationem ſui ac deciſionem ſeminis. Hæc Hilarius cum illo Concilio. *Generationem ejus quis enarrabit ?* eſt illa ſinè ullo in rebus creatis exemplo ; eſt ineffabilis, eſt incomprehenſibilis: qualiter procedat ex perfecto DEO, perfectus DEUS Filius; voce nullâ ſatis explicari poteſt : eâ re jam ponitur in ſcriptura genitus, quô credas recipere illum ſubſtantiam Patris gignentis ; jam creatus, quò ſinè alteratione vel mutatione generantis intelligatur natus, neque nutrimento & augmentatione ſui egens. Utrumque igitur inquit Sanctus Thomas citatus, dicitur : ut ex utroque ſumatur, quod eſt perfectionis ; repudietur verò, quod eſt imperfectionis. Multò minùs autem dici poteſt, ex nihilo creatus ; quæ ſumma foret imperfectio, ſtatúſque proprius creaturarum. Eccleſia interim vetat nos ſapienter, DEUM Patrem, Filij *cauſam*, vel Filium *factum* aut *creatum* dicere ; ne inter tot hæreſes de Patre Filióque impiè ſentientes, ac verbis hiſce peſſimè abutentes, cum illis facere videamur. Cauſam vocamus eam, quæ producit aliquid contingens ; hoc eſt tale, quod poterat non produci, & non eſſe : quæ porrò taliter producta ſunt; ea propriè facta eſſe dicimus: Creatum præterea vocamus ; quod factum eſt ex nihilo : quorum nihil prædicari poteſt de Filio, è ſubſtantia Patris genito; quem

Pater

Pater non potuit, non ab æterno & in æternum generare. *Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus ; ſed genitus*, inquit Symbolum S. Athanaſij. Quod ſi verba hæc in humano ſenſu accipias ; nullum propriè congruit huic ineffabili generationi : at quoniam loquendum eſt nobis infantibus de illa ; eô id Eccleſia vult inſtitui modô, quô & fidem explicare Catholicam, & hæreticis contradicere poſſimus quàm optimè. Atque ad veterum Arianorum delirium revincendum, hæc ſufficiant : nunc ad recentiores Adverſarios noſtros, Cherintum, & Ebionem, & Photinum, ex inferis excitantes, tranſeamus.

5. Locus Primus unde doceo Chriſtum ante Matrem ſuam fuiſſe, verúmque DEUM ab æterno extitiſſe, in tempore poſteà Incarnatum : eſt Initium Evangelii Sancti Joannis ; verbáque nominatim illa : *Et Verbum Caro factum eſt.* Duplex hîc telum contra Chriſtomachos habeo ; utrumque fortiſſimum, & invictum. Alterum eſt occaſio, quâ inductus eſt Joannes ad ſcribendum Evangelium ; & hoc ei prætexendum initium : alterum eſt, hoc ipſum ejus Proœmium. Audi de primo Sanctum Hieronymnm in proœmio in Matthæum. *Ultimus Joannes Apoſtolus & Evangeliſta, quem JESUS amavit plurimùm ; cùm eſſet in Aſia, & tunc jam hæreticorum ſemina pullularent, Cherinti, Ebionis, & cæterorum ; coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de Divinitate Salvatoris altiùs ſcribere : & ad ipſum ut ita dicam DEI Verbum, non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere. Unde & Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, cùm à Fratribus cogeretur ut ſcriberet ; ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto jejuniô, in commune omnes DEUM deprecarentur : quô expletô, revelatione ſaturatus, illud proœmium è Cælo veniens eructavit : In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum : hoc erat in principio apud DEUM.* Hactenus ille. Addit è Metaphraſte aliíſque Baronius Anno

Chriſti 99. Joannem indictô jejuniô, aſcendiſſe verticem montis; & cùm jam opus aggreſſurus eſſet, tonitrua, fulgura, atque terrores eſſe factos; ſicut olim Moyſe in Sina legem accipiente: ac demum tonitrua illa in voces has reſoluta eſſe: *In principio erat Verbum &c.* Eandem hujus Evangelii ſcribendi cauſam & occaſionem tradiderant Irenæus, Epiphanius, & alii omnes, inquit Baronius. Certò Epiphanius hær. 73. Joannem à Domino *Filium tonitrui* nominatum eſſe, cum reſpectu ad Evangelium, quod aliquando ſcripturus erat, memoriæ prodidit. S. Irenæus Apoſtolis proximus lib. 3. cap. 11. *Hanc fidem* inquit, *anuncians Joannes Domini diſcipulus, volens per Evangelii enunciationem aufferre eum, qui à Cherinto inſeminatus erat hominibus errorem.* Cherintus autem, & Ebion Chriſtum eſſe purum hominem docuit ex indubitata veterum traditione: accipe unum è cunctis S. Ignatium hujus ipſius Joannis diſcipulum, in epiſt. ad Philadelphios: *Qui dicit JESUM eſſe purum hominem; ſerpens eſt mentis inops, cognomine Ebion.* Ergo adverſarij noſtri ad primam hæreticorum claſſem reducuntur: quô titulô gloriari etiam non erubeſcunt; vocantes ſe; *antiquiſſimam Evangelicam à* 1500. *& amplius annis, Proteſtantium Eccleſiam:* ùt ſuprà n. 4. in Proœmio attulimus. Ergò contra illos ſcriptum eſt ex inſtituto, Evangelium Sancti Joannis Apoſtoli; cujus ille Initium de cælo ſignis adeò mirabilibus accepit. Quid ad hæc liber Miniſtrorum conſentientium? Quid Enyedinus? multa, & nihil. Cur id ipſum, ajunt, in Evangelio ſuo non poſuit expreſsè Joannes; ut ne ab hominibus diſceremus? vos nè docebitis illum, Spiritúmque Sanctum literas concinnare Cæleſtes? per Eccleſiam ſuam voluit Dominus, in ſcripturis nos intelligendis doceri. At expreſſit hoc ſatis in ſuo quoque Diſcipulus dilectus Evangelio; modò quæ legis, velis intelligere. *Multa quidem* ait cap. penult. in fine, *& alia ſigna fecit JESUS, in conſpectu Diſcipulorum ſuorum; quæ non*

ſunt

ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia JESUS eſt Chriſtus Filius DEI; & ut credentes, vitam habeatis in Nomine ejus: hoc eſt, ſcriptum eſſe illud Evangelium; ut credatis, quia JESUS hic homo quem vidiſtis, eſt ſimul verus DEUS: nec enim Pater alium habere potuit Unigenitum; quàm DEUM verum de DEO vero: nec nos in alterius, præterquam DEI altiſſimi, vitæ noſtræ Auctoris nomine, vitam habere poſſumus. Expreſſit hoc ſatis Evangelium totum Joannis, aquilæ propterea comparati; quo nemo clariùs, nemo ſublimiùs, de Chriſti Divinitate locutus: non tantùm ſi capita ſingula, ùt eſt à pluribus demonſtratum; ſed etiam ſententias ſi penè ſingula illius ſpectes.

6. Veniamus ad fulmen alterum in Chriſtomachos vibrandum; voces illas Sacro-ſanctas: *Et Verbum Caro factum eſt.* Particula & conjungit hæc, cum ijs quæ dicta ſunt; quaſi diceretur: Et Verbum illud, quod erat in principio, & erat apud DEUM, & erat DEUS: Verbum illud, per quod omnia facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil; in quo vita erat, & vita erat lux hominum, & tenebræ noſtræ non comprehenderunt eam: cujus in teſtimonium miſſus à DEO venit Joannes Baptiſta. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt; & mundus Verbum illud non cognovit: in propria venit, & à ſuis non eſt receptum; recipientibus autem ſe, dedit poteſtatem; Filios DEI fieri. *Et Verbum* hoc, de quo iſta præmiſſa, *Caro factum eſt. Caro*, id eſt homo: partem hominis accipit pro toto, & quidem partem viliorem; quò Verbi altiſſimi dignationem infinitam exaggeret, refellátque, veram illius Humanitatem negantes hæreticos. Sic dicitur, *videbit omnis caro ſalutare DEI.* Luc. 3. *non adhæſi carni & ſanguini*: Galat. 1. eodemque accipitur modo nonnunquam anima: *in 75. animabus deſcenderunt Patres in Ægyptum.* Actor. 7. *Et Verbum caro*

 factum

factum eſt : non Pater ; qui nunquam fuit Incarnatus : ſed Verbum , quod erat , ſive dicebatur & generabatur à Patre in principio, ſive ab æterno. Ille Filius DEI, per quem omnia facta ſunt ; *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : ille caro factus eſt ; non converſus in carnem, ut lignum in ignem, aqua in vinum, cibus in ſubſtantiam aliti &c. ; cùm fuerit, ſítque Deus immutabilis : non ceſſavit eſſe id, quod fuit ab initio ; nam Verbum illud, *& caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & Veritatis* : ſed inexplicabili modo aſſumpſit, induens uniénſque divinæ ſuæ Perſonæ, abſque omni ſui mutatione, carnem ac naturam noſtram. *Et Verbum caro factum eſt :* hæc oratio cœlo ac terræ venerabilis, diabolo terribilis, miraculis cœleſtibus præ omnibus DEI eloquijs coruſcans, radix eſt onomatopœjæ vocis hujus ſanctæ, *Incarnatio.*

7. Incredibile dictu, quid non tentaverint Adverſarij, ad hoc totum Joannis proœmium, de quo copioſiùs ſuo loco, & ad hæc præcipuè illius verba producta elidenda : ſacrorum verborum contorſiones miras, translationes à propria ſignificatione in alienam, & quidem remotiſſimam inauditas, totius orationis ac ſententiæ commutationes violentas, verbo impias in quas eruperunt blaſphemias, vel memorare putidum eſt. *Et Verbum caro factum eſt :* τὸ *factum eſt*, quia jugulat ipſos vehementer ; num eludere poſſint examinemus. Socinus & reliqui eorum, malè ajunt poſitum eſſe *factum eſt;* ſed ponendum erat, *fuit.* Nam in græco eſt, ἐγένετο, egeneto ; quæ vox verti poteſt *fuit :* ut indicet Verbum, ſive (ut interpretantur) ſermonem, doctrinámque divinam nobis annuntiatam, nihil præſeferre aliud; nisi Chriſtum Prophetam, carnem fuiſſe. Confirmare id conantur eo, quòd paulò antè ubi legimus, *fuit homo miſſus à DEO* ; idem verbum græcum ſit egeneto, verſum latinè per *fuit* : igitur & hic ajunt *Verbum*

bum caro fuit legendum eſſe. At quæro ex iſtis mirabilibus Interpretibus, num verbum illud græcum, ubique *fuit* & non ſæpiùs etiam *factum eſt* verti debeat? Joan. 2. *Nuptiæ factæ ſunt*, γάμος ἐγένετο, Joannis 1. *Mundus per ipſum factus eſt*, ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Joan. 2. *Aquam vinum factam*, τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον. Quæro cur in loco, de quo diſputamus, interpretes hactenus omnes reddiderunt, *factum eſt*? cur Patres græci, Chryſoſtomus, Cyrillus, & alij linguæ illius ſcientiſſimi? cur Eraſmus ipſe, ac Vatabli verſio, quibus plurimùm tribuitis, exponunt *factum eſt*? Ergo τὸ egeneto in græco, per ſe ambiguum, verti poteſt latinè, jam *eſſe*, jam *fieri*; ſed ex rerum quibus applicatur ſtatu & conditione, quidnam hîc aut illic ſignificet, colligendum. In textu noſtro, nequit ſignificare *fuit*; ſed convertendum erat, *factum eſt*: quia Verbum erat ante carnem, à ſe aſſumptam; imò ante omnem carnem, mundíque creationem: non igitur fuit, ſed fieri cœpit de novo caro; quando Incarnatum eſt. Addunt græci ſermonis prudentes, ſi non *fieri*, ſed *eſſe* Verbum carnem, ſignificare voluiſſet Joannes; non fuiſſe ab eo ponendum, ἐγένετο, ſed ἐγίνετο, vel γινεται: id eſt non dixiſſet fuit, ſed eſt, vel erat: *fuit* enim abſolutè poſitum, dicitur propriè de illo, quod nunc vel non eſt, vel poteſt non eſſe; at Chriſtus Incarnatus, etiamnum eſt, erítque in æternum Homo & caro: quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſſurus. Hinc de Joanne Baptiſta rectè ſcriptum eſt, *fuit homo miſſus à DEO*, quia is tunc, quando Evangeliſta ſcribebat, non mittebatur; ſed fuit miſſus à DEO. Unde ſicut aliquem primò divitem, deinde pauperem, narrare volens, non diceres, in principio erat dives, & fuit pauper: verùm, & factus eſt pauper: ita Joannes, poſtquam præfatus eſt, in principio erat Verbum, & DEUS erat, omnia per ipſum facta ſunt &c.; ſubjungere debuit: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Sunt hæc ſanè tam perſpicua; ut nullis Chriſtomachorum gerris

obſcurari queant. Dicunt non poſſe, rem unam fieri alteram, nisi per mutationem & converſionem in illam; ut cum aqua factum eſt vinum: atqui Catholici eam in Incarnatione mutationem Verbi non admittunt; non igitur Verbum caro factum eſt, ſed fuit caro. Reſpondeo nego 1mam propoſitionem: nam una res fieri poteſt altera, vel per converſionem in eam, ut fit in phyſicis generationibus; vel per aſſumptionem ejus, aut unionem cum illa: taliter paries ex non albo fit albus; materia & corpus noſtrum, fit vivens atque animatum: non quòd in colorem animámque convertitur; ſed quòd color & anima ijs uniuntur. Porrò noveris, Unionis hujus, quâ caro & humanitas in Incarnatione Domini unita eſt verbo, quam nos hypoſtaticam vocamus, nullum dari poſſe par exemplum in rebus creatis. Tandem etiamſi legeres, *Et Verbum caro fuit*; argumento producto æquè convincereris: ſiquidem Verbum illud priùs extitit, mundúmque condidit; quàm caro eſſe cœperit.

8. Poſtremò nomen etiam *caro* in hac principe ſanctiſſimáque Bibliorum omnium ſententia, crucifigere moliúntur. Caro, inquit Georgius Enyedi, nihil hîc aliud ſignificat; quàm infirmitatem & miſeriam. Itaque Verbum caro factum eſt, idem declarat; ac Verbum incidit in miſerias & mortem. Ambroſius Pennaloſa fuſiùs, quàm mereatur conquaſſat hoc ridiculum commentum diſp. 9. cap. 12; in eo immorari nec vacat, nec libet. An verò Verbum in Divinitate ſua pati moríque potuit? debuit igitur, ſi miſerias pro nobis noſtras ſuſtinere voluit, naturam primò miſeriarum capacem in ſe recipere; debuit caro fieri, *ſemen Abrahæ apprehendere*, *per omnia Fratribus ſimilari*, ut ait Apoſtolus Hebr. 2. in fine; ac deinde in ea natura, noſtráque ſimilitudine, in miſerias mortémque ſponte ſua incidere: debuit ab Evangeliſta primò poni, *Et Verbum caro factum eſt*; ac deinde ſubjici:

jici : *Et habitavit in nobis*, hoc eſt in miſerias noſtras mortémque incidit.

9. Locus ſecundus ejuſdem ineffabilis Myſterij documentum non minùs luculentum, eſt illa Pauli oratio, Philip. 2. ℣. 5. & ſeqv. quæ allati Joannis prooemij adeò parallela eſt ; ut vel Evangeliſta Doctorem gentium, vel hîc illum, vel uterque potiùs, quod à Chriſto Spiritúque Sancto in unam eandémque ſententiam hauſerant exſcripſiſſe videatur. Quatuor in partes diſtribuunt ambo univerſam hiſtoriam Dominicam : 1mò. in ſtatum, in quo fuit Chriſtus ante carnem aſſumptam ; de quo Joannes agit primis aliquot verſibus, & Paulus verſu 6 : 2dò. in eum, in quo cœpit eſſe caro & homo ; id Joannes ℣. 14., Paulus 7. explicat : 3tiò. in vitam in carne mortali, & mortem illius ; quæ Paulus ℣. 8. Joannes admirandâ ſynopſi exponit, & *habitavit in nobis* : 4tò. in gloriam reſurgentis. Apoſtolus quoniam ad Chriſtianam humilitatem, ac patientiam exhortabatur Chriſti exemplo Philippenſes ; aptiſſimam præponit ſcopo ſuo præfationem. Textus illius totus eſt ſequens. *Hoc enim ſentite in vobis ; quod & in Chriſto JESU* ; en præfatio ! *Qui cùm in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO* : en ſtatus Domini primus ! *Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens ; in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* : en ſecundus ! *Humiliavit ſemetipſum ; factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis* : en tertius ! *Propter quòd, & DEUS exaltavit illum ; & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen &c* : en quartus ! Eraſmus annotatione in hunc textum, fatetur hanc præcipuam haberi clavam, quâ conficiuntur Ariani ; qui ſolum Patrem, verum eſſe DEUM volunt : ſed pro ſuo mordendi Sanctos, & veteres excitandi ſordes ſpiritu adjicit : *tametſi non video ; quid hic locus propriè faciat adversùs Arianos.* Næ tu Eraſme, ſi voces has, híſque ſimiles complures, in Theologiam cum ſumma te im-

pietate intrudens, non annotâſſes; honeſtiùs multò inter Grammaticos habere nomen coram Eccleſia Chriſtiana potuiſſes!

10. Non animadvertiſti verba illa? *Qui cùm in forma DEI eſſet*: item *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO*? Advertit, ſed forma iſthic, non ſignificat inquit, formam intrinſecam ac ſubſtantialem, ſive naturam & eſſentiam DEI; verùm formam, ſpeciem, figuram exteriorem, quâ propter opera ſua mirabilia, potentiam, ſapientiam, Chriſtus apparebat quaſi DEUS: atque interpretationem hanc Ambroſio in hujus loci commentario, Tertulliano in libris de Trinitate; conatur allinere. At vana ſunt hæc omnia, ſumméque blaſphema. Nam priuſquam formam ſervi acciperet; fuitne, cedò, mirabilium eorum, quæ in Evangelio legimus, operator Dominus? *Qui cùm in forma DEI eſſet; non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens &c.* in qua deinde ſervi forma, fulgebat virtutibus & ſignis. Si forma illa DEI exterior, in gratia tantummodo, doníſque divinis, & operibus Chriſti conſiſtebat; potuiſſetnè is eô ſolô titulô, non rapinam arbitrari, eſſe ſe æqualem DEO? Quid habuiſſet peculiare; quò minùs non modò Prophetæ, ſed & Apoſtoli, majora quàm ipſe patrarât, utì promiſit, miracula facturi, æquales Altiſſimo extitiſſent? Si non fuit in forma intrinſeca, veráque DEI; quæ nequit multiplex, aut major minórque fingi; quomodo per DEUM immortalem! exinanivit ſemetipſum, per id unum; quòd formam ſervi accepit? quòd in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inventus ut homo? priùs legitur ſemetipſum exinaniviſſe, aſſumendo naturam humanam, quæ cum DEO comparata nihil erat; quàm quòd humiliaverit ſe; factus obediens uſque ad mortem. Forma enimverò æqualis DEO, minimè poterat humiliare ſe; obedire, mortem ſubire per ſeipſam; itaque ut hoc faceret, exinanivit DEUS

ſemet-

ſemetipſum, Majeſtatem ſuam divinam nihilo noſtro contexit, formam ſervi accipiens, & apparens habitúſque à mundo ùt purus homo.

11. Quidquid ſit de vi vocis latinæ *forma* ; quæ variè accipi poteſt : vox græca μορφὴ, aut nuſquam aut vix uſquam in ſcriptura pro forma exteriore, ſeu donis & operibus accipitur ; quod patere ajunt Viri doctiſſimi, percurrenti locos omnes. Quare in textu allato Patres univerſi, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus, Cyrillus, Hilarius &c. Ambroſius ipſe lib. 2. de fide c. 4. & epiſt. 47. formam hanc, naturam & eſſentiam DEI exponunt. Quid ? quòd Chryſoſtomus, & Grammaticus græcus, & Bibliorum Interpres Theologúſque mille præſtantior Eraſmis, apud alios quoque ſcriptores græcos, vocem hanc *morphi*, nunquam in ſenſu ab Arianis prætenſo acceptam, auſus ſit confirmare ? Sed argumentum evidenter convincens adverſarios, accipe. Bis hoc in textu ponitur forma ; utrobique vox eadem græca μορφὴ recurrit, quæ lingva origo eſt latini textûs : *Qui cùm in forma DEI eſſet ; exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens.* Tu formam DEI accipis merè apparentem, & externam ; formam ſervi & hominis, intrinſecam ac veram : hæreticorum aliqui formam humanitatis ; alij contrà vobiſcum Deitatis negant in Chriſto veram & intrinſecam : date mihi rogo ex his Pauli verbis diſcrimen ; cur forma DEI extrinſeca & merè apparens, forma ſervi ſubſtantialis & propria debeat accipi ? Profectò Apoſtolus non minora exprimit hîc veræ Chriſti divinitatis documenta ; quàm humanitatis : cùm eſſet in forma DEI, DEO jure ſummo æqualis ; formam ſervi accepit, séque propterea exinanivit : ergo antequam eam acciperet ; non habuit formam ſervi : ergo non erat creatura, cujus eſſentia eſt, eſſe ſervam DEI. Cur igitur, inquitis, non poſuit apertè *cùm eſſet DEUS, & æqualis DEO* ? Dixit & hoc ſæpiùs ; ne plura, Rom. 9. ℣. 5. Cùm ſuper omnia

nia DEUM, benedictum in sæcula nominavit: neque tamen vos creditis. At hâc suâ phrasi, duo nos docuit Paulus: & quòd Christus sit verus DEUS; & quod sit secunda in Trinitate Persona, sive Filius DEI: figura, & imago, forma Patris, secundùm vocum etiam harum latinarum significationem. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus* Hebr. 1. 2. *Qui est imago DEI invisibilis.* 1. Coloss. 15. quòd etiam 2. Cor. 4. 4. repetit. Quid vis ampliùs? dixit, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO:* quibus poterat verbis clarioribus veram Domini Divinitatem exponere? quæ creatura potest esse; justéque se ostentare, DEO æqualem? verùm hæreticorum proprium est, cùm Bibliorum vocibus refragari absolutè apertéque nolint, in quibus omne suum constituunt asylum; sensum earum, quantumcunque clarus sit, pro libito suo pervertere. Si Scriptores divini ijsdem, quibus illi nunc ad suos ut ajunt scrupulos tollendos desiderant, phrasibus usi fuissent; certò & eas ipsas, æque ac nunc has pari artificio in suam hæresim atque impietatem detorsissent.

12. Attendite oro, quàm immani carnificinâ excrucient illud, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO.* Sensum S. Pauli dicunt fuisse istum: Cùm Christus esset quasi DEUS, & appareret similis & æqualis DEO; non arbitratus est rapinam sibi faciendam Divinitatis, & æqualitatis cum Patre; sed potiùs exinanivit seipsum, humilians, obediénsque Patri, usque ad mortem Crucis. Hanc ipsissimam verborum horum interpretationem, confinxerat Maximinus Arianus, à S. Augustino l. 2. cap. 5. relatus & confutatus; vobis ille impius arrisit, præ magno isto Ecclesiæ Doctore. Probant sycophantiam suam, quia particula *sed* adversativa, sensum eum requirit; quæ secundùm Catholicam expositionem ineptè foret inserta. Quid est? si hoc non est, esse non interpretem sermonis, sed corruptorem, novorúmque conditorem Bibliorum? hâc temeritate quidlibet è quolibet textu

xtu ſacro conficias perfacilè. Chriſtus formam ſervi naturámque noſtram induens, non ſuam exinanivit humanitatem ; quàm divinæ perſonæ ſuæ uniendo, ſuper omnes res creatas exaltavit : ſed exinanivit coram mundo Divinitatem ſuam altiſſimã, habitu inventus ut homo, ut unus de nobis : *Et mundus eum non cognovit.* Humiliavit ſe poſtea in carne, obediens uſque ad mortem, non ideò ne crederetur ; ſed ut crederetur, verus eſſe DEUS à mundo : fuit enim moriendo, primus maximúſque Martyr ac teſtis, ut infrà oſtendemus, Divinitatis ſuæ : obedivit præterea & humiliavit ſe DEUS homo factus ; ut nos ſalvaret, ut nos humilitatem & obedientiam exemplo ſuo doceret homines, ſuperbos Deóque rebelles ſemper. Ad argumentum grammaticum à particula *ſed*, in græco ἀλλὰ deſumptum, reſponderunt Majoribus veſtris Patres noſtri græci ac latini : quorum ne plura ſapientiſſima memorem reſponſa ; cum Sancto Auguſtino contra Maximinum citato ; dico breviſſimè : ut ut adverſativa ſit particula illa *ſed* cum ſenſu eam orthodoxeo cohærere optimè : quaſi diceretur *cùm in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO* ; *ſed* eo tamen non obſtante, *ſemetipſum exinanivit* : hoc eſt, licèt in forma DEI & Patri æqualis foret ; ſe tamen demittere ad formam ſervi, & homo fieri non abhorruit : quo ſanè, nulla res infinitum DEI erga nos amorem, ac dignationem declarare poterat ampliùs.

13. Tertulliani liber de Trinitate, non eſt illius ; ut ex ſanctis Patribus docet Bellarminus lib. de ſcript. Eccl. Hieronymus hæretico Novatiano eum adſcribit lib. 2. in Ruffinum, & de ſcript. Eccl. in Novatiano. Idem eſt de Commentario etiam in Epiſtolas Pauli, Ambroſij nomen præferente, virorum doctiſſimorum, non uno ex capite judicium. Scriptum eſt hîc non inficior : Forma DEI quid eſt, niſi exemplum, quod DEUS apparet ; dum mortuos excitat, ſurdis reddit auditum, leproſos mundat &c : quæ verba dum avidè arri-

arripuit Eraſmus; temerè gravitérque lapſus eſt: neque tantùm lutherizare, ſed & arianizare judicatus à ſapientibus: *ova poſuit* inquit Cornelius à Lapide, *quæ novi nuper Ariani excluſerunt.* Interpretationem illam eſſe per ſe, nisi aliter explicetur, omninò erroneam, ſatis liquet è dictis. Vis veram Ambroſij Arianorum hoſtis præcipui audire ſententiam? *Quid eſt* quærit epiſt 47. *in forma DEI*? & reſpondet, *in natura DEI.* Similiter exponit lib. 2. de fide cap. 4. Cæterùm & in illo de Trinitate libro, qui Tertulliano, & in hocce Commentario, qui Ambroſio attribuitur, reperit clara Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 6. teſtimonia; quibus illi orthodoxè nobiſcum de filii æqualitate in natura cum Patre, ſenſiſſe comprobantur. Quare manet inviolata in manibus fidelium clava præcipua textûs hujus; quam pro nominis ſui defenſione Chriſtus Dominus, per Apoſtolum ſuum Chriſtianum Herculem nobis reliquit. Eâ ſicut Patres noſtri contra ſuos; ita & nos contra noſtros Chriſtomachos, fortiſſimi ſemper & invicti erimus. Ex hoc loco inquit Chryſoſtomus, roborari doctrinam omnem fidei de Myſterio Incarnationis; atque unà profligari cunctas ei repugnantes hæreſes. Hîc videlicet Arium cadere; qui Filium Patre minorem aſſeruit: cadere Photinum; qui Filium non formam, ſed energiam Patris eſſe docuit: cadere Sabellium; qui Filium non æqualem Patri ſed unam eandémque cum eo perſonam putavit: cadere Neſtorium; qui duas in Chriſto perſonas poſuit, ut alius eſſet Chriſtus homo, alius Chriſtus DEUS: cadere denique Apollinarem; qui mentem, animámque rationalem, & conſequenter humanitatem Chriſto veram ademit. Hæc ille.

14. Locus tertius, ſunt illa omnia teſtimonia, quibus Dominus, dum in Matris ſuæ utero conceptus fuit, ſe deſcendiſſe de Cælo, & veniſſe à Patre ſuo in terras, ſæpiùs clariſſiméq; confeſſus eſt. Primò in ſermone illo cum ſuis ſecreto, & amiciſſimo, poſt cœnam ultimam Joan. 16. v. 27. & ſeqv.

Vos

Vos me amâſtis, & credidiſtis quia ego à DEO exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum ; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei Diſcipuli ejus : ecce nunc palàm loqueris & proverbium nullum dicis. Ergo ſi exivit à Patre ; fuit apud Patrem, antequam veniſſet in mundum : ſi reditus ad Patrem non fuit metaphoricus & improprius ; nec exitus à Patre. Nullam hîc ijs parabolam, metaphorámque locutus eſt. *Miſit DEUS Filium ſuum* quem ante Luciferum genuit ; *factum ex muliere*, in ſecunda ſua Nativitate, *factum ſub lege : ut eos qui ſub lege erant redimeret ; ut adoptionem filiorum reciperemus.* Gal. 4. 4. *Exivi à Patre* : ſi vis bene attendere ; primam in his verbis, æternámque generationem ejus advertes : & *veni in mundum*, hîc ſecundam, ac temporalem. Secundò, ejusdem Evangeliſtæ caput tertium inſignia veritatis hujus documenta exhibet. Rationem reddens Nicodemo, cur ſibi cæleſtia divináque narranti credendum eſſet ; quia nimirum ſciret ea, & contemplatus fuiſſet, de cœlo deſcendiſſet, & eſſet ibi etiamnum : *Quod ſcimus* ait v. 11. *loquimur ; & quod vidimus teſtamur.* &c. v. deinde 13 : *Nemo aſcendit* (eſt in præterito, ùt patet è Græco) *in Cœlum ; niſi qui deſcendit de Cælo, Filius hominis, qui eſt in Cælo.* Ænigma eſt, inquitis, deſcendiſſe de Cœlo, & eſſe in Cœlo : ſinè dubio ænigma tunc fuit Nicodemo ; ænigma eſt infidelibus ac vobis : hinc Sancti Patres propter duas in Chriſto naturas hypoſtaticè unitas, vocant eum, *Ænigma ſacratiſſimum* : hinc ejus Incarnatio appellatur *Myſterium abſconditum* ; quod nobis per Dominum, Spiritúmque Sanctum, revelatum & explicatum eſt. In eandem ſententiam dixerat : *Ubi ſum ego ; vos non poteſtis venire* Joan. 7. 36. *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit* Joan. 12. 26. *Ubi ſum ego, & illi ſint mecum.* Joan. 17. 24. Eodem capite 3. memorato, v. 31. Joannes Baptiſta de Chriſto : *Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur ; qui de Cælo venit ſuper omnes eſt ;*

eſt ; & quod vidit, & audivit, hoc teſtatur. Tertiò apud eundem Evangeliſtam c. 6. quoties & quàm graviter Dominus hanc eandem phraſim ſuam mundo arcanam, repetijt & inculcavit à verſu 30. uſque ad finem ? *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam ; ſed voluntatem ejus, qui miſit me. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet : Ego ſum Panis vivus qui de Cælo deſcendi. Et dicebant ei : nonne hic eſt Jeſus Filius Joſeph, cujus nos novimus Patrem & Matrem ? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo deſcendi ?* Reſpondens ijs, poſt alia plura repetit : *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi : panis quem ego dabo ; caro mea eſt pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : quomodo poteſt hic nobis, carnem ſuam dare ad manducandum ? Dixit ergò eis JESUS : Amen amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* Occaſio murmuris tanti Diſcipulos ipſos turbantis, duplex erat myſterium ab eo revelatum : primum veræ ſuæ Divinitatis, & Incarnationis ; quam per deſcenſum à Patre in terras manifeſtavit : ſecundum Euchariſtici Convivij à ſe inſtituendi. Advertens utroque mirè ſcandalizatos eſſe auditores ſuos, in neutro ſapientia illa infinita ſermonem ſuum vel leniendum, vel ſtylum mutandum judicavit ; neque ſe metaphoricè, aut impropriè locutum, ut noſtri vellent adverſarii, monſtravit : verùm ſtylô eôdem quæ dixerat repetivit, & multùm confirmavit ; myſteria in ijs latere magna, per totum oſtendens. Mox etenim ad Judæos v. 59. *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit &c :* ad ſuos autem : *Hoc vos ſcandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat priùs ?* Quæ ultimæ voculæ pupugerunt adeò Chriſtomachos ; ut puerilem planè coacti ſint earum comminiſci expoſitionem. Non eſt ajunt locutus hîc de ſua in Cælum aſcenſione, poſt Reſurrectionem futura ; ſed de aſcenſione in locum alium, puta in montem talem in quo priùs fuiſſet. Ad majus Domini ludibriũ Georgius Enyedinus, veluti alter Judas aut Caiphas, inquit :

puta

puta in tergus aſinæ, quam inſediſſet anteà. Chriſtus admirabilem Aſcenſionem ſuam futuram pro exemplo affert; ut credantur ea, quæ præmiſit myſteria: vos ejus verba explicatis, non tanquàm verba DEI, nec tanquàm verba ſapientis hominis: ſed veluti unius de trivio blateronis. Quid memorem monſtrum illud figmenti à Socino, & ejus conſodalibus excogitati? quo, ut allatis textibus acutiùs reliquis obviarent; Chriſtum ajebant raptum fuiſſe in carne mortali, cum Paulo in Cælum; indéque rurſus deſcendiſſe reportatum: ubi eo tempore divina omnia cognoviſſet. Hæccine veſtra illa eſt divini peritia ſermonis? hæc veſtra illa Theologia, quâ reformandam putâſtis Eccleſiam!

15. Huc reſpexerunt alia plurima ſcripturarum utriuſque fœderis oracula: voces illæ præ omnibus ſolenniſſimæ; titulus Domini centies & centies in Evangelicis literis repetitus: *Quem Pater miſit. Sic DEUS dilexit mundum; ut Filium ſuum Unigenitum daret: non miſit DEUS Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Fuit igitur Filius, antequam mitteretur, ac daretur à Patre; antequam naſceretur, diceretúrque paſtoribus ab Angelis: *Natus eſt vobis hodie Salvator.* Huc reſpexerunt vota illa, & Prophetarum Sanctorum deſideria: *Rorate Cœli de ſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra & germinet Salvatorem, & juſtitia oriatur ſimul.* Iſa. 45. 8. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* Pſal. 71. 6. Cujus ſymbolum fuit, *ros deſcendens in vellus Gedeonis.* Jud. 6. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Iſa. 16. 1. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis; & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* Iſa. 19. 20. *Veritas de terra orta eſt; & juſtitia de cœlo proſpexit.* Pſal. 84. 12. Huc reſpexit Sapientiæ liber cap. 18. v. 14. & 15. *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, Omnipotens ſermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus ſedibus, durus debellator, in mediam*

exterminii terram profilivit. Pſalmodus item Pſal. 18. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum ; & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo. Exultavit ut gigas ad currendam viam ; à ſummo cœlo egreſſus ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus : nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Denique Apoſtolus 1. Cor. 15. 47. expreſſiſſimè: *Primus homo de terra, terrenus ; ſecundus homo de cœlo, cæleſtis.*

16. Quid reliqua, poſt hos tres locos præcipuos, Incarnationis Dominicæ in ſcripturis teſtimonia proferam? Illud Pauli ad Iſaiam alludentis Rom. 9. 28. *Verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram.* Illud ejuſdem Hebr. 2. ſub finem: *Nuſquam enim Angelos apprehendit ; ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Illud ejuſdem eodem in capite v. 9. Davidem citantis: *Modico quàm Angeli minoratus eſt ;* qui erat per ſe Angelis omnibus adorandus. Illud Jac. 1. 21. *Suſcipite inſitum Verbum ; quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Verùm his aliiſque præteritis, reticere penitùs Apoſtoli verba non poſſum ; cedro, auro, Electionis vaſe, Spiritu Sancto digniſſima, Chriſtophilis dulciſſima, Chriſtomachis terribilia 2. Cor. 8. 9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri JESU Chriſti : quoniam propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives ; ut illius inopiâ, vos divites eſſetis.* Non ea pluribus explico ; quia Spiritus Sanctus diffuſus in cordibus fidelium, ſuggeret per ſe cuilibet in eorum quolibet meditando, lumen ac ſuavitatem cæleſtem, facultate meâ longè uberiorem. Quid igitur adverſarii? miſer Envedinus reſpondet: *cum eſſet dives*: hoc eſt cùm eſſe potuiſſet, ſi voluiſſet, & à Patre petiiſſet, dives ; ſiquidem Rex fuit Judæorum. At valdè differunt, eſſe divitem, & eſſe potuiſſe. Ubi tu legis, in tota vita ſua Chriſtum fuiſſe opulentum ; cujus regnum non erat de hoc mundo? Poſſeſnè dicere de viro ab infantia omnibus diebus ſuis ſceleratiſſimo ; cùm eſſet bonus, factus eſt malus? nunquam fuit bonus, inquis? verbum tuum reponam : potuit eſſe. A ſtatu opulentiæ, ad

ſtatum

ſtatum paupertatis tranſiviſſe Dominum legis; nos eum ſcimus, ab utero Matris uſque ad crucem fuiſſe pauperrimum; & in eo voluntatem Patris ſui feciſſe ſemper, nec unquam opes ei ab eo caducas oblatas: fuit igitur dives, priuſquam homo factus eſt: ut DEUS, dives; ut homo, pauper. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ DEI!* Quas divitias nunquam ille quidem dimiſit; ſed paupertate noſtrâ ita cooperuit, ut à mundo, dives, ſive DEUS eſſe non cognoſceretur.

17. Ad extremum, Incarnationem Chriſti ſcriptura univerſa teſtatur: quæ clamat, ut patebit copioſiùs, eum verum DEUM eſſe, atque ab æterno fuiſſe; clamat item verum hominem ad nos in carne noſtra veniſſe: id fieri nullo modo potuit; nisi per Incarnationem DEI, nisi per tranſitum ejus aliquando, à ſtatu puræ Divinitatis ad ſtatum theandricum.

INSTITUTIO III.

Chriſtus fuit ille ipſe DEUS, quem Patriarchæ, ac Prophetæ DEUM, Dominúmque Iſraëlis ubique deprædicabant.

I.

DUplicis generis afferemus, ad hoc, in quo vis eſt maxima, probandum documenta: quædam è ſolo vel veteri, vel novo fœdere; quædam ex utroque inter ſe combinato. Primus textus eſt caput Iſaiæ 35. in quo toto venturus Chriſtus prænunciatur. *Ipſi videbunt gloriam Domini & decorem DEI noſtri.* ℣. 2. Rurſus ℣. 4. *Confortamini & nolite timere: ecce DEUS veſter ultionem adducet retributionis; DEUS ipſe veniet, & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum; & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus; & aperta erit lingua mutorum &c.* In fine: *Et redempti à Domino convertentur &c.* Hîc ſermo eſt de DEO Iſraëlis; *Ecce DEUS veſter*: Sermo eſt de illo, non per Legatum ſuum, aut Commiſſarium; ſed per ſeipſum venturo, nóſque ſalvaturo: *DEUS ipſe veniet & ſalvabit vos.* Ab illo Domino redempti ſumus. Eſſe porrò de Chriſto ſermonem, credere debet; qui ei credendum putat. Nam Matth. 11. Cùm à Joanne Diſcipulos ſuos ad ipſum mittente interrogaretur: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? reſpondens JESUS ait illis: Euntes renunciate Joanni, quæ audîſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt &c.* Hoc eſt, juxta Prophetam Iſaiæ, DEUS ipſe venit, ut ſalvet vos. Signa certè ab Iſaia enumerata, quæ paſſim faciebat JESUS; nemo Prophetarum feciſſe legitur. Unde Joan. 15. Dominus: *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit; peccatum non haberent.*

2. Textus

2. Textus ſecundus eſt, Iſaiæ caput 52. quod pariter totum ejuſdem eſt argumenti; ab Eccleſia in Officio Nocturno natalis Domini aptiſſimè prælectum. *Jugiter totâ die Nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus Nomen meum in die illa; quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum. Quàm pulchri ſuper montes, pedes annunciantis & prædicantis pacem! dicentis Sion: regnabit DEUS tuus! Oculo ad oculum videbunt; cùm converterit Dominus Sion. Redemit Jeruſalem: paravit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium; & videbunt omnes fines terræ ſalutare DEI noſtri. Præcedet vos Dominus, & congregabit vos DEUS Iſraël. Sicut obſtupuerunt ſuper te mibi multi; ſic inglorius erit inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Iſte aſperget gentes multas; ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum: quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt; & qui non audiêrunt, contemplati ſunt.* In hiſce verbis, qui Chriſtum deſcriptum non videt; Judæis cæcior eſt: ab Apoſtolo Rom. 15. 21. Rom. 10. 15. Rom. 2. 24. &c. applicantur ei. Ille fuit *Emmanuel, quod interpretatum eſt nobiſcum DEUS.* Ille redemit Jeruſalem: mortuus eſt, *ut Filios DEI, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Joan. 11. 52. Ille, ſicut obſtupuerunt eum multi, ſic poſtea inglorius erat aſpectus ejus inter viros, in paſſione ac morte. Ille aſperſit ſanguine, baptiſmóque ſuo gentes multas: illum viderunt omnes fines terræ, ſalutare DEI noſtri. At Chriſtus iſte taliter deſcriptus, Iſraëlis DEUS fuit altiſſimus; quid certiùs? utitur nomine ineffabili, Jehova; conqueritur blaſphemari nomen ſuum: nominat expreſsè DEUM ſe Iſraëlis; vocátque Judæos populum ſuum: dicit ſe illum ipſum eſſe, qui loquebatur per Prophetas. Scit jam populus ejus, nomen ejus, ſuper omne nomen, in die iſta; nomen videlicet JESU, cui curvandum omne genu, & cujus figura erat nomen Jehova, populo Judæorum ineffabile.

3. Textus tertius eſt, Baruch 3. ubi ſub finem: *Hic eſt DEUS noſter; & non æſtimabitur alius adversùs eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ; & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt; & cum hominibus converſatus eſt.* Quomodo viſus & converſatus? non in ſpecie nubis, ignis, Angelorum &c. ad breve tempus phantaſticè aſſumpta; nam hoc modô tum etiam, cùm inſtruebat regebátque Iſraëlem, ſæpiùs apparuit: verùm formam ſervi accipiens, & habitu inventus ùt homo verus. Ita Patres omnes, etiam vetuſtiſſimi; neque poteſt à Chriſtianis exponi aliter. De libri porrò Baruch authoritate Divina, non vacat iſthìc diſputare: vocare ſimilia in controverſiam, ubi objecto reſpondendum argumento; eorum eſt, qui non habent, quod reponant.

4. Quartus textus. Zachariæ 12. 10. Attende, quæ *dixit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo.* v. 1. *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem, ſpiritum gratiæ & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum, planctu quaſi ſuper unigenitum. &c.* Spiritus hic gratiæ ac precum, affectuúmque piorum erga Chriſtum, effuſus eſt in die Pentecoſtes: quæ negare de Domino crucifixo lanceâ poſt mortem transfixo, ſcripta eſſe, poſt Joannis in hiſtoria paſſionis Dominicæ teſtimonium, impium eſt. Joan. 19. 37. *Et iterum alia ſcriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt.* Ergo DEUS ille, qui Zachariæ 12. loquitur, eſt æque Filius ac Pater. Si per vos Judæi, quos Joannis authoritas non movet, Pater tantùm eſt; docete, ubi & quando is fuit transfixus? ubi & quando planxerunt ſuper eum, quaſi ſuper unigenitum?

5. Quintus textus. Numer. 21. murmurat populus rebellis contra Dominum: *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes &c.* At Sanctus Paulus 1. Cor. 10. inter

ter alia Judæorum ſcelera, quæ recenſet, hortatúrque nos Chriſtianos, ne illos in deſerto peccantes imitemur; cùm ad iſtud murmur veniſſet: *Neque tentemus*, ait, *Chriſtum*; *ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus periêrunt.* v. 9. Ergo illi murmurantes, atque ob id plagis ſerpentum interempti, Chriſtum tentaverunt; & murmuraverunt contra Filium DEI, DEUM Iſraëlis. Adverſarii putant hîc ſe facilè defenſos, dicentes: *ſicut quidam eorum tentaverunt*, ſubaudiendum eſſe, *DEUM Patrem*: quaſi ſcriptum eſſet: non tentemus nos Chriſtum noſtrum; prout ii tentaverunt DEUM ſuum. Sed quæſo teſſeram ſervate; ad quam vos congregaverunt portæ inferi contra Eccleſiam Chriſti: *Verbum Domini manet in æternum:* Illud purum audiendum; nullô additô, nullô demptô verbô. Cur vos additis in re tanta, & ſubintelligi vultis ex cerebro veſtro, ſententiam omnem immutantia verba? Paulus inquit, *Sicut quidam tentaverunt*; & quem tentaverint non adjicit: proinde intelligendus eſt loqui de illo, de quo ſermo præceſſerat: *neque tentemus Chriſtum.* Quid? quòd nisi ejus orationem, ad unum eundémque Dominum ab illis & à nobis tentatum refers; argumentatio illius non eſt efficax? *Hæc omnia contingebant illis in figura*, ſubjicit Apoſtolus, inquis: nihil igitur aſſerit aliud; quàm ne tentemus nos Chriſtum verum, quem illi figuratum tentaverunt. At hoc ipſum eſt, ajo, quo vos planè conficimini. Nam ſi DEI olim altiſſimi opera propria, figura erant Chriſti operantis, nóſque in lege nova regentis; certò Chriſtus non potuit minor, vel diverſus ab illo DEUS eſſe: quando quidem figuræ illæ ad noſtram veritatem, ſunt, ùt eſt evidentiſſimum credentibus ſcripturæ, argumentum à multò minori ad multò majus. Debuit proinde unus idemque DEUS fuiſſe, tentatus ab illis; qui tentatur à nobis: ſed illis velatus, & minora operatus; nobis revelatus, operúmque cæteris à ſe antea factis longè præcellentiorum au-

thor. Tranſylvani (obſervatio eſt præclara Bellarmini) confugiunt hîc ad figuras ideò ; ne cogantur admittere : Chriſtum extitiſſe ante Matrem ſuam ; ſed oleum operámque perdunt. Nam Paulus eodem in capite v. 4. teſtatus erat apertè, Chriſtum Judæis peregrinantibus in deſerto adfuiſſe. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt ; & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt : bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra : petra autem erat Chriſtus.* Manna, & petra materialis, unde aqua prodigioſa fluebat, erant figura Chriſti ; fructus verò ſpiritalis & inviſibilis, quem ſanctè bibentes & manducantes hauriebant, erat verè opus ipſius Chriſti : qui ſecundùm Divinitatem ſuam præſens comitabatur, ſive conſequebatur, alebat, roborabat, è futuris denique ſuis in carne aſſumpta meritis ſalvabat illos. Figuræ illæ gratiam per ſe dare non poterant ; at veritas & petra figurata erat Chriſtus, qui eos in ſpiritu paſcebat. Sic locum hunc interpretantur SS. Patres. Quòd porrò in una petra eſt expreſsè additum ; id in alijs quoque typis Dominicis eſt ſubintelligendum : manna autem, virga Moyſis, ſerpens æneus &c. erat Chriſtus : qui re verâ ùt eorum DEUS alebat, ſanabat, prodigijs maximis propugnabat Judæos.

6. Textus ſextus. Sanctus Judas in epiſtola ſua, v. 5. *JESUS* ait *populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit : Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium ; in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit &c.* Chriſtus igitur quà DEUS liberabat populum ex Ægypto ; caſtigabat eundem peccantem in deſerto : ille damnavit angelos malos in infernum : Sodomam, Gomorrham &c. igne punivit &c. Reſpondent editionem vulgatam iſthic eſſe corruptam ; quia in græco fonte non eſt JESUS, ſed κύριος ſive Dominus. At hoc à vobis non veritatis inquirendæ, verùm argumenti fortiſſimi merè declinandi ſtudiô afferri, patet manifeſtè

nifeſtè : 1mò. non enim eſt novum Doctoribus veſtris, præ textu græco, editioni adhærere vulgatæ. 2dò. editionem vulgatam ſecurè nos ſequi poſſe : totius Eccleſiæ definitione, multorúmque ſeculorum præſcriptione certiſſimum eſt ; quam ſecuritatem de litera græca non habemus. Quid ? quòd græci etiam codices aliqui, *Chriſtum Dominum* habent ? atque ita legunt Syrus, Clemens Alexandrinus &c. 3tiò. quia ſive *JESUS*, ſive *Dominus* legas ; eundem utrâque voce Chriſtum intelligas neceſsè eſt : tum quòd phraſi Evangelicâ, & Apoſtolicâ nomen *Dominus* abſolutè poſitum, non DEUM Patrem, ſed Filium per ſe deſignat, juxta 1. Cor. 8. 6. tum potiſſimùm quòd Sanctus Judas in eo epiſtolæ ſuæ contextu toto, de Chriſto diſſerit : cujus verba vobis objecta, ſi de Patre ſolo acciperes ; diſputationem ejus ad veram Chriſti Divinitatem demonſtrandam inductam, redderes inanem. 2. *ſubintroiêrunt*, ait v. 4. *quidam homines impii, DEI noſtri gratiam transferentes in luxuriam ; & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum JESUM Chriſtum negantes.* Hos ut refellat, ſubjungit : *Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia : quoniam JESUS populum de terra Ægypti ſalvans &c.* in memoriam revocans iis opera notiſſima, maximáque DEI altiſſimi ; quæ Chriſto, ut omnes faciebant fideles, attribuit ; quò doceat illum eſſe DEUM Altiſſimum, contra illos, qui ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum JESUM Chriſtum negabant : quales erant Cherintus, Ebion, Nicolaitæ &c. ut Patres primorum ſæculorum legentibus indubium eſt : totâ ſuâ in eos invehitur Epiſtolâ S. Judas. Accedit, quòd hæc Judæ, tam ſit homogenea epiſtolæ 2dæ Sancti Petri ; ut alter alterum repetere confirmaréque voluiſſe, notatus ſit à Sanctis Patribus : Petrus, caput illius epiſt. 2dùm ſic incipit : *Fuerunt verò & Pſeudoprophetæ in populo ; ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces : qui introducent ſectas perditionis ; & eum, qui emit eos, Dominum negant &c. Si enim DEUS Angelis peccanti-*

bus non pepercit &c. Vide caput illud totum; & Petrum cum Juda fratre Jacobi confer. Quòd hîc objicit Enyedinus, eſt planè lepidum: Chriſtus, inquit, fuit homo, filius MARIÆ, Spiritu Sancto plenus; qui tempore Moyſis, & ruinæ Angelorum non extitit. Reſpondeo rudiſſimæ oppoſitioni: Chriſtus quà Filius hominis, & ſecundùm carnem ſuam tunc non extitit, concedo; quà Filius DEI, & ſecundùm perſonam, naturámque ſuam Divinam non extitit, nego. Nè plura, quæ adduci plurima poſſent ad hoc illuſtrandum: fac Alexandrum Magnum poſt bella geſtáque ſua multa, pro eorum coronide, militum ſuorum gregariorum perſonam & munia, in eorundem gratiam aſſumpſiſſe; nonnè de illo ſe taliter exinaniente, jure poſſes dicere? miles hic Philippi filius eſt, Darium vicit, orbem domuit &c. etiam ſi poſt hæc omnia peracta, miles de grege unus eſſe inceperit.

7. Septimus textus eſt Pſalmus 67. qui totus, ut inquit S. Hilarius, Sacramentis legis & Evangelii eſt contextus: primariò & ad literam agit de Chriſto, cum alluſione tamen ad myſteria, veteris Teſtamenti, & ad homines, quibus pſallebat: quod item de compluribus vel pleríſque pſalmis alijs, Prophetarúmque de Domino vaticinijs dicendum eſt. Celebrat potiſſimùm Chriſti aſcendentis in Cœlos triumphum; cui præmittitur triumphus DEI deſcendentis in montem Sinai ſanctum, ad legem populo ferendam. Ergò v. 18. ſic de DEO Iſraëlis canit: *Currus DEI decem millibus multiplex; millia lætantium: Dominus in eis in Sina, in ſancto. Aſcendiſti in altum; cepiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus.* Quæ poſteriora verba de Chriſto aſcendente in Cœlum explicat Paulus Epheſ. 4. v. 7. & 8. & ita explicanda eſſe res ipſa oſtendit. *Unicuique autem noſtrûm data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti; propter quod dicit: Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus.* Reſpondent

dent Franciſcus Dávid & Blandrata diſp. 5. Albanâ: τὸ *Aſcendiſti in altum &c.* non eſſe de DEO Iſraëlis dictum; ſed mutari ſtylum, eſséque Apoſtrophen Propheticam de Chriſto futuro, atque in Cælum aſcenſuro. Verùm ut quid meditati eſtis inania, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus? ad unum eundémque DEUM loquitur David in toto illo pſalmo: quem jam educentem populum in fortitudine; jam cum eo pertranſeuntem in deſerto; jam ad montem Sina deſcendentem; jam in Cælos aſcendentem, Sanctósque liberatos è Limbo ſecum ducentem; jam Spiritum Sanctum, donáque per illum nobis diſtribuentem deprædicat: quæ cuncta in unam, eandémque convenire perſonam nunquam poterunt; nisi Chriſtus quà Filius DEI ſit unus idémque cum DEO Iſraëlis DEUS. Gratis hîc & ex cerebro tantùm tuo fingis de duabus eſſe perſonis naturâ diſtinctis ſermonem. Pſalmum attende totum: Incipiens à Chriſto, quoties eum vocat DEUM? *Exurgat DEUS. Cantate DEO, qui aſcendit ſuper occaſum*; *Dominus nomen illi: qui educit vinctos in fortitudine &c.* Vix verſus eſt, in quo id non deinceps reperies. *DEUS noſter, DEUS ſalvos faciendi. Regna terræ cantate DEO, pſallite Domino, pſallite DEO: qui aſcendit ſuper Cælum Cæli ad orientem &c.* Lege quæ Paulus verbis modò allegatis Epheſ. 4. adjicit: *Quòd autem aſcendit, quid eſt, nisi quia & deſcendit, primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes Cœlos.* Deſcenderat per figuras in veteri Teſtamento, ut loqueretur nobis; deſcendit poſtremò per animam ſuam in inferiora terræ; ut inde amicos ſuos vinctos educeret: debuit qui toties gloriosè deſcendit, aſcendere glorioſiſſimè. Sanctus Hieronymus & Theodoretus in hunc pſalmum notârunt, Davidem de induſtria ſignificare voluiſſe, unum eundémque fuiſſe, qui deſcendit olim in montem Sina coram Judæis; & qui poſtea in Cœlum aſcendit coram Apoſtolis.

8. Textus

8. Textus octavus eſt, ex pſalmo 96. & ex pſalmo 101. deſumptus. Ibi habetur : *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia ; & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Adorate eum omnes Angeli ejus. Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram ; nimis exaltatus ſuper omnes Deos.* Hîc autem v. 26. *Initio tu Domine terram fundâſti ; & opera manum tuarum ſunt Cœli. Ipſi peribunt &c.* Quæ ſinè ullo dubio de DEO Iſraëlis altiſſimo ſcripta ſunt : & tamen à Sancto Paulo utrumque Chriſto abſolutè clariſſiméque tribuitur Hebr. 1. capite. Ubi Apoſtolus Chriſtum, quem paulò minùs minoratum ab Angelis, in ſua ſcilicet Incarnatione, dixerat ; probat eſſe majorem Angelis, his inter cætera duobus Pſalmodi teſtimonijs præfatis. Lege caput illud totum, ac præcipuè v. 6. 10. 11. 12. Hoc argumentum, ſi Paulo fidem habetis, eſt prorſus inſolubile. Neque vim illius in eo tantùm pono ; quòd adorandus ab Angelis, & Creator ſit Cœli ac terræ Dominus JESUS, ac proinde neceſſariò DEUS altiſſimus habendus : ſed in eo inpræſentiarum vel maximè, quòd aſſerat Apoſtolus, Davidem, dum cecinit in allatis pſalmis, DEUM Iſraëlis adorandum eſſe ab Angelis, & ab illo fundatum Cœlum ac terram, non de alio DEO quàm Chriſto locutum eſſe. Quæ contra iſta garriunt adverſarii ; verè nullius ſunt momenti. Multa eſſentialia in pſalmis, libríſque Prophetarum, ex quibus viâ eâdem Chriſti Divinitas altiſſima rectè conficiatur ; indubium eſt : ſed vel eorum non meminerunt perſpicuè ſcriptores Evangelici, quos habemus ; vel ad revincendum Chriſtomachum pertinacem, non ſunt tam clara nobíſque certa, quàm ea, quæ producimus. Ex his porrò, quæ certiſſima ſunt, ratiocinandum eſt etiam de reliquis.

9. Textus nonus eſt, Iſaiæ caput 6. totum. In prima ejus parte, videt Propheta Majeſtatem & gloriam Domini DEI Exercituum ; audit ter ei *Sanctus* concini à Seraphinis. In ſecunda mittitur à DEO illo ad populum excæcandum,

&

& obdurandum: id eſt ad prædicandam ijs cæcitatem, atque obſtinationem ipſorum. Nuſquam in Biblijs Majeſtas DEI altiſſimi exprimitur diſertiùs. Atqui DEUS ille, quem Iſaias tum audiebat, & videbat, à quo mittebatur, cui obſtinatè repugnaturi erant Judæi, Chriſtus fuit. Non credis hoc? Aſſeverat ipſe Dominus; aſſeverant Apoſtoli & Evangeliſtæ Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Joan. 12. Actor. 28. Rom. 11. Obſerva præ omnibus Joannem ℣. 37. *Cùm autem tanta ſigna feciſſet, coram eis; non credebant in eum: ut ſermo Iſaiæ impleretur, quem dixit &c.* bis deinde citat Iſaiam; 1mò. caput illius 53. iterum caput hoc 6. de quo nobis eſt ſermo; quod exponens ſubjungit Evangeliſta ℣. 41.: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo*, nimirùm Chriſto. Non eſt, quod quidquam addam: nullius enim gloriam vidit ibi Propheta, de nullo alio locutus eſt; nisi de DEO Iſraëlis, Domino DEO exercituum: quem proinde patet evidenter ex Joannis Evangelio, reliquíſque locis allegatis, eſſe Chriſtum. O documentum veræ Domini noſtri Divinitatis, vel Princeps, vel nulli ſecundum! At cur triſagion id eſt ter *Sanctus* canebant ibidem Angeli DEO altiſſimo? dico ſemel atque iterum Patri & Filio, duabus perſonis divinis: Patrem tu non negas; Filium æquè ibi viſum & ſanctificatum Joannes ait: tertiò dico Spiritum etiam Sanctum, perſonam Divinam tertiam adfuiſſe, *ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum*: Paulus enim Actor. 28. ſuæ ad Judæos Concioni, Romæ in libera cuſtodia, verbum hoc unum addidit ℣. 25. *Quia bene Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis &c.* Ergo canticum illud Angelorum à Chriſto & Apoſtolis explicatum, in hanc eſt intelligendum ſententiam; *Sanctus* Pater, *Sanctus* Filius, *Sanctus* Spiritus Sanctus *Dominus DEUS Exercituum. Plena eſt omnis terra gloria ejus*: quæ cantat illi: *Gloria Patri, & Filio, Spi-*

& Spiritui Sancto. Hoc triſagion repetit rurſum Joannes Apoc. 4. Ubi viſionem ejuſdem geminam narrans, vidit, & audivit quatuor animalia die ac nocte abſque requie dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Omnipotens; qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Quis eſt ille Dominus DEUS Omnipotens venturus; nisi Chriſtus, qui & venit jam ad redimendum, & veniet ſecundò ad judicandum mundum?

10. Textus decimus Iſaiæ 8. 13. *Dominum exercituum, ipſum ſanctificate: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter; & erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël; in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur &c.* En hunc ipſum Dominum exercituum, qui omnium etiam Judæorum conſenſione DEUS ſummus Iſraëlis eſt, Spiritus Sanctus per os Petri, Pauli, Matthæi, Lucæ, ait Chriſtum eſſe; qui lapis angularis, & pretioſus dicitur etiam cap. 28. 16. Iſaiæ: quem reprobaverunt ædificantes, ùt prophetaverat David Pſal. 117. ℣. 22. Videatur Petrus 1. Petr. 2. à ℣. 4. uſque ad 10. Paulus Rom. 9. à ℣ 32. uſque ad finem. Audiatur ipſe Dominus Matth. 21. poſt parabolam de filio à vinicolis occiſo, ſub finem capitis: *Nunquam legiſtis in ſcripturis? Lapidem quem reprobaverunt ædificantes; hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud; & eſt mirabile in oculis noſtris.* (Pſal. 117.) *Ideò dico vobis: quia auferetur à vobis regnum DEI; & dabitur genti facienti fructus ejus: Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum &c.* Hoc idem prophetabat Simeon de illo puero Luc. 2. 34.: *Et dixit ad MARIAM Matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur:* ubi certò alluſit ad Iſaiæ vaticinium, quod attulimus. Demùm, *hic eſt lapis* inquit Petrus Actor. 4. 11. ad Principes Sacerdotum

verba

verba faciens : *qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus ; qui factus eſt in caput anguli : & non eſt in alio aliquo ſalus &c.* Hoc telum ſi manu peritâ torqueatur, proſternet omninò adverſarium.

11. Undecimus textus eſt Iſaiæ 40. caput integrum. Tractatur ibi de Cyro & Judæis à captivitate per eum liberatis, ita, ut ſub ſchemate illo Chriſtus re verâ & non alius intelligi poſſit præmonſtratus. *Conſolamini, conſolamini populo meus, dicit DEUS veſter*: hoc eſt, Chriſtus DEUS Iſraëlis, cujus typus erat Servator humani generis Noë, ſive conſolator appellatus : qui poſt ſuum à nobis abitum miſit Paracletum alium, ſive Conſolatorem Spiritum Sanctum ad nos. Ita duplex illud *conſolamini*, explicant S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius &c. At quæ iſta conſolatio ? *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini ; rectas facite ſemitas DEI noſtri &c.* Hæc & ſequentia DEO Iſraëlis Iſaias ; quæ omnes quatuor Evangeliſtæ Chriſto advenienti, & Joanni Baptiſtæ Præcurſori ejus attribuunt. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 1. Joan. 1. Pergit Propheta : *Dic civitatibus Juda : Ecce DEUS veſter ! Ecce Dominus DEUS in fortitudine veniet ; & brachium ejus dominabitur : Ecce merces ejus cum eo ; & opus illius coram illo. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet : in brachio ſuo congregabit agnos ; & in ſinu ſuo levabit : fœtas ipſe portabit &c. Quis adjuvit Spiritum Domini ? aut quis Conſiliarius ejus fuit, & oſtendit illi ? cum quo inijt conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam juſtitiæ ? &c.* Ergò ſicut nec in creatione, ita nec in reparatione mundi, per ullum alium à ſe diſtinctum legatum, adjutorem, Conſiliarium ſuum, qualem faciunt Adverſarij Chriſtum, condidit, redemítque nos Dominus noſter ; ſed per ſemetipſum unum.

12. Textus duodecimus eſt, Iſaiæ caput 45. veritatis ejuſdem teſtis non minùs locuples. Duas, præteritis aliis, noto inde ſententias. Prima eſt ℣. 14 : *Hæc dicit Dominus :*

Labor

Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, téque deprecabuntur: tantùm in te eſt DEUS, & non eſt abſque te DEUS: verè tu es DEUS abſconditus, DEUS Iſraël Salvator. En verba Domini Deíque altiſſimi! En verba, non ad Cyrum reipsâ, ſed in ſpiritu & veritate ad Perſonam Divinam, Deúmque Iſraëlis altiſſimum, hoc eſt ad Chriſtum prolata! ùt patet manifeſtè. Sunt igitur hæ duæ perſonæ Pater & Filius, unus idémque DEUS: quod ipſum in multis aliis pſalmis, & Prophetarum Oraculis eſt perfacilè obſervare. Secunda eſt ℣. 23. Dicit idem Dominus: *Ego DEUS, & non eſt alius. In memetipſo juravi; egredietur de ore meo juſtitiæ verbum, & non revertetur: Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua &c.* Quiſnam ſit ille DEUS, explica tu Vas electionis Spiritu Sancto plenum. *Omnes ſtabimus* inquit Rom. 14. 10. *ante tribunal Chriſti. ſcriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu; & omnis lingua confitebitur DEO.* Adverte ſapientiſſimam Pauli ratiocinationem: Debemus ait omnes comparere in tribunali extremo Chriſti; ut impleatur, quod ſcriptum eſt Iſa. 45: *Mihi curvabitur omne genu.* Quod enim nunquam factum eſt, nec fuit; ibi conveniet omnis creatura rationalis: ibi poterit flectere genu, flectétque Judici, Creatori & Redemptori ſuo: ibi omnis lingua jurabit, & confitebitur juſtitiam ejus. Quàm vanum eſt reſponſum Franciſci Dávid huic loco datum, diſp. 8. Albanâ! Curvari ajebat omne genu Chriſto, non quia ſit is DEUS Iſraëlis verus, Iſa. 45. productus; ſed quia DEUS exaltârit hominem illum, dederítque Nomen ei ſuper omne nomen, id eſt nomen Jehova: *ut in Nomine JESU omne genu flectatur &c.* Philip. 2. Erras miſer duplici titulo graviſſimè: primò quòd Paulus citatus, non ſolùm ait, Chriſto genu omne flectendum, ùtì ad Philippenſes 2. ſcripſerat; ſed addit ſcriptum eſſe à

Prophe-

Propheta, DEUM Iſraëlis prædixiſſe jure jurando, eum honorem ſibi & non alteri tributum iri. Quæſo te, quando aliàs ante Dominum in terras deſcendentem & ad judicandum venturum, vel etiam poſteà genu omne DEO Iſraëlis curvatum? Erras ſecundò, quòd à Patre Nomen JESU ſuper omnia exaltandum & adorandum, eô modô putas datum Filio; quô Monarchæ cum Vicarijs ſuis honores interdum ſibi debitos communicant; ſinè quibus Regnum ſuum ſalvum conſervare illi non poterant. DEUS nullius egens auxilii, cultum ſuum proprium nulli alteri extrà ſe dedit, dat, dabit; ùt apud hunc ipſum Iſaiam non ſemel confirmavit: *Gloriam meam alteri non dabo.* Et in hoc ipſo loco: *Ego Deus, & non eſt alius. Quis adjuvit ſpiritum Domini?* ajebat in textu præcedente.

13. Decimus tertius textus eſt Iſa. 41. 4. *Ego Dominus: primus & noviſſimus ego ſum.* Iſa. 44. 6.: *Hæc dicit Dominus, Rex Iſraël, & Redemptor ejus, Dominus exercituum. Ego primus & ego noviſſimus: & abſque me non eſt Deus &c.* Iſa. 48. 12.: *Audi me Jacob, & Iſraël, quem ego voco: Ego ipſe, ego primus, & ego noviſſimus. &c.* Eſſe primum & eſſe noviſſimum, hoc eſt ex eſſentia ſua eſſe ab æterno, & in æternum, & præterea eſſe principium & finem rerum omnium; negabiſne ſummum DEI altiſſimi eſſe attributum? Sed Joannes Apoc. 1. 8. id elegantiſſimè ac perſpicuè de Chriſto prædicat: *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis; dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt Omnipotens.* Paulò infrà ℣. 17.: *Noli timere; ego ſum primus & noviſſimus: & vivus, & fui mortuus: & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum; & habeo claves mortis & inferni.* Repetitur idem Apoc. 2. 8.: *Angelo Smirnæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit primus & noviſſimus; qui fuit mortuus, & vivit.* Item Apoc. 21. 6.: *Et dixit mihi: Ego ſum Alpha & Omega, initium & finis &c.* Et Apoc. 22. 12.: *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm*

cundùm opera ſua. Ego ſum Alpha & Omega, primus & noviſſimus, principium & finis : móxque ſubjungit : *Ego JESUS &c.* Fide digniſſimi prodiderunt Authores, Arianiſmo vigente, quò ſe fideles, non mori Arianos ſed orthodoxos profiterentur, ſepulchris ſuis incidendum curâſſe ; Alpha & Omega : ſignificare volentes phraſi Apocalypticâ, ſe credere Chriſtum eſſe verum DEUM. Quod ſanè indicium eſt non obſcurum, hoc Dominicæ Divinitatis teſtimonium, maximi apud illos fuiſſe momenti. Quid Franciſco Dávid in diſp. Albana 3. & 8. leviùs? De alio primo & noviſſimo, inquiebat is, locutus eſt Iſaias ; de alio Joannes in Apocalypſi : ille de DEO Maximo ; iſte primum & noviſſimum inter homines creatúráſque prædicabat Chriſtum : dicebat enim eum fuiſſe mortuum, & vivere, quod in DEUM cadere nequit. At ô impie! videtur te ardor contradicendi Chriſto, in ſtipitem convertiſſe : non animadvertis in locis Joannis allatis, & humanitatem & Divinitatem veram Chriſti JESU exprimi? ſi ea, quæ de illo ùt homine ſcripſit, addidit ipſe ; num propterea vim iis, quæ de eodem ùt DEO altiſſimo cum Iſaia renunciavit, detraxit? Dominum DEUM Omnipotentem vocavit eum apertè ; qui ùt olim per Evangelicum Prophetam, ità nunc per Evangeliſtam prophetantem, Alpha & Omega, primum & noviſſimum, ſe proclamet. Adjecit fuiſſe illum mortuum, eſſe illum JESUM ; ut credas eundem Iſraëlis DEUM, qui per Prophetas loquebatur formam ſervi accepiſſe, carnem & hominem factum, in carne ſua mortuum, & reſurgentem vivere.

14. Textus decimus quartus eſt Malach. 3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum ; & præparabit viam ante faciem meam.* Quæ verba dicta eſſe à DEO Iſraëlis nullum eſt dubium. Porrò Codices omnes, Hebræus, Græcus, Chaldæus, Latinus, habent *ante faciem meam.* Sed Angelus iſte fuit Joannes Baptiſta præparans viam ante faciem Chriſti : *hic eſt enim,* inquit

inquit Dominus ipſe Matth. 11. 10. *de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam; qui præparabit viam tuam ante te.* Quod etiam Marc. 1. 2. Luc. 7. 27. legimus. De illo Zacharias in Cantico ſuo Luc. 1. 76.: *Et tu Puer Propheta Altiſſimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.* Cujus Domini? abſque controverſia Chriſti: cujus Matrem paulò ante appellaverat uxor ejus Elizabeth, Matrem Domini ſui: de quo cœpit mutus ille, ore ſuo aperto cantare: *Benedictus Dominus Deus Iſraël! quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ*: in quo finivit: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto; Illuminare bis, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent &c.* Ergò certiſſimum eſt ex Malachia & Evangelio, quòd Joannes Baptiſta miſſus ſit à DEO Iſraëlis; ut præparet viam ante faciem illius ejuſdem Iſraëlis DEI Altiſſimi, per Malachiam loquentis, hoc eſt Chriſti. Si quæras, cur apud Prophetam legitur, *præparabit viam ante faciem meam*; Chriſtus autem & Evangeliſtæ, verba eadem ita citant; ut alia ſit perſona, quæ mittit Joannem, alia cujus ante faciem præparabit is, viam ejus? Reſpondeo certum eſſe debere, nec Dominum DEO Iſraëlis per Prophetam loquenti, nec Evangeliſtas Malachiæ contradixiſſe; idem ab utriſque, ſed ſtylô non nihil mutatô dictum ſcriptúmque. Apud Malachiam DEUS mittens Joannem, & addens; *qui præparabit viam ante faciem meam*, ſubintelligendus eſt, formaliter eſſe Filius DEI; cujus Incarnandi præcurſor erat futurus Joannes: tametſi re verâ tota Sanctiſſima Trinitas miſit eum ad parandam viam Chriſto Domino. *Facies* ſive natura Divina Chriſti, eſt natura divina Patris, totiúſque Sanctiſſimæ Trinitatis: juxta illud, *ego & Pater unum ſumus, ego in Patre & Pater in me eſt.* Poſitum igitur eſt *ante faciem meam*; ut advertas credáſque tu Deitatem Chriſti non eſſe à Divinitate Patris diſtinctam: apud Evangeliſtas verò Judæis loquens Dominus non dicit

apertè miſſum à ſe Joannem ; ne arrogantiæ inſimularetur ab illis : verùm id attribuit & appropriat modeſtiæ causâ Patri ſuo, quaſi ad Filium dicenti : qui præparabit viam *ante faciem tuam.* Atque hic mos loquendi, ùt eſt obſervatu facilè, penè ſemper ſervatus in diſputando cum Judæis, à Domino ; ſua omnia, etiam quæ communia erant toti Divinæ Trinitati, aſſignante ac tranſcribente Patri. O inſigne documentum Divinitatis Chriſti ! quòd & Filius poſſit dicere: Mitto Joannem, qui præparabit viam ante faciem meam, ſive ante me ; & Pater ad Filium : Mitto Joannem, qui præparabit viam ante faciem tuam : per quod facies utriuſque, ſive Divinitas, eſſe una eadémque demonſtratur.

15. Textus decimus quintus, ſit lex in monte Sina lata : opus DEI Altiſſimi longè maximum in veteri Teſtamento ; quô ipsô fuit illud antiqvum fœdus, DEUM inter populúmque conſtitutum. Hanc legem & hoc fœdus in Sina promulgatum, docet S. Paulus multò inferiùs fuiſſe ; lege ac teſtamento novo in Sion promulgato. Docet iterum legem utramque, tum illam, tum iſtam, ab uno eodémque DEO eſſe latam. Neque aliter fieri potuiſſe cenſendum eſt: quomodo enim DEUS Maximus, qui gloriam ſuam alteri non dabit, id quod eſt minùs, & quod erat mobile ac transferendum, ſervâſſet ſibi ; quod autem longè perfectiùs atque immobile futurum, reliquiſſet Nomini exaltando Chriſti, ſi Filius (ùt vos blaſphematis) à Patris Divinitate diſtinctus, puráque creatura fuiſſet? Videatur Apoſtolus Hebr. 12. à ℣. 18. uſque ad finem. Si dicas legem veterem per Angelum apparentem, ùt colligitur è ſcripturis, tradúntque interpretum Catholicorum doctiſſimi ; mediatore Moyſe, à DEO Altiſſimo latam eſſe : Chriſtum proinde in lege nova ferenda, ſucceſſiſſe Angelo illi ac Moyſi mediatori, tanquam figuris ſuis ; non autem DEO Legislatori. Reſpondeo, Dominum noſtrum eſſe quidem Mediatorem, inter DEUM & hu-

humanum genus, à Moyſe Angelóque illo præfiguratum; de quo Myſterio pluribus infrà: ſed ſimul, utì verum Mediatorem, ita verum etiam DEUM ac Legislatorem, ab eo, qui Legis Moſaicæ author primus fuit, indiſtinctum neceſſariò confitendum. Ne plura: memineris prædictum à Prophetis, quòd ille ipſe DEUS, qui olim per Angelos ſervósque ſuos loquebatur hominibus; venturus ſit ad nos, converſaturus nobiſcum, in terris videndus, oculos noſtros viſuros Doctorem & Præceptorem noſtrum: proinde non eum purum hominem, ſed DEUM, hominémque ſimul futurum; atque illum ipſum DEUM, qui legem in monte Sina ſcripſit Iſraëli; noſtrum quoque multò præſtantiorem futurum Legislatorem. Paulus citatus vocat Chriſtum ℣. 22. & ſeq. *DEUM viventem, judicem omnium Deum, Teſtamenti novi Mediatorem JESUM: cujus vox movit terram tunc* (in monte nimirum Sina legem priſcam dictantis, terribilem eum reddendo, terræ motu Pſal. 67. 10., fragore ingenti, fumo & igne &c. vide promulgationem Decalogi Exod. 19. & 20.) *nunc autem repromittit dicens:* per Aggæum Prophetam. *Adhuc ſemel, & ego movebo non ſolùm terram, ſed & Cælum. Quòd autem adhuc ſemel dicit; declarat mobilium translationem, tanquam factorum; ut maneant ea, quæ ſunt immobilia*: id eſt Teſtamenti veteris, tanquam tenebrarum die facto evaneſcentium translationem in legem gratiæ, novam & immobilem. Concludit: *Itaque regnum immobile ſuſcipientes &c.* Aggæi, quem citavit, Prophetæ verba ſunt cap. 2. 7. *Hæc dicit Dominus Exercituum: Adhuc unum modicum eſt; & ego commovebo Cælum & terram, & mare & aridam: & movebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus; & implebo domum iſtam gloriâ: dicit Dominus exercituum.* Hoc eſt: adhuc ſemel, adhuc modicum eſt; & feram ſecundò legem populo meo: & tunc veniens deſideratus cunctis gentibus, movebit Cælum deſcendens inde in terram; Cœlitibus annuncianti-

bus eum naſciturum, natum adorantibus: movebit terram in morte ſua; mare in vita, imperans illi: Gentes demùm omnes per Apoſtolos ſuos ad ſe ipſum attrahens. Rumina potiſſimùm verba illa: *Cujus vox movit terram tunc; nunc autem repromittit dicens: adhuc ſemel, & ego movebo &c.* Quis obſecro poſſit Pauli & Aggæi ſermoni credens, vel eum intelligens, negare Legislatorem noſtrum Chriſtum, Iſraëli quoque legem in Sina per Moyſem Mediatorem dediſſe?

16. Plurima poſſent adduci ſimilia; neque iſtis minora, Chriſti veri DEI, creantis, regentis, docentis, ante ſuam Incarnationem, mundum & Iſraëlem documenta: quæ unuſquiſque ſcripturas veteres piè doctéque ſcrutans, perfacilè obſervabit. Complura eorum in ſequentibus recurrent exponenda. Ubicunque de Chriſto venturo in Biblijs eſt ſermo; & rogo, ubi non eſt? ſi vel maximè ſcriptores Evangelicos illis intelligendis adjungas: ubique penè Chriſtus, DEUS eſſe Altiſſimus oſtenditur. Neque te conturbet, quòd in locis ijs addatur paſſim repræſentato Domino noſtro, perſona etiam alia de illo, vel cum illo ſermonem habens; quæ par ei, vel fortaſſe primâ fronte videatur tibi eſſe major eo; exempli causâ: *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis &c.* nam per id pluralitas Perſonarum Divinarum, Pater nempe ac Filius, exhibetur à Prophetis; qui Filium Patre abſolutè inferiorem nunquam faciunt: ſed certum habe, vel eos loqui tantùm, de natura illius humana; quam ab eo aſſumendam prophetant, & cujus myſteria explicant: vel humanis loquendi modis ſignificare velle; perſonam ſecundam Filium procedere, generaríque à perſona prima Patris. Hæc æterna Filij à Patre generatio, nihil derogat æqualitati ejuſdem, & conſubſtantialitati cum Patre; nec hunc majorem, nec illum naturâ poſteriorem conſtituit: ùt ſuo loco declarabimus copiosè: quoad carnem verò naturámque ſuam humanam, Chriſtum Patre ac Spiritu Sancto, séque

que ipſo quà DEO vero, credimus omnes eſſe minorem. Quæ ita ſe habere, inde quoque colligis evidenter; quòd in iiſdem textibus, prædicentur multa de Chriſto, quæ non eſſe illum puram creaturam, verùm DEUM altiſſimum humanitate veſtitum, manifeſtant perſpicuè. Tu noli, ſi Chriſtomachus, & amens audire non vis, ea ſola in illo attendere; quæ ſunt humana, & DEO inferiora: ſed illa pariter, quæ divina, & æqualia ſunt Altiſſimo: qualia occurrent tibi ubique, in iis ipſis etiam locis, de Chriſto Domino legenda innumera.

In exemplum & confirmationem horum, operæ pretium hîc erit pſalmum perbrevem octavum, paucis explanare: quem centies & centies legenti, nunquam fateor mihi venit in mentem, cogitare; quòd aliquid in eo, de Chriſto DEO Incarnato canatur: at ubi paucos ante annos cœpi accuratiùs cum Evangelio eum componere; vidi manifeſtè ſummâ meâ voluptate, totum eſſe præconijs Chriſti divinis, Deóque uni congruentibus contextum. Magnitudinem DEI, & ab eo collata homini beneficia extollit pſalmus ille, in ſenſu primo literali; at in ſecundo & allegorico, ſed æquè certo, atque à Spiritu Sancto præcipuè intento, loquitur de Chriſto, & DEUM illum deſcribens & hominem. Incipit finítque verbis ijſdem: *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra*? Ut credas argumentum pſalmi eſſe per totum, ad DEUM altiſſimum Iſraëlis magnificandum directum. Mitto, quòd repetendo Dominum, *Domine Dominus noſter*, Patrem & Filium ejus Chriſtum, Dominum noſtrum, videatur ſapientibus indicare; ante cujus adventum legémque promulgatam non fuit Nomen DEI admirabile in univerſa terra magnificatum. Mitto, quòd quærendo, *Quid eſt homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Chriſti de Cœlo in terras ad nos deſcenſum, & Incarnationem illius admiretur: in qua præ omnibus operibus ſuis, viſitavit nos propriè DEUS æternus; de qua Zacharias

in cantico ſuo : *Benedictus Dominus DEUS Iſraël! quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ* : rurſus infrà : *Viſitavit nos oriens ex alto* : quæ viſitatio merebatur ſanè mirationem illam Prophetæ : *Quid eſt homo?* Veniamus ad clariora & certiora. Primò ad illum DEUM, cujus admirabile eſt Nomen in univerſa terra, dicit Pſaltes ℣. 3. : *Ex ore infantium, & lactentium, perfeciſti laudem ; propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem.* Hæc verba citat Chriſtus, ac de ſe ſcripta exponit ſub finem vitæ ſuæ Matth. 21. ℣. 15. & ſeqv. *Videntes Principes ſacerdotum & ſcribæ, mirabilia quæ fecit ; & pueros clamantes in templo, & dicentes : Hoſanna Filio David : indignati ſunt & dixerunt ei : Audis, quid iſti dicunt* ? Dominus non ut ſilentium pueris impoſuiſſet, ne videretur gloriæ ſuæ appetens eſſe ; id quod fieri ab eo deſiderabant inimici : ſed, *JESUS autem dixit eis : Utique : nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem* ? non adjicit *propter inimicos tuos, ut deſtruas &c.* ut ipſi pſalmorum peritiſſimi ea verba, ſubintelligerent & ſibi applicarent : ut hanc laudem ſuam, & inimicos ſuos, séque DEUM illum eſſe, qui decantaretur in illo pſalmo, ipſis modeſtè ingereret : quòd perſæpè ſimilibus in occaſionibus, practicatum eſt ab eo. Sancti Patres & Interpretes graviſſimi cenſent, hos pueros Hoſanna Domino in templo acclamantes, nondum per ætatem ſermonis compotes, ſed ex vero infantes, lactentéſque fuiſſe ; ac miraculo divino taliter conclamâſſe. Diſcipulorum turbâ Luc. 19. 39. voce magnâ plaudente illi : *Benedictus qui venit Rex, in Nomine Domini &c. quidam Phariſæorum de turbis dixerunt ad illum* : *Magiſter increpa Diſcipulos tuos : quibus ipſe ait : Dico vobis* : *quia ſi hi tacuerint* ; *lapides clamabunt.* Sic mitiſſimus & humillimus ille Agnus pro nobis immolandus, cum humilitate ſua dierum illorum extrema, voluit Majeſtatem quoque Divinitatis ſuæ lucentem copulare. Credísne, ſi purus homo, juſtus Deóque charus extitiſſet ; quòd

auſus

ausus fuisset verba illa de immortali unicè maximóque DEO scripta, *ex ore infantium & lactentium &c.* sibi attribuere, phrasibus tam solennibus, *utique*, *nunquam legistis*? oppugnantibus se respondendo Principibus Sacerdotum scribísque, id est sapientiæ ac sanctitati Synagogæ? Post mundum conditum usque ad illud tempus, nunquam veriùs ex ore infantium & lactentium perfecit DEUS laudem suam, propter inimicos suos; nunquam scriptura illa impleta est luculentiùs. Neque dicant Christomachi, laudatum esse ore infantium Patrem in Legato suo Christo: nam psalmus ille, quem objecit inimicis Dominus, non de Legato DEI, sed ipsô DEO æternô, & altissimô sermocinatur; Christus sibi suæque virtutis operibus mirandis delatos applausus psalmô illô citatô defendit. Secundò versus ejusdem sextus habet: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*: quæ in sensu primò literali de nobis intellecta, magnam hominis dignitatem exhibent, non nisì modicùm Angelo inferioris: in secundo & allegorico, accipitur hic sextus, & reliqui omnes psalmi versus, totidem verbis citati, ab Apostolo, de Christo: Lege locum elegantissimum Hebr. 2. à ℣. 6. usque ad 15: cujus formam servi accipientis, exinanitionem & Incarnationem intelligit per hæc verba Paulus. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*: Nam DEUS homo factus, naturam verè Angelô minorem assumpsit; exaltatus tamen super omnes Angelos in carne sua, iisque adorandus propositus: ut illo ad Hebr. capite 1. & 2. toto, uberrimè demonstratur. *Eum autem, qui modicô, quàm Angeli minoratus est*; *videmus JESUM, propter passionem mortis, & gloriâ & honore coronatum*: *ut gratiâ DEI pro omnibus gustaret mortem.* Quorum verborum ordinem nonnihil esse inversum; quod non est infrequens in Biblijs, docent interpretes eruditissimi (Vide Cornelium à Lapide) claritatis gratiâ ita legendum. *JESUM autem eum, videmus gloriâ & honore coronatum*; *qui modicô, quàm Angeli minoratus est, propter*

paſſionem mortis : ut gratiâ DEI pro omnibus guſtaret mortem. Hoc eſt : JESUM hunc, qui adeò glorioſus eſt, Incarnatum, hominémque factum eſſe ideò ; ut pati, moríque pro noſtra ſalute poſſet. Chriſtus in paſſione ſua non paulò minùs ab Angelis ; ſed ab omnibus, qui unquam extiterunt hominibus minoratus eſt. *Ego ſum vermis, & non homo ; opprobrium hominum & abjectio plebis.* Pſalm. 21. : In ſua igitur Nativitate minoratus eſt ab Angelis ; quia cùm DEUS eſſet, Verbum caro factum eſt. Homo nec minuitur in ſua natura, nec minoratur per hoc ; quòd homo ſit, humaníſque ſubjectus caſibus : DEUS autem quòd homo fiat ; verè propterea paulò minor ab Angelis, & minoratus in ea ſua natura eſſe atque apparere ; dici poteſt. Tertiò ſeqvuntur in pſalmo ea, quibus præponitur homo cæteris omnibus operibus DEI: *Gloriâ & honore coronâſti eum ; & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus : oves & boves &c.* Quæ pariter de Chriſto ſcripta eſſe, idem Apoſtolus, tum in loco modò allegato, tum 1. Cor. 15. ℣. 26. & 27. confirmat : ipsô Dominô teſtante Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo & in terra.* Nequè tam propriè poſſunt ea de ullo alio filio hominis intelligi. Sancti Patres & Interpretes, hæc apud Pſalmodum Domino noſtro ſubjecta, myſticè non unô diſcriminant modô : præ cæteris placet eorum interpretatio : qui per oves & boves, ſive animalia domeſtica, intelligunt populum fidelem ; per pecora campi, & animantia ſylveſtria, gregem infidelium : per volucres Cæli, Angelos, Beatóſque laudem DEO aſſiduè concinentes ; per piſces maris, dæmones, qui profundis imíſq; in locis habitant, & muti ſunt ad laudes Dei : atque ità genu omne in Cælo, & in terra, & in inferno, flectitur Chriſto. Quid ad hæc Anti-trinitarii, & Chriſtomachi ? dicetis hæc omnia vanè levitérque applicari Chriſto JESU ab Apoſtolis, imò & à ſe ipſo ? blaſphemia eſt horrenda. Dicetis

majorem

majorem eum, qui ſubjecit ei omnia, quàm cui ea ſubjecta? ridiculum hoc effugium veſtrum, & eſt jam difflatum, & ſæpiùs ſempérque difflandum. Equidem hunc pſalmum produxi tantùm exempli gratiâ : ut credamus Prophetas, eorúmque Regem, Domini noſtri Patrem, loqui de Chriſto DEO ſuo, iis etiam in locis ; in quibus nos id fieri, nunquam ex nobis ipſis cogitaremus.

INSTITUTIO IV.

Nomina Chriſti docent illum, DEUM eſſe altiſſimum.

§. I.

De Nomine JESU.

I.

CEleberrimum, maximéque proprium Nomen illius JESUS, datum eſt ei non à Matre ſua, non ab ejuſdem Sponſo, non ab hominibus; ſed à ſolo DEO. *Vocatum eſt Nomen ejus JESUS; quod vocatum eſt ab Angelo*, (DEI nuncio) *priuſquam in utero conciperetur.* Luc. 2.. *DEUS exaltavit illum & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in Nomine JESU omne genu flectatur; Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Chriſtus in gloria eſt DEI Patris.* Philip. 2. ℣. 9. & ſeqv. Eſt hoc Nomen ſuper omne non modò creaturarum, ſed etiam omne aliud nomen DEI; ſecùs non eſſet abſolutè *ſuper omne Nomen.* Juſſu Altiſſimi adorandum eſt, à Cælo, terra, inferno, genúque omne illi flectendum; id quod de nullo alio Nomine DEI ſcriptum legimus. A pluribus alijs figuris Domini portatum fuit hoc antea Nomen; nunquam tamen iſta de illo audita vel viſa: nullius unquam alterius ſeu purè creati, ſeu Divini ea, quæ Nominis JESU virtus & veneratio in Chriſto eſt, mundo reluxit. Putaſne, quòd poſſit alicui extra ſe dare DEUS Nomen, nominibus ſuis etiam propriis, omnibus omninò eminentius? hoc eſt: quòd poſſit aliquam puram creaturam, non tantùm ſuprà cæteras univerſas; ſed etiam ſupra ſe ipſum extollere? Nec enim vanum & inane nomen geſtandum, ulli ex deſtinato imponit, donátque

donátque Sapientia Divina: ſed ut appellationis menſuram impleat, ſive par ſit Nomini ſuo nominatus, neceſsè eſt. O amentiam incredibilem! ſupremam hujus tituli Majeſtatem credere; gerentis eum, illíque plenè ſatisfacientis Salvatoris mundi Majeſtatem æqualem negare! Relege, quæ Inſtitutione proximâ num. 12. allata ſunt: DEUM Iſraëlis juramentô irrevocabili Nominis hujus gloriam ſibi prædicentem Iſa. 45; & Paulum Rom. 14. Philip. 2. id explicantem. *Ego DEUS, & non eſt alius: non eſt ultrà DEUS abſque me: DEUS juſtus & Salvator, non eſt præter me: mihi curvabitur omne genu*: dicit apud Prophetam illum cum jure jurando DEUS Iſraëlis magnus: & qui hoc dicit, interprete Apoſtolo Chriſtus Filius DEI eſt. Ergò non eſt alius DEUS Salvator; alius DEUS, cui curvandum omne genu; quàm Dominus JESUS Chriſtus. Alia perſona Divina datur, ut Pater & Spiritus Sanctus; DEUS alius dari nequit in mundo.

2. Quòd ſi de Chriſtiana ſapis aliquid Religione; quæro ex te, num in illa tota, ſit nomen aliquod, cujus ſeu vires, ſeu Majeſtas, ſeu veneratio, ſeu dulcedo & amabilitas ſpectetur, par ſit Nomini JESU? S. Auguſtinus l. 3. Confeſſ. cap. 4. de ſe adhuc hæretico: *Hoc Nomen*, ait, *Salvatoris mei, Filii tui, in ipſo adhuc lacte Matris, tenerum cor meum piè biberat*; & *altè retinebat: & quidquid ſinè hoc Nomine fuiſſet, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum; non me totum rapiebat.* Abulenſis quæſt. 7. in Exod. 20. eruditè ſolidéque probat, Nomen JESU eſſe ſanctius, venerabilius, majus, quàm Nomen DEI Tetragrammaton ineffabile, quod vulgò Jehova dicitur: majúſque peccatum eſſe docuit paulò antea Nomen JESU accipere in vanum; quàm Nomen *DEUS*. Nullum Nomine JESU terribilius eſſe diabolo, nullum ad flectendos in vota noſtra Cælites efficacius, nullum cordibus noſtris compungendis, defendendis, juvandíſque nobis potentius; cui poteſt

teſt homini Chriſtiano eſſe ignotum ? In hoc nomine patrata ſunt miracula Chriſtianorum omnia : primum eorum accipe. Petrus Actor. 3. claudo ex utero Matris ſuæ dixit : *In Nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et protinùs conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ.* Rationem miraculi tanti capite ſequenti reddens Senioribus, ac Principibus Sacerdotum : *In Nomine*, ait, *Domini noſtri JESU Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis ; quem DEUS ſuſcitavit à mortuis : in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus ; qui factus eſt in caput anguli ; & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud Nomen eſt ſub cælo datum hominibus ; in quo opporteat nos ſalvos fieri.* O DEUS altiſſime, qui dixiſti *Salvator non eſt præter me* ! poteſtnè alicujus extra te, minoris te Nomen, hiſce prærogativis gaudere? Invocare Nomen hoc ; eſt, ùt ajunt Apoſtoli, eſſe ſalvum : huic Nomini præbere teſtimonium ; eſt eſſe Martyrem Sanctum ; portare coram gentibus & Regibus, & filiis Iſraël Nomen iſtud : ire gaudentem à conſpectu Concilii, quoniam dignus habitus eſt pro Nomine JESU contumeliam pati; eſt, eſſe Apoſtolum pronunciare illud ; eſt Cælum, terram, orcum, ad flectendum ei genu commovere : vobis tamen Chriſtomachi, ſit hoc, proh ſcelus! creaturæ puræ Nomen?

3. Dices, veſtra Pontificia Eccleſia Nomen etiam MARIÆ colit ſuper nomina DEI cætera ; nam ſolis duobus his Nominibus, JESU & MARIÆ colendis, feſtum Anniverſarium noviſſimè conſtituiſtis. Præterea inter nomina DEI alterum altero præcellentius eſſe non poteſt : ſignificatus enim & appellatus ijs, eſt unus idémque in omnibus DEUS: denique Nomen JESU, eſſe Chriſti quà hominis nos ſalvantis : datum ei & exaltatum à DEO ; quia is pro noſtra ſalute mortuus eſt. Ergò vana eſt hæc omnis argumentatio veſtra. Gerris his reſpondeo, à nobis Nomina ſancta eô ſolô, quem iis appellatus meretur, honore coli : ſicut igitur Dei-

param,

param, Sanctóſque infinitè minore cultu veneramur ; quàm DEUM, & Chriſtum : ita & Nomina eorum: JESU Nomen, Chriſtúmque in eo, adoramus propter ſeipſum; propter ſuam propriam Majeſtatem, virtutem, Divinitatem, nihilo minorem in Filio, quàm in Patre, ſed æqualem, imò unam eandémque ; adoramus inquam cultu latriæ : DEI Genitrici & Sanctis, eorúmque nominibus, cultum exhibemus inferiorem, quem duliam, vel hyperduliam vocamus : neque iſtos propter ſe, at propter DEUM, Chriſtúmque mirabilem in illis veneramur: quare in horum cultu DEUM, Chriſtúmque magis ; quàm ipſos eos colimus : qui nihil ex ſe ipſis ſunt, aut fuerunt ; verùm omnia in eo, qui confortabat illos Chriſto. In MARIÆ quoque Nomine, JESUS præcipuè, quem illa concepit, genuit, educavit pro noſtra ſalute, colitur à nobis. In feſtivitate Nominis JESU, omnia etiam reliqua Nomina Dei adoramus, ac ſolenniter veneramur: in feſtivitate Nominis MARIÆ, cuncta cætera Nomina Deiparæ, filiorúmque illius & ſervorum charorum. Unus idémque DEUS nominibus omnibus Divinis ſignificatur, non nego ; ſed cum reſpectu tamen ad alia & alia opera ſua, nobiſque collata beneficia : inter quæ nullum eſt majus redemptione mundi. Quod aliud præ alio Nomen ſuum honorari, & exaltari voluerit DEUS ; quis poſſit vocare in dubium ? quod autem puræ creaturæ nomen aliquod, ùt eſt Chriſtomahis Nomen JESU, præ omnibus nominibus ſuis ſtatuerit exaltandum ; quis vel cogitare, nisi Atheus auſit ? Nomen MARIÆ, majoris re verâ minimè facimus, quàm quodcunque nomen DEI, ſed ſi feſto illud celebramus, ſi citiùs inclinamus caput ad MARIÆ, quàm ad vocem, DEUS ; id agimus unicè propter Incarnationis & Filii Virginis reverentiam : agimus propter conjunctionem intimam horum duorum inter ſe nominum, JESUS & MARIA : quorum in altero Divina ; in altero creata Nomina ſancta, pietati noſtræ re-

repræſentamus omnia. Poſtremò Salvator noſter, iratæ nobis juſtitiæ divinæ ſatisfaciens, debebat, ùt infrà oſtendemus, nec purus homo, nec DEUS eſſe purus ; at Perſona Divina formam ſervi accipiens : Nomen igitur JESU datum eſt vero DEO naturam aſſumenti creatam ; datum Chriſto ùt homini, à ſe ipſo DEO, & à tota Sanctiſſima Trinitate in Incarnatione ; ſuper omnia exaltatum , poſt mortem ejus & carnis reſurrectionem : propterea , quòd nunquam majora præſtitit ad gloriam ſuam, noſtrámque ſalutem DEUS ; quàm illâ carne mortali veſtitus. In rebus humanis, ſi neminem aliquid ſibi propriè dare poſſe objicis ; id in divinis non procedit : ubi natura una in tribus eſt Perſonis; quæ Divinam eſſentiam eandem, communicant alteri altera : in Chriſto, qui perſona unica duas in ſe complectitur naturas, multò minùs : cùm is quà DEUS ſibi quà homini, dederit perfectè dotes illas omnes ; quibus humanitas illius eſt exaltata.

4. Sanctus Hieronymus epiſt. 136. ad Marcellam, nomina DEI fuiſſe decem apud Hebræos obſervat : 1mò. *El.* id eſt fortis. 2dò. *Eloha* id eſt DEUS gubernator, Judex, Vindex. 3tiò. *Elohim*, quod eſt plurale prioris. 4tò. *Sabaoth* hoc eſt Dominus virtutum, vel Exercituum. 5tò. *Elion* id eſt excelſus. 6tò. *Eje aſcer eje*, id eſt, ſum qui ſum ; Exod. 3. 7mò. *Adonai* ſive Dominus. 8vò. *Ja*, quod eſt abbreviatum Jehova ; ex quo deducitur *Halleluja*, laudate DEUM. 9nò. *Saddaj*, hoc eſt Omnipotens, & munificus. 10mò. eſt *Tetragrammaton*, ineffabile nomen, communiter per Jehova expoſitum. Inter hæc omnia, quis neſcit maximum, maximáque in veneratione fuiſſe, nomen hoc DEI decimum ? Quod Moyſi primùm à DEO, & à Moyſe populo, ùt & Pharaoni revelatum eſt : à Judæis religionis ac reverentiæ causâ non facilè deinde pronunciatum ; præterquam à Sacerdotibus & Pontificibus in ingreſſu in Sancta Sanctorum ; ideóque ineffabile dictum. Ubi occurrebat in ſcriptura

ptura, legebant pro illo Adonai ; vel ſi cum Adonai concurreret, legebant Elohim. Summus Pontifex in tiara ſua, laminæ inſculptum aureæ illud geſtabat: quod Alexander Magnus Jaddo Pontifici occurrens, teſte Joſepho adoravit, humi procumbens. Nunquam per illud jurabant hebræi; ſed ſi quæ ipſos extrema cogebat neceſſitas, per quatuor illius literas punctis non expreſſis, hoc modo jurârunt : juro per Jod, He, Vau, & Jod. Plura nominis hujus myſteria non memoro : vide Cornelium à Lapide in cap. 6. Exod. ℣. 2. & 3. Itaque dico, cùm alia Nomina DEI allata ; tum verò Nomen hoc Tetragrammaton, figuram fuiſſe Nominis JESU ſuper omne Nomen : doceo manifeſtè, quia illud ineffabile Nomen, Moyſi ad populum liberandum miſſo, eſt in eundem finem primitùs revelatum; illius virtute Pharao devictus, Iſraël eductus : quæ omnia Redemptorem noſtrum, & Nomen ejus JESU præfigurabant. JESUS nos ex Ægypto, & captivitate Babylonica, id eſt ex inferno, virtute Nominéq; ſuo proprio eduxit : JESUS nobis, quod de Nomine illo ineffabili credebant Judæi, eſſentiam ipſam DEI manifeſtavit ; manifeſtavit DEUM, ùt erat ab æterno intra ſe, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, perfectiones & attributa ejus omnia, verè clariùs, quàm in terris optare poteramus ; hujus Incarnati DEI, & hujus Diviniſſimæ Trinitatis Myſteria, in Nomine illo Tetragrammato delineata eſſe cenſent graviſſimi Doctores ; oſtendúntque Nomen JESU includere in ſeipſo quamlibet illius literam, ac propterea ſuas ſuperaddere proprias : Nomen illud inſuper ineffabile derivari ajunt à futuro ; & idem ſignificare, ac *ero quod ero*, id eſt Salvator mundi ero. Denique vide, quæ Inſtit. priori num. 2. de Nomine DEI ex Iſaia retulimus : *Sciet populus meus Nomen meum in die illa : quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.* Iſa. 52. Nomen JESU notiſſimum in die noſtra Chriſtiana ; & ſuper omne Nomen DEI eſt adoratum, cultum, amatum : no-

men illis Tetragrammaton incognitum, & jugiter totâ die blaſphematum. Ultimò adverte, ſi Nomen Jehova de nullo alio prædicari poſſe, nisi DEO ſolo altiſſimo, concedunt Antitrinitarii; quomodo negare poterunt, Chriſtum eſſe DEUM altiſſimum? Cui & nomen illud, ipſis ſuis latebris adeò magnificatum, tribuit ſæpiùs, ùt certiſſimum eſt, ſcriptura; & cujus nomen proprium JESUS, tantò majus eſt illo, in uſu jam fidelium, ubi veritas advenit, penitùs evaneſcente; quantò figurâ & umbrâ ſuâ corpus, nocte dies, lux tenebris eſt præſtantior. Hoc argumentum à Nomine JESU acceptum, benéque intellectum, convincet ut quod maximè, atque ad veram Chriſti Divinitatem credendam inducet unumquemque ſanctæ mentis hominem.

§. II.

De Nomine DEI, quô paſſim vocatur Chriſtus in Scripturis.

5. QUem Spiritus Sanctus DEUM nominat; tu negabis eſſe? Centies & centies à libris tam propheticis, quàm Evangelicis, DEUS expreſsè abſolutéque appellatur: tu iis omnibus contradices? Huic ſolidiſſimo documento promptiſſimi ſunt ad reſpondendum adverſarii; ſed coërcendi, ne apinas inanes, barbaras, ridiculas, otiosè blaterent. 1. Ajunt 1*mò*. Chriſtum eſſe DEUM, ſed minorem Patre. Ajunt 2*dò*. pluribus in Scriptura dari Nomen DEI; qui non ſunt verus DEUS: ùt ex. gr. Exod. 7. 1. *Dixítque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te DEUM Pharaonis; & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus.* Exod. 21. 6. *Offeret eum Dominus Diis*; hoc eſt Judicibus ac Principibus populi. Exod. 22. 28. *Diis non detrahes; & Principi populi tui non maledices.* Pſ. 81. *Ego dixi: Dii eſtis & Filii Excelſi omnes.* Unde ajunt 3*tiò*,

3tiò. Nomen *DEUS* non eſſe proprium unius tantùm naturæ, vel entis individui; ſed appellativum pluribúſque aliis commune, tum Angelis, tum hominibus eminentioribus: ùt Principibus, Judicibus, Heroibus, Perſonis ſanctitate illuſtribus, Vicariis DEI, Deúmque inter homines repræſentantibus.

6. Reſpondeo ad 1mum, majorem aut minorem DEUM nec nominandum in nobis; quibus unus eſt DEUS. Ad 2dum & 3tium reſpondeo DEI Nomen apud omnes gentes DEUM unum confitentes, uni ſummo enti rerúmque omnium principio & fini ſic eſſe proprium; ùt eſt nomen Hector, Cicero, Roma, unius duntaxat hominis, & civitatis apud hiſtoricos: gentes etiam Deorum pluralitatem admittentes, non quemlibet Principem aut Heroem per hanc appellationem intelligunt, ſed eum duntaxat, quem pro vero DEO ſuo, quocunque tandem ex capite, volunt habendum. Eò nihilominùs non obſtante, ſicut Ciceronis, Hectoris, Romæ nomen applicatur per tropum hominibus, Urbibusq; aliis; ita & Nomen DEI: tu igitur dices, Romam, Ciceronem, Hectorem, eſſe appellativa nomina? Regis nomen eſt proprium Magiſtratûs, Principíſque in aliquo Regno ſupremi; per Metaphoram tamen & quandam ſimilitudinem in luſibus variis calculos, teſſellas, ſcrupos nonnullos, nuncupamus Reges, Reginaſque: imò viliſſimis interdum mortalium nomen Regis appendimus. Ergò tu cùm in libris politicis Regem deſcribi legis; eos non de Rege vero, ſed luſorio, non de Principe ſummo, ſed de nocturno Rege, utì vocatur in pluribus regionibus latrinarum mundator, judicabis habere ſermonem? Appage inquis, cum ſpurcis his exemplis. At mi bone, ſi Chriſtus tuus minor ſit Patre, Deúſque tantùm metaphoricus; quantâcunque perfectione ac ſanctitate creatâ reſplendeat, diſtet neceſsè eſt à vero altiſſimóque DEO, ſítque inferior infinitè magìs; quàm Rex

præfatus nocturnus, Rex luſorius, diſtat à Rege vero ſummæ inter ſuos Majeſtatis. Itaque ſi audimus in libris divinis, quorum omnium argumentum Chriſtus & Chriſti Regnum eſt, paſſim eum ſolenniſſimè clariſſiméque prædicari DEUM; noli per ſummam blaſphemiam reſpondere, tropicè illos & impropriè loqui: noli majorem longè inferre Chriſto injuriam; quàm ſi Alexandrum Magnum Regem, pro luſorio nocturnóque illo Rege apud Curtium intelligendum eſſe, demens aliquis exiſtimaret. Non ibo inficias, DEUM à ſcriptura interdum appellari eum, qui verè DEUS non eſt; accipi nomen illud non in propria ſignificatione ſua, ſed impropria, tropica, metaphorica: verùm ſi tu prudenter blaſphemias tuas velles, aut potiùs poſſes defendere; deberes probare, DEI Nomen in metaphorico, neque in ſenſu proprio eſſe accipiendum, ubicunque in Bibliis Chriſto Domino applicatur: hoc tu docere nequis; ego contrà oſtendam, in locis illis omnibus veram Chriſti Divinitatem affirmari.

7. Probo id *1mò.*, quia Nomen *DEUS*, nulli unquam nisi DEO uni altiſſimo tribuit Codex Sanctus, abſolutè ac ſimpliciter, hoc eſt abſque addito in eodem contextu verbô aliquô, aut pluribus verbis talibus; unde pateat manifeſtè, non de vero DEO, ſed metaphorico & improprio loqui Spiritum Sanctum. Percurre cuncta divina volumina; veritatem hujus noſtræ poſitionis facilè compertam habebis. Nec potuit ſcribere aliter Spiritus veritatis; nam ſecùs nos in errores, idololatriam, Atheiſmum, induxiſſet audientes, legentéſque librum ſuum: quid certius? Probo *2dò.*, quia ſcripturæ cùm non modò DEUM ſimpliciter nominent; ſed verum DEUM, Magnum DEUM, DEUM ſuper omnia, DEUM Omnipotentem, DEUM Sabaoth, ſeu virtutum, & exercituum: impietas ſit opportet intolerabilis, de illius vera Deitate dubitare. Atqui ſic eæ de Chriſto Domino loqvuntur. Probo *3tiò.*, quia ſi ex omni Bibliorum ſerie conſtat undique,

que, Christum esse DEUM verum ; impudentissima insania est, scripturarum quidem veritatem illimem profiteri ; DEI nihilominùs Nomen toties in illis Christo expressè assignatum, non verè, sed solùm tropicè intelligendum contendere. Sunt hæc omnia testatissima. Christus imprimis absolutè simplicitérque DEUS in chirographo cælesti, sinè omni umbra & vestigio metaphoræ, centenis & centenis vicibus appellatur. Demus quædam exempla. Isaias sex illius venturi Nomina recensens, *vocabitur* ait *Nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, DEUS, &c.* Isa. 9. : unde colligis metaphoricum eum DEUM, vel vicarium duntaxat Deique Interpretem, in titulo suo tertio designari ? DEI simpliciter Nomen an dabit alteri, tantóque antè prædicet in vanum ac merè tropicè Altissimus ? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEUM.* Ter in hoc suo initio ponit Joannes Evangelista, vocem *DEUS* : primo & ultimo loco est, inquis, in propria sua significatione ; in secundo est in impropria & metaphorica. O furorem ! ô corruptelam incredibilem Verbi Divini ! Thomas Apostolus Joan. 21. primùm incredulus, deinde corde contrito ad Christum vulnera ei sua exhibentem conversus, exclamavit : *Dominus meus ! & DEUS meus !* Cujus fidem probavit Dominus. Paulus Actor. 20. 28. Ephesinæ valedicens Ecclesiæ, *in quo vos* ait *Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI ; quam aquisivit sanguine suo.* Discipulus quem diligebat JESUS, *In hoc cognovimus* inquit 1. Joan. 3. 16., *Charitatem DEI ; quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Paulus Tit. 2. 11. *Apparuit gratia DEI Salvatoris nostri omnibus hominibus &c.* 1. Tim. 11. *Paulus Apostolus JESU Christi secundùm imperium DEI Salvatoris nostri.* 1. Tim. 2. 3. *Coram Salvatore nostro DEO.* Quid hîc ubique metaphoricum ? Quid improprium in Nomine DEI ? Mitto si-

 milia

milia plurima in Pſalmis & Prophetis paſſim occurrentia. Secundò Chriſtum non tantùm abſolutè DEUM, ſed cum epitheto, veræ Divinitatis nota certiſſima, in literis ſacris denominari eſt prorsùs evidens. Boanerges ille, ſeu filius tonitrui adversùs Chriſtomachos, 1. Joan. 5. 20.: *ſcimus*, ait, *quoniam Filius DEI venit; & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum DEUM, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus DEUS, & vita æterna;* Non eſt igitur Vicarius tantummodo aut Legatus, Perſonatúſque DEUS. Paulus Tit. 2. 13. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ, magni DEI & Salvatoris noſtri JESU Chriſti.* Rom. 9. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem: qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſæcula. Amen.* Apoc. 4. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Quis eſt ille Dominus DEUS Omnipotens venturus? Iſaias ante Joannem, quando vidit gloriam Chriſti, cap. 6. ùt ſuprà. Inſtit. præcedenti num. 9. expoſuimus; audivit à Seraphinis Triſagion huic noſtro Domino DEO exercituum concini. Nondum credis? quidvis ampliùs? Nomen ipſum DEI Tetragrammaton & ineffabile, tribuunt non rarò ſcripturæ Chriſto. Jer. 23. 5. *Ecce dies veniunt dicit Dominus; & ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet judicium &c. Et hoc eſt Nomen, quod vocabunt eum: Dominus juſtus Noſter.* De Chriſto id accipiendum eſſe nemo dubitat: & tamen pro *Dominus*, quod ultimò affertur in Hebræo, poſitum eſt Nomen DEI Tetragrammaton. Iſa. 40. verba illa, *Vox clamantis in deſerto; parate viam Domino:* interpretantur omnes 4or Evangeliſtæ de Joanne Baptiſta, viam Chriſto Domino præparante: quem Dominum hebræa litera per nomen Tetragrammaton expreſſit. Quid plura? in Pſalmis & Prophetis, vel jam adductis vel adducendis, textum hebræum conſulens talia ſæpiùs reperies. Notandum etenim Tetragrammato illi Nomini reſpondere

ſemper

ſemper in ſeptuaginta τὸ κύριος ; Chriſto autem Nomen Domini appropriari ab Apoſtolis & à ſeipſo, quis ignorat? Verè quoties ille in Bibliis Dominus ; toties Deus altiſſimus prædicatur. Vide Bellarminum lib. 1. de Chriſto cap. 7. de Nomine ineffabili Jehova diſputantem : quam ille vocem ait eſſe nuper excogitatam. Tertiò demum, quòd paginarum ſacrarum pars omnis conclamet; Chriſtum eſſe verum Deum, Cæli ac terræ Conditorem, Salvatorem mundi, unum eundémque cum Patre ac Spiritu Sancto DEUM; adeóque Nomen DEI datum ei à Spiritu Sancto ſæpiſſimè, quod accipiendum ſit ſemper in proprio & veriſſimo vocis hujus ſenſu : id hic noſter Tractatus demonſtrat, ac demonſtrabit uberrimè totus.

8. Jam verò textus viciſſim illos, in quibus DEI Nomen prædicatur de aliis, extra DEUM verum ; oro te attentè conſidera. Nonne protinus liquet, eos ubique in ſignificatione impropria vocis hujus loqui? Nec abſolutè ac ſimpliciter, ſed cum adjectione, quæ tropum manifeſtet, uſurpari Nomen illud ? Nam 1*mò.* in plurali crebrò Deos appellant: quod ſignum eſt evidens, non eſſe de vero DEO, qui unicus eſt, ſermonem. Deinde ſæpiùs Deum vel Deos narrant gentilium : quin etiam diabolum interdum hoc titulo deſignant. *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium.* 2. Cor. 4. 4. *Quorum Deus venter eſt* Philip. 3. 19. Quod Moyſen denique attinet, nec is dicitur fuiſſe Deus abſolutè conſtitutus ; ſed Deus Pharaonis & Aaron frater ejus Propheta ipſius : ut perſpicuè poſſis intelligere tropum. Quod in figura erat Moyſes ; hoc eſſe debebat in veritate Chriſtus : ille Deus impropriè, Deíque merè legatus ; iſte propriè, ac verè Deus. Joſeph pariter in Ægypto Salvatorem noſtrum præfigurans, ſecundus à Rege Pharaone fuit ; Christus Filius æterni Regis unus idémque cum Patre ſuo Rex & Deus &c. Nuſquam legis Moyſem aut ullum Prophetarum, extitiſſe

ante Matrem ſuam; fuiſſe Incarnatum, creâſſe Cælum ac terram: & alia ejuſmodi ſexcenta Chriſto DEO attributa. Ergò collige obiter ex dictis, falſiſſimum eſſe; quòd Eraſmus Annotat. ad illud Epheſ. 5., *in Regno Chriſti & DEI*, de ſuo adjicere impudenter non erubuit: *Patrem ex conſuetudine ſermonis Apoſtolici ſignificari; quoties DEUS abſolutè nominatur.* Nam oppoſitum fieri quàm ſæpè audivimus?

§. III.
De Nomine Filii DEI.

9. QUemadmodum titulus præcedens DEI, eſt Chriſto eſſentialis; ita iſte Filii DEI, eſt perſonalis & coæternus illi. *Filius meus es tu, ego hodie genui te* Pſal. 2. *Ex utero ante Luciferum genui te* Pſal. 109. Nullum ejus nomen celebratum frequentiùs; nullo ſe ipſe à Patre miſſum prædicat glorioſiùs: nullum, quod veram illius Divinitatem per ſeipſum demonſtret clariùs. Hic ille titulus eſt, pro quo teſtando, Incarnatus, natus, paſſus, mortuus eſt, & reſurrexit, aſcendit in Cælum, ſedet ad dexteram Patris, DEUS immortalis. Duo tibi verba ruminanda, & ſeriò meditanda propono. Primum eſt, Chriſtum non fuiſſe Filium DEI adoptivum, qui extraneus, & per gratiam beneficiúmque Patris ſit in Filium adoptatus: non fuiſſe Filium, quales erant Prophetæ, quales ſunt Sancti & amici DEI omnes, tam Angeli, quàm homines: ſed eſſe Filium ordinis omnino diverſi, atque infinitè ſuperioris; Filium DEI altiſſimi proprium, verum, naturalem. *Simus in vero Filio ejus* 1. Joan. 5. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. 8. 32. Vocatur is Unigenitus Patris ſæpiùs: Joan. 1. 14. Joan. 1. 18. Joan. 3. 16. Joan. 3. 18. 1. Joan. 4. 9. In ſymbolo quoque Apoſtolico, *Credimus in JESUM Chri-*

Chriſtum Filium ejus unicum. Ergo nullum habuit, nec habere potuit fratrem ſuum proprium; neque DEUS Pater plures filios proprios. Vocatur Filius talis; qui dedit etiam cæteris *poteſtatem filios DEI fieri*: Joan. 1. 12. *Miſit DEUS Filium ſuum, ut nos redimeret; ut adoptionem filiorum reciperemus.* Gal. 4. 4. *Qui moriturus erat non tantùm pro gente ſua* Judæorum; *ſed ut filios DEI, qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Joan. 11. 52. O argumentum ad veram Domini Divinitatem, ſive ad id comprobandum, quòd ille ſit unicus Filius DEI naturalis & hæres univerſorum, verè maximum! Vocatur Filius talis, ut reliqui nomen in illud adoptati, dicantur ſervi; ſolus iſte cum illis collatus prædicetur abſolutè Filius; vide parabolam Patrisfamilias, alios & alios ſervorum præmittentis in vineam ſuam; ſuúmque demum Filium mittentis Matth. 21. Paulum Hebr. 3. 1. Omnes puræ Creaturæ, quacunque ubertate donorum habitet in illis DEUS; ſunt evidenter ex eſſentia ſua ſervi DEI: ſi Chriſtus igitur ſolus eſt præ illis cunctis Filius; quis eum puram eſſe Creaturam blaſphemare auſit? Creaturarum omnium ſupremæ ſunt, homo & Angelus: inter homines primatum in lege antiqua tenuit Moyſes: *Moyſes quidem fidelis erat in tota Domo ejus, tanquam famulus; in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquam Filius in Domo ſua.* Hebr. 3. 5. Animadverte quæſo τὸ *ſua.* Quid de Angelis dicam? audi eundem Hebr. 1. *Cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu? &c. Thronus tuus DEUS, in ſeculum ſeculi*: hoc eſt thronus tuus ô Fili DEI Chriſte! Lege caput illud totum; de quo infrà pluribus. O cæcitatem extremam! in duorum horum teſtimoniorum luce, veritatem quam propugnamus non videre! Chriſtus eſt Filius DEI, verus & Unigenitus, eſt adorandus ab Angelis hominibúſque cunctis, eſt adoptans reliquos in filiorum & cohæredum numerum; cæteri univerſi famuli, adorantes eum, adoptati ab eo & hæredi-

tatem capientes ſalutis : ſolus igitur Filius verus, proprius, naturalis : quid evidentiùs ? Alterum verbum meum eſt : ſi Chriſtum Filium DEI Unicum, naturalem ac proprium credimus ; credere debemus eum, cum Patre ſuo unius ejuſdémque neceſſariò, eſſe naturæ ac ſubſtantiæ. Naturali enim generatione generat hominem homo, beſtia beſtiam, DEUS DEUM. Quòd ſi contingat aliquando, ut ex humano ſemine prodeat canis, aut aliquid hujuſmodi ; abortus eſt, monſtrum eſt, generatio non vera, naturalis, perfecta, ſed productio quædam eſt cum defectu naturæ immani, ac portentoſo. Vis tu DEO Patri talem monſtroſam in Unigenito ſuo ante Luciferum genito, aſſignare productionem ? DEUM inquis minorem genuit : ſi minorem genuit Patre ; non DEUM verum, at creaturam puram ; creatura pura omnis, quæcunque dari vel cogitari poteſt, infinitè inferioris eſt naturæ ac ſubſtantiæ, differtque multò magis à Patre DEO vero ; quàm canis ab homine. At inquis, generatio talis naturalis DEO non convenit ; quia ùt ajunt fratres tui Turcæ, is non habet uxorem. O monſtrum intellectûs non hominem ſed belluam verè olentis ! Audi DEUM per Iſaiam ex te percontantem : *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus ? ſi ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero*, ait *Dominus DEUS tuus ?* Iſa. 66. 9. Quæ ſi tu verba, in ſenſu literali primo, induci à Propheta de propagatione Chriſtianorum contendas ; dico eſſe illa valde generalia & indubiè alludere in iis Spiritum Sanctum, ad hanc ante omnia generationem Filii DEI æternam : unde manat generatio myſtica filiorum DEI adoptivorum ; & in quam præ omnibus aliis ſenſibus mirificè quadrat argumentatio DEI. Generatio Corporalis, nobiſque cum beſtiis communis, abſit ut convenire DEO putetur ; At ſpiritualem, & divinam, & per intellectum procedentem, quomodo tu, nisi careas intellectu, ei abjudicabis ? Cur igitur Patrem ſe

Filii

Filii ſui Unigeniti, clamat paginis penè in omnibus Evangelicis? pluribúſque in teſtamenti veteris locis? An meris ex tropis & fictionibus conſarcinatus eſt Spiritus Veritatis, ac medulla Evangelii tota? Quare ſi filius in generatione naturali, debeat æqualis eſſe naturæ cum patre, cujus ſubſtantiæ partem in ſe continet; Filius DEI Patris nequit ſubſtantiam paternam divinámque non habere ſibi ab eo communicatam: quæ ſiquidem dividi, aut multiplicari non poteſt; ne plures, minúſque aut magis perfectos faciamus Deos: conſequentia eſt evidentiſſima, unum eundémque numero DEUM, eſſe Filium cum Patre. Accedit, quòd Pater & filius inter homines, ſint imago ac repræſentatio quædam, Patris ac Filii DEI; perfectiones has & nomina, ſuô creaturæ modô participant, DEO veriſſimè, ac perfectiſſimè competentes. *Flecto genua mea ad Patrem Domini Noſtri JESU Chriſti; ex quo omnis paternitas in Cælo & in terra nominatur.* Epheſ. 3. *V.* 14. & 15. Hinc D. Thomas, & cum eo Theologi aſſerunt, paternitatem omnem creatam derivari ac particicipari ab increata, quæ in DEO Patre eſt, Filium ſuum ab æterno generante. Quam quæſo aliam in cælo paternitatem reperies, cùm Angeli neque generent, neque generentur? Titulus iſte Filii DEI, fuit reverâ unus ex ſummis Patrum veterum adverſus Arium Achilles.

10. Quid adhæc noſtri Antitrinitarii pluralitatem perſonarum in DEO angue pejùs exhorreſcentes? Socinus, Franciſcus Dávid, Enyedinus &c. prima eorum in Sarmatia, & Tranſylvania columina, Chriſtum eſſe Filium DEI naturalem ac proprium, negare quidem non audent; verùm id ſecundùm carnem & humanitatem illius ſolam explicare conantur. Quomodo igitur verus Filius, ſi non conſubſtantialis Patri? ſi naturæ ſit infinitè minoris, quàm Pater? hoc modo ajunt: Spiritus Sanctus & virtus Altiſſimi ſupplevit Angelo Gabriele teſte, in generatione Chriſti vices viri.

Quare

Quare ſicut ſi Joſeph ad Virginem acceſſiſſet, Chriſtúmque generâſſet; verus ille, ac naturalis Joſephi filius fuiſſet; ita nunc naturalis Filius DEI, ſecundùm carnem ſuam de Spiritu Sancto conceptam dici poteſt; quoniam operâ DEI, ſinè viro, virtute Altiſſimi efformatus eſt. Confirmant hoc 1mò. verbis Angeli, Luc. 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te; & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius DEI.* Ergò inquiunt, ideò tantummodo vocandum Chriſtum, de ſe purum hominem, Filium DEI; quia Spiritu Sancto ſuperveniente in Virginem, & virtute Altiſſimi obumbrante illi, abſque ſemine viri eſt factus ex muliere. Confirmare poſſent 2dò. ex eo, quòd nos Catholici credimus, Chriſtum etiam ùt hominem, non adoptivum, ſed naturalem eſſe Filium DEI; ratio igitur Filii DEI proprij ac naturalis, non exigit, ut ſit ille paris, aut ejuſdem cum DEO Patre naturæ. Reſpondeo cavillationibus hiſce inutilibus, atque adeò impiis: DEUM minimè dici poſſe Patrem Chriſti proprium ac naturalem, eô unô titulô; quòd caro iſtius generata eſt ſinè viro prodigiosè: ſive quòd ſupernaturali ſuo concurſu compenſavit in ejus conceptione DEUS, patris humani defectum; ſeménque Virginis virtute ſuâ elevavit. Si enim nullum præterea ibi myſterium opúſque divinum adfuiſſet; generatio illius mirabilis quidem, & ſupra vires naturæ, non humanitùs, ſed facta fuiſſet divinitùs; Chriſtus tamen eo ſolo Nomine Filius DEI verus & naturalis vocari vel eſſe, nunquam potuiſſet. Doceo id validè: quia non quæcunque productio viventis ex vivente; ſed ea ſola, quæ fit per communicationem ſubſtantiæ ac naturæ propriæ, facit patrem filiúmque verum & naturalem. Quî potes filius eſſe proprius patris illius; quem naturâ ſanguinéque tuo verè nulla ratione contingis? de cujus ſubſtantia propria, nihil habes in te? cui prorsùs extraneus, & præterquam quòd illius virtute factus, planè alienus

nus es ab eo? tu caro & homo purus; ille purus DEUS, & Spiritus? Filius non eſt tantùm aliquis effectus Patris; ſed ſubſtantia de illius ſubſtantia, natura de illius natura producta: quomodo etiam fratres veri ſunt ii ſoli; qui ab unius ejuſdémque Patris, aut Matris carne ac ſanguine deſcendunt: Adam à DEO de limo terræ formatus, Eva de Adami coſta ædificata; ii, quos Chriſtus & Chriſtiani per illum, excitârunt à mortuis; num filii filiæque naturales dicentur DEI, & Chriſti? & tamen miraculo majori, quàm Chriſtus ex Virgine, ſi purus is homo ſit, procreati. Ad omnem generationem hominis concurrit efficientiâ ſuâ DEUS Altiſſimus; plúſque virtutis confert ad illam, quàm Pater & Mater: num propterea mortales omnes, veri filii DEI, ùt eſt Chriſtus? Joannes Baptiſta natus è parentibus ſterilibus (quod exemplum affert ipſe Angelus Virgini parituræ, ad credendam ejus, quod ipſi annunciatum erat, miraculi poſſibilitatem) num ea prodigioſa Joannis Nativitas ad Nomen Filii DEI proprii conſtituendum fuit ſufficiens? Sit, non ſit miraculum majus, naſci è Virgine purum hominem, quàm naſci ex ea, quæ vocabatur ſterilis; nihil vos juvat: cùm utrumque ſit per ſe ordinis ejuſdem; utrumque perficiatur Omnipotentiâ divinâ, naturæ vires elevante ac ſupplente. Quòd ſi unio hypoſtatica divinitatis cum humanitate, non interceſſiſſet in Chriſti Conceptione; næ illa non multò plus obſtupeſcenda eſſet, quàm Joannis Baptiſtæ, aut Iſaaci generatio: multóque minùs, quàm Adami & Evæ procreatio, quàm eorum, qui reſurgunt à mortuis, regeneratio. Poſtremò adverte, ſi Chriſtus ideò merè, quòd Spiritus Sanctus ſupervenit in Virginem, & Virtus Altiſſimi obumbravit ei, Filius DEI, naturalis vocandus eſt; conſequens certò eſt, ut ille Filius etiam Spiritûs Sancti, & non ſolius Patris dicatur: Id quod nuſquam legimus, nec ulli adhuc Arianorum, nedum Chriſtianorum venit in mentem effutire.

II. Con-

11. Confirmo, quæ dixi, argumentô validiſſimô. Duplicem ajo eſſe Chriſti generationem ac Nativitatem: aliam divinam & æternam, quâ is DEUS de DEO, à Patre ſinè Matre ortus, & per quam unam eſt Filius DEI naturalis ac proprius, Patri conſubſtantialis; aliam humanam in tempore factam, quâ conceptus eſt homo ab homine, à Matre ſinè Patre: nequit igitur is, intelligi Filius DEI verus propter hanc ſuam ſolam generationem ſecundam. Propoſitionis antecedentis veritatem hæ noſtræ diſputationes omnes docent copiosè: quia tamen eam ſummoperè averſantur Chriſtomachi; probo nunc breviſſimè. Primò, Chriſtus ſe jam Filium DEI, jam Filium hominis appellat; inter quæ ipſius Nomina, ingens eſſe diſcrimen manifeſtè patet. Accipe, ùt alia ſileam, duplex hujus rei teſtimonium lucidiſſimum. Inprimis Matth. 16. quærit ex Diſcipulis: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Illis reſpondentibus, *alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam; aut unum ex Prophetis*: quæ opiniones hominum de Chriſto coincidunt cunctæ in adverſariorum de illo ſententiam: *dicit illis JESUS: Vos autem quem me eſſe dicitis? reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius DEI vivi.* Confeſſionem hanc Simonis admirabili elogio præmióque coronavit Dominus, ùt eſt notum omnibus; addens, *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt.* Si non aliud intellexiſſet eâ ſuâ Confeſſione Petrus; quàm Chriſtum natum & conceptum eſſe per miraculum è Virgine: profectò nihil tam ſingulare de Magiſtro ſuo dixiſſet; ut laudem munúſque tantum inde promeritus fuiſſet. An verò adhoc revelandum, Patre Cæleſti opus habuiſſet Magiſtro? an verò filium eſſe Virginis, non ſit eſſe filium hominis? Iterum Matth. 22. *Congregatis Phariſæis interrogat eos JESUS, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus Filius eſt? dicunt ei David. Ait illis:*

Quo-

Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum ? dicens : Dixit Dominus Domino meo &c. Si ergo David vocat eum Dominum ; quomodo Filius ejus eſt ? O evidentiſſimum documentum, duplicis in Chriſto generationis æternæ ac divinæ, temporalis & humanæ ! Locum hunc utrumque fuſiùs infrà exponendum, hîc ultrà non proſequor. Verba utrobique Domini accuratè perpendenti, effugia Chriſtomachorum cuncta evaneſcent. Probo ſecundò eandem propoſitionem antecedentem : quia jam ſe Filium hominis ſive MARIÆ, jam Filium DEI Chriſtus ita vocat ; ut primam illam ſuam cæleſtem, æternámque generationem, ad MARIAM minimè pertinere oſtendat. In nuptiis Canæ Galileæ. Joan. 2. dixit ad Matrem ſuam : *Quid mihi, & tibi eſt mulier ? nondum venit hora mea.* Nec verè, nec piè dicere poterat hoc Matri ſuæ, omnium purarum creaturarum ſanctiſſimæ ſibíque dilectiſſimæ, Filius infinitæ pietatis ac veritatis ; niſi JESUS præter naturam humanam, habuiſſet aliam etiam divinam ; ad quam de ſuo virgo beatiſſima nihil contuliſſet : nisi Dominus non humanitatis, ſed ſuæ tum Deitatis monſtrandæ, tempus adeſſe judicâſſet. Non eſt abſimile reſponſum illius alterum pueri duodennis ad Matrem ſuam è millibus electam. *Quid eſt, quòd me quærebatis ? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe ? Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.* Luc. 2. En quantum ſit, hoc Patris, Filiíque DEI Myſterium ! ſi nihil majus præſefert illud ; quàm concipi de Spiritu Sancto ex Virgine : nonnè id Joſephus etiam abundè jam intellexerat ? Denique accipe pulcherrimum illud epiſtolæ ad Galat. exordium : *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem ; ſed per JESUM Chriſtum, & DEUM Patrem.* Hìc ego vos Chriſtiani omnes appello ! dicite mihi, quomodo negari poterat homo eſſe ab Apoſtolo ille ; qui fuit, ùt blaſphemant iſti, purus homo ? qui præter humanam, nullam habuit generationem, naturámque aliam ?

aliam ? Nam quòd ſinè viro è Virgine natus, quòd in gratiam, ſummámque ſanctitatem ſit à DEO evectus ; humanitati veræ ac puræ nullô modô contradicebat. Quomodo potuit affirmare Paulus, Magiſtrum ſuum eſſe non hominem, ſed aliquid eminentius? quid illud? JESUM Chriſtum & DEUM Patrem ? Cur eum extra numerum hominum omnium, in eodem ordine cum Patre ſuo collocat ? Verè Filius hic, aliquam infinitè majorem ſui generationem habuerit neceſsè eſt ; ſecundùm quam non fuerit homo, ſed Filius Patri ſuo DEO altiſſimo conſubſtantialis & æqualis : quam humana penitùs non contingebat natura, in utero Virginis accepta. Probo tertiò : in ſcripturis opponitur humanæ Chriſti Nativitati & naturæ, generatio ejuſdem & natura divina ; ſive ratio Filii DEI ac Divinitas, ipſius carni & humanitati. Paulus æmulator diſcipuli, quem diligebat JESUS, in Chriſti aſtruenda Divinitate Rom. 1. 3. *De Filio* ait, *qui factus eſt ei ex ſemine David, ſecundùm carnem.* Infrà cap. 9. 5. *Ex quibus* (hoc eſt Iſraëlitis) *eſt Chriſtus ſecundùm carnem : qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſecula. Amen.* Quid clariùs deſideras ? cur addit utrobique τὸ *ſecundùm carnem* ? abſque dubiô quia non eſt Filius David, & è ſemine Iſraëlitarum deſcendens ; nisì cum hac exceptione *ſecundùm carnem*: fuit igitur Filius DEI verus ante carnem aſſumptam, ſecundùm aliam ſuam naturam divinámque ab æterno generationem. *Qui prædeſtinatus eſt Filius DEI in virtute, ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum*, adjecerat Rom. 1. hoc eſt, qui ùt vertunt multi, & intelligunt omnes, declaratus agnitúſque à mundo eſt Filius DEI, ac DEUS altiſſimus, per Reſurrectionem ſuam & miſſionem Spiritûs Sancti. Adverſariorum ſententia Chriſtum totum facit merè ſecundùm carnem, & ex ſemine David, & Iſraëlitam ; naſci enim ex Virgine, vel impleri gratiâ Spiritûs Sancti, non tollit carnis & humanitatis ortum ac naturam.

Hinc

Hinc eſt, quòd ſcripturæ de Chriſto, jam homine, jam DEO loquentes, dum DEUM illum ſignificare volunt; nominant paſſim Filium DEI. Exemplum illuſtre Martha, cum eo Lazarum reſuſcitaturo colloquens Joan. 11. ubi, cùm initio Martha ſe in illius tanquam Prophetæ magni virtute, cui dabit DEUS quidquid popoſcerit, confidere monſtrâſſet; poſteaquam dixit illi JESUS quaſi eam coarguens: *Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum: credis hoc?* Ait illi Martha, Divinitatem ejus veram apertè profitens: *Utique Domine! ego credidi quia tu es Chriſtus Filius DEI vivi, qui in hunc mundum veniſti*: quaſi diceret, tu es DEUS altiſſimus, cui non eſt opus poſcere à DEO ut det tibi; qui non arbitraris rapinam, eſſe te æqualem DEO. Cùm cæcum à Nativitate Joan. 9. illuminâſſet; iſque ſoſpitem ſuum prædicans ac defendens, ejectus à Judæis frendentibus è Synagoga fuiſſet: accedit ad eum JESUS, & *dixit ei: Tu credis in Filium DEI? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt Domine, ut credam in eum? & dixit ei JESUS: & vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt.* At ille ait: *Credo Domine! & procidens adoravit eum.* Homo iſte JESUM ex miraculo illo, & Prophetam, & à DEO eſſe, jam antè confeſſus erat; nunc ſecundò, fide illuminatus, Filium DEI, ſeu verum DEUM credit, & adorat.

12. Ad ea, quibus ſententiam ſuam confirmabant adverſarii; reſpondeo ad primum: in illa oratione Angeli ad Virginem, *ideóque* non ſignificare propriè cauſam, quaſi ratio tota cur vocandus, ſive futurus ſit Filius DEI Chriſtus; quia ſine viro divinâ virtute concipiendus: ſed ùt & aliis pluribus in locis, congruentiam rei denotare: quaſi declararet illa particula, conveniens fuiſſe Chriſti JESU carnem Perſonæ divinæ uniendam, atque à Filio DEI aſſumendam concipi & naſci ex Virgine; tum majoris in Matre admi-

 rabili

rabili puritatis gratiâ, tum ne filius ejus Patrem habeat in terra quà homo, qui Patrem haberet in Cælo, quà DEUS. Quod ſi autem tu abſolutè urgeas particulam illam *ideóque*, iſthic eſſe cauſalem habendam: dicam, eô etiam hic & nunc tibi tranſmiſſo, verbis illis Angeli: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te &c.*, quæ in toto Bibliorum volumine de nulla generatione vel productione alia leguntur, duo indicari myſteria: primum, Virginem parituram illibatam; quod minus, & quò mirabilior eſt, vel Adami è terra, vel ex illius coſta Evæ formatio, vel reſurrectio mortuorum: alterum eſt, Virginem parituram Filium DEI, Deúmque verum; cui operi divino par nullum dari, aut cogitari poterat, eſtque myſterium illud planè ineffabile. Unio hæc carnis è ſemine Virginis formatæ in unam cum Filio DEI, Deóque altiſſimo perſonam, expoſcebat phraſim eam admirandam: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Operatio illa non tantùm Spiritûs Sancti, ſed Sacro-Sanctæ Trinitatis totius maxima, tantáque fuit; ut nihil unquam fecerit majus, faceréque potuerit Altiſſimus. *Ideóque* ait Gabriel, ſive propterea, quòd Filius DEI erit Filius tuus, ſeménque tuum unietur hypoſtaticè cum Verbo Perſona divina ſecunda; *& quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius DEI.* Ubi adverte, non dici, qui naſcetur ex te Sanctus; ſed quod naſcetur Sanctum ex te, in genere neutro: quaſi vellet indicare, ùt ajunt Sancti Patres, non hominem purum Sanctum; ſed ſanctitatem ipſam, fontémque Sanctitatis omnis DEUM, cum humana ex Virgine accepta natura naſciturum. Neque dic id unum quæſitum à MARIA; quomodo filium ſinè viro parere deberet. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Nam & alterum jam arcanum, quod erat longè ſublimius, de Filio ſuo futuro revelatum audiverat: *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Angelus ei proinde utrumque

que myſterium explicat; & quòd ſinè viri contactu, & quòd non purum hominem, ſed Filium hominis, & Filium ſimul DEI paritura eſſet: propter quod ſecundum vel maximè utitur eâ phraſi nunquam priùs auditâ: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ob hoc ſecundum, generationem Chriſti ex Virgine Iſa. 7. tanta cum Majeſtate prædixit per Prophetam Dominus; adjiciens loqui ad Achaz, dicénſque: *Pete tibi ſignum à Domino DEO tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergò Domus David. Nunquid parùm vobis eſt moleſtos eſſe hominibus; quia moleſti eſtis & DEO meo? propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ergò verbô unô, primum illud, hoc eſt concipi ex Virgine; fuiſſe viam duntaxat, ac diſpoſitionem aliquam crede, ad hoc ſecundum; quod eſt, DEUM in illa Filii MARIÆ Conceptione Incarnatum eſſe. Ad ſecundam eorundem confirmationem ajo, credi omninò à fide Catholica, juxta definitionem Concilii Francofordienſis; Chriſtum ne quidem quoad naturam humanam eſſe Filium DEI adoptivum, at naturalem: non quia Virgo MARIA gignendo Filium ſuum, communicaverit ei Divinitatem; ſed quia genuerit hominem, qui ſimul erat DEUS verus per Unionem hypoſtaticam humanitatis illius cum Divinitate: qui purus homo, & in humana ſubſiſtens perſona, nunquam erat; ſed ſtatim atque natus & conceptus eſt, DEUS ſimul & homo extitit. Quare Chriſtus etiam ùt homo, non fuit extraneus à DEO, propter perſonam naturæ illius humanæ divinam, in qua ſubſiſtebat; verùm erat Filius DEI naturalis, vi Unionis hypoſtaticæ cum illo. Naturalis porrò filius nequit adoptari; ſed tantummodo extraneus. Quod habuit ab æterno genitus à Patre ſecundùm naturam ſuam Divinam; id ſervavit carnem etiam adjungens ſibi; eâdem in

utraque generatione perſonâ, ſecundùm diverſas naturas, retinente Filii DEI denominationem. In illa prima & æterna fuit per eſſentiam ſuam & identitatem cum Patris natura Filius; in hac temporali & ſecunda per unionem hypoſtaticam perſonæ, Deitatiſque ſuæ cum humanitate genita. De quo & in ſymbolo Apoſtolico alibi egimus; & infrà locus erit pluribus agendi. Nunc ſatis ſit demonſtrâſſe, Nomen Filii DEI proprii ac naturalis, nulli omninò perſonæ convenire poſſe; nisi quæ ſit æqualis, vel potiùs unius cum DEO Patre naturæ: quæ ſi poſtea creatam in ſe aſſumat naturam; manebit quoad eam etiam Filius DEI naturalis: non propter illam præcisè; ſed propter illam, ſecum in unam perſonam unitam.

§. IV.
De Nomine Emmanuelis.

13. HOc Nomen Chriſti non ſemel jam à nobis memoratum, promulgatum eſt ſolenniter Iſa. 7. & Matth. 1. *quod eſt interpretatum nobiſcum DEUS.* Significat igitur nominatum eô titulô, & DEUM, & nobiſcum futurum. Quaſi diceret apud Iſaiam Dominus: Cùm Virgo concipiet & pariet, tunc non pariet Ezechiam, non Scar, non Jaſub, Reges veſtros, homines puros; ſed Emmanuelem, ſive DEUM & hominem; tunc DEUS hic, qui nunc vobiſcum eſt, ô Achaz! ô Judæi! ſpiritualiter inviſibilis; vobiſcum erit corporaliter viſibilis: non in phantaſtico, ùt voluêre Manichæi, & hæreticorum nonnulli; ſed vero corpore: Butyrum enim & mel comedet, utì vos. Tunc ô Judæi! Emmanuel iſte, ſive *nobiſcum DEUS*, qui nunc nos per figuras ſuas liberaturus eſt à Syris & Samaritis; liberabit per ſe ipſum in veritate, à peccato & poteſtate diaboli. Ergo Nomen hoc, idem declarat, ac Verbum factum eſt; idem expri-

exprimit clarè, quod David aliíque Prophetarum innuebant, DEUM invocantes celeberrimè: *DEUS, DEUS meus!* vel *DEUS noſter! Benedicat nos DEUS: DEUS noſter, benedicat nos DEUS!* Pſal. 66. Ubi Pater & Spiritus Sanctus, *DEUS* ſimpliciter; Filius *DEUS noſter* nuncupari creditur à Sanctis: *DEUS noſter, DEUS ſalvos faciendi* Pſal. 67. 21. *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum!* Pſal. 8. Idem eſt Emmanuel, quod EEUS φιλάνδρωπος; cujus deliciæ eſſe cum filijs hominum: *Benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri DEI.* Tit. 3. 4. Eſt idem, quod θεὸς ἀνὴρ, hoc eſt, DEUS vir: unde aliquæ operationes Chriſti erant theandricæ, prout vocat Sanctus Dionyſius de Divin. nomin. cap. 2. in quibus is ſoli erat ſubditus Patri: talia fuêre opera redemptionis mundi; quæ nec à ſolo DEO, nec ab homine puro poterant fieri: erant aliæ operationes illius humanæ, ut comedere, fabrilia exercere &c. in quibus erat ſubditus etiam Matri: aliæ denique puræ divinæ, ùt creare mundum, &c. Eſt Emmanuel DEUS ille altiſſimus, quem pluribus deſcribens ſubjungit Baruch: *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus:* Vide ſuprà Inſtit. 3. num. 3. qui dicebat apud Iſaiam: *Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum*: vide ibidem num. 2. de quo Jerem. 23. 6. *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum; Dominus juſtus noſter*: in Hebræo eſt, *Juſtitia noſtra*; & pro *Dominus*, poſitum eſt nomen DEI Tetragrammaton, Jehova. Si quæras, cur vocandus ſit *nobiscum DEUS*; & non, *nos cum DEO?* Reſpondeo quia DEI Filius in ſe ab æterno ſubſiſtens, naturam noſtram aſſumpſit in tempore, ac ſuæ divinæ univit perſonæ; non autem homo naturam divinam: ſiquidem humanitas Domini non erat priùs homo; quàm DEUS factus ſit homo. DEUS prior quæſivit venítque ad nos; non nos ad illum.

14. Judæi perfidi negant hanc ad Chriſtum pertinere Iſaiæ prophetiam; eò quòd ille non vocatus eſt Emmanuel,

ſed JESUS. At ô cæci cæcorum! non videtis hîc & perſæpè in Bibliis, *vocari*, ſignificare id, quod eſt *eſſe*? ſive talem futurum, ut hoc ei nomen jure competat? ſic Iſa. 9. vocandus prædicitur idem Chriſtus, *Admirabilis*, *Conſiliarius*, *DEUS*, *Fortis*, *Princeps pacis*, *Pater futuri ſæculi*. Sic Gabriel ad Virginem de cognata ejus Eliſabeth: *quæ vocabatur ſterilis* Luc. 1. Non videtis per nomen, haud intelligi ſemper nomen alicujus proprium; ſed crebrò agnomen, vel titulum, elogiúmque aliquod nominati? ùt cùm quis magnus, optimus, expugnator Urbium, Rex Catholicus &c. vocatur: ùt cùm Dominus Joannem, & Jacobum appellavit Boanerges. Aliud etiam eſt nomen accipere; aliud eſſe illud in uſu communi. Non videtis neminem fuiſſe in mundo, potuiſséque dici Emmanuelem tam propriè ac verè, quàm Chriſtum JESUM? In quo uno DEUS homo factus, Deúſque Incarnatus eſt: hoc eſt qui ſolus erat veriſſimè, *nobiſcum DEUS*. Non videtis Emmanuelis Nomen, reapſe idem eſſe cum Nomine JESU? Salvare namque ac ſatisfacere DEO pro nobis nemo poterat, præterquàm DEUS homo, id eſt Emmanuel. Non auditis ab orbe terrarum Chriſtiano, ab Eccleſia univerſa, eum ſæpiùs nominari Emmanuelem? Judæis cæcitate ac perfidiâ nihil concedunt adverſarii noſtri. Georgii Enyedi de nomine iſto blaſphemiam, ſuprà Inſtit. 1. num. 2. produxit: reliqua illius & eorum argumenta contrà illud audiamus. Primò Emmanuelis nomen ajunt aliis etiam tributum hominibus, non eos fecit Deos: multi enim dicuntur id eſſe, quod non ſunt. Secundò poteſt Chriſtus intelligi Emmanuel, non ideo, quòd is ipſe verè DEUS eſt æternus; at ſolùm quòd præſens in illo DEUS, ſalúſque à DEO promiſſa mundo per illum. Tertio & Virgini Mariæ dictum, & Gedeoni, *Dominus tecum*, neque tamen illi propterea fuerunt Gehova, ſed Gehova in illis, cum illis, per illos, adjuvans nos: taliter igitur & JESUS, non eſt per ſe

DEUS;

DEUS ; ſed in illo, cum illo, per illum, ſalvat nos Altiſſimus. Quartò, ut etiam DEUM hoc in Nomine ſuo vocari Chriſtum admitterent ; negant tamen aliô id modô, quàm quô dici poſſunt homines Dii, accipiendum eſſe.

15. Reſpondeo vaniloquiis, & blaſphemiis hiſce. Ad *1mum.* multos geſtare nomen ſibi ab hominibus neſcio quibus datum, cui nullâ ratione reſpondeant, certiſſimum eſſe : nam & tu Enyedine vocaris à tuæ fœcis homuncionibus, Theologus, & Propheta ; miniméque es : at cui prima, & infinita veritas DEUS, Filio ſuo nomen impoſuit Emmanuelis ; ut is menſuram illius non perfectè impleverit, Atheus ſit, oportet, qui credat. O ſtupidam, & impiam conſequentiam ! Ergò Chriſtus etiam titulum à DEO ſibi Nomenclatione tam ſolenni tributum, ut in ejus teſtimonio vetus novúmque teſtamentum, Iſaias, & Matthæus conſpiraverint, indignè vel ſaltem inpropriè, tropicéque geſtaverit. Reſpondeo ad *2dum.* non eſſe Domino noſtro datum nomen *in te*, vel *tecum*, vel *per te*, *nobiſcum DEUS*, quod valde bene notandum ; ſed tu vocaberis, & eris, *nobiſcum DEUS.* Quapropter, ſicut quia vocatum eſt appellatione ſolenni ac divinâ nomen ejus JESUS ; non ſolùm in illo, cum illo, per illum ſalvavit nos DEUS ; ſed ille ipſe in perſona ſua fuit per ſe in omni veritate Salvator mundi : *ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. ita pariter, quia æquè divinâ & ſolenni appellatione, tantò antè vocatum eſt per Prophetam nomen ejus Emmanuel ; debebit is ſalvâ DEI altiſſimi Nomenclaturâ, in ſe, ac per ſe immediatè, non mediatè cum DEO, in DEO, per DEUM, eſſe nobiſcum DEUS. Audebiſne tu ad nomen titulúmque Chriſti Filii DEI, à Patre mirabili ſolennitate deſcriptum, cerebro tuo Chriſtomacho jota unum, aut apicem unum agglutinare ? Ad tertium dico, toto cælo aliud eſſe, annunciari ab Angelo cuipiam, *Dominus tecum* ; aliud prophetari de Chriſto, *vocabi-*

tur Nomen ejus Emmanuel, ſive *nobiſcum DEUS*. Quemadmodum porrò, ex eo quòd illis annunciabatur, Dominus tecum ; colligi oportebat non eos eſſe dominos, ſed præſentem iis & cum illis futurum Dominum : ita ex hoc, quòd expreſsâ declaratione perſonæ Chriſti, vocabitur Nomen ejus, *nobiſcum DEUS* ; colligas neceſſe eſt, ipſum & *DEUM* altiſſimum, & *nobiſcum* futurum, ſive vocandum : nisi dicas impiè, DEI Maximi denominationem adeò ſanctam fallere, aut nugari poſſe. Ad *4tum*, quòd DEUS in hoc nomine ſit non verus, ſed metaphoricus accipiendus ; ajo magnam eſſe blaſphemiam : ubi vel minimum hîc ſignum metaphoræ ? *Butyrum* inquis, & *mel comedet* : quod in DEUM non cadit. Reſpondeo in DEUM purum, concedo ; in DEUM Incarnatum, ſeu nobiſcum DEUM, nego. Exempla quæ affert ad hoc probandum Enyedinus, nihil faciunt ad rem. Primò, cùm Iſraëlitæ adduxiſſent Arcam ad caſtra ; *timuerunt Philiſthim, dicentes, venit DEUS in caſtra*, 1. Reg. 4. Verùm eæ voces Philiſthinorum, & non DEI erant ; nec aliud per illas poteſt intelligi, quàm DEUM in Arca, & per Arcam aſſuturum, atque auxiliaturum Iſraëli : Arca illa figura, Chriſtus veritas. Secundò Abraham appellavit nomen Montis, *Dominus videt* Gen. 22. 14. Jacob vocavit nomen loci illius *Phanuel dicens : vidi DEUM facie ad faciem.* Gen. 32. 30. Sed quid tum ? aliud eſt loco alicui, reíque inanimæ ab eventu aliquo divino nomen dari ; aliud perſonam tam ſublimem, quàm Chriſtus eſt Filius DEI, pro DEO vero in ſcripturis cunctis adoratus, *DEUM nobiſcum*, ſimpliciter, & abſolutè ab ipſo DEO nominari.

§. V.

De Nomine Meſſiæ, ſive Chriſti.

16. MEſſias hebraicè, Chriſtus græcè, latinè Unctus dicitur. Ungebantur autem in veteri lege Reges, & Sacer-

Sacerdotes : quâ cæremoniâ conſecrabantur Domino ; ideóque Chriſti, ſive Uncti Domini appellabantur : per quos omnes Chriſtos & unctos, hîc unus Meſſias verus, & Chriſtus JESUS præfigurabatur ; unctus à Spiritu Sancto quoad naturam ſuam humanam, de quo conceptus eſt, & qui ſuper eum requievit cum ſuo Septenario divino Iſa. 11. Fuit is hoc nomine Chriſti expreſſo prædictus, & appellatus ab ipſis Prophetis. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum ; ut conſummetur prævaricatio & finem accipiat peccatum, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte ; ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades 7. & hebdomades 62. erunt : & poſt hebdomades 62. occidetur Chriſtus ; & non erit ejus populus ; qui eum negaturus eſt &c.* Dan. 9. Fuit expectatus hoc nomine ab omni populo Judæorum ; ùt etiamnum expectatur ab eorum perfidia. Andreas invenit primùm *fratrem ſuum Simonem, & dicit ei : invenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus.* Joan. 1. 41. Mulier Samaritana Joan. 4. 25. dicebat Domino : ſcio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. Ergò ſiquidem Meſſias hic, & Chriſtus, ſive Unctus, deſignat JESUM MARIÆ Filium in Regem, & Ducem, Dominatorem, ùt & in Pontificem, Prophetam, Doctorem noſtrum ſummum, à DEO Unctum ; de illo ùt Propheta, Pontifice, Magiſtro, tractaturi paulò pòſt, nunc de Chriſto Rege, ac Dominatore paucis agamus : demonſtremus Regem hunc, regnúmque illius eſſe tale, quod nulli puræ creaturæ poſſit competere ; ſed neceſſariò veram ei Divinitatem, eô ipsô, quòd ſceptrô iſtô potitur, eſſe attribuendam.

17. Regiâ Chriſti dignitate nihil ex tota ſerie Bibliorum Judæis notius ; nihil erat ignotius. Notiſſima fuit, quia nulla ferè pars librorum divinorum eam non prædicabat ; ignotiſſima, quia longè aliam illius formam, quàm oportebat,

bat, animis ſuis præconcipiebant: ſcilicet humanam merè, qualis erat Regum Iſraëlis antecedentium; & non divinam, ùt reipsâ fuit. Putabant illi communiſſimè, ab hoc Rege Chriſto liberandam à calamitatibus ſuis temporariis gentem judaicam; atque in eo vel majore vigore collocandam, in quo extitit ſub Regibus, David, & Salomone: intelligere nolebant à lapide abſciſſo de monte, ſinè manibus, id eſt à Chriſto, cujus regnum implevit, ùt revelatum erat Danieli cap. 2. univerſam terram; regna & imperia mundi cætera communienda, ſibíque ſubjicienda: regnum porrò ejus ſpirituale futurum, ac duraturum in æternum. Error communis occupaverat etiam diſcipulos, poſt ipſam quoque reſurrectionem Domini: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël* Luc. 24. 21. Imò proximè Aſcenſionem, qui convenerant, *interrogabant eum dicentes*: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël*? Actor. 1. 6. Caput accuſationum illius in tribunali Romano erat; quòd ſe Chriſtum Regem eſſe jactaverit: in Concilio Pontificum, & Phariſæorum; quòd ſe fecerit Filium DEI: ſi quod res eſt intelligis, utroque idem afferebatur. Pilatus, quod ſui erat fori, quærit ex ipſo: *Tu es Rex Judæorum*? Chriſtus reſponſo ſuo ſapientiam, Majeſtatémque ſuam divinam detegit: *Regnum* inquit, *meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum; miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Joan. 18. Ait, & negat ſe Regem eſſe: negat modo terreno & humano, qui Romanis metuendus, & qui à Pilato crimini vertendus erat; ait ſe Regem eſſe modo cæleſti, ac divino. Regnum meum non eſt hinc, non eſt de hoc mundo; eſt igitur de ſurſum, eſt de mundo futuro.

18. Quod cùm ita ſit, quis non animadvertat, Chriſtum hunc eſſe DEUM altiſſimum? Eſt Rex Dominúſque cœleſtis, ſedes & regnum illius proprium, cælum eſt; quod

cui

cui vult, & quando vult conferre poteſt: & eſt Rex, Dominúſque animarum noſtrarum, Angelorum, & hominum. S. Auguſtinus præclarè notavit, non dici à Chriſto, regnum meum non eſt in hoc mundo; ſed *non eſt de hoc mundo*: eſt, námque is Rex Cæli & terræ, Dominus eſt univerſorum; verùm non ea regnat in forma, quâ terreni Reges ab hominibus conſtituti, & muniti: promoventes armis, opibus, militibus, aliíſque præſidiis humanis, ſuam, ſuorúmque felicitatem in hoc ſæculo; in quo ipſo non multum, eô finitô nihil ampliùs poſſint. Chriſti Regnum, eſt illud ipſum, quod eſt Patris item æterni; quem in oratione Dominica rogamus, *adveniat Regnum tuum.* Ergò ſi regnum hoc eſt æquè proprium DEI Patris, ac Filii: vel Chriſtus eſt unus idémque DEUS cum Patre, unius & ejuſdem numero naturæ, ac Majeſtatis cum illo; vel nequit ille Rex Dominúſque ſummus eſſe in hoc Regno. Nam ſicut Cælum ſoles duos; ita nec Regnum unum, Reges duos capit: & ſi quando fortè id inter homines eveniat; fieri certè abſque unius alteriúſque dominatûs imminutione, ac defectu non poteſt. Chriſtus non Pro-Rex Regni Cæleſtis, non unô tantùm Regni ſoliô Rege inferior, ùt figura ejus Joſeph in Ægypto; ſed Rex abſolutè, Dominúſque ſupremus proclamatur ubique, à Spiritu Sancto: & tamen non ſit DEUS altiſſimus? ſit minor DEUS, Dominúſque Patre ſuo, qui eſt in Cælis? Interrogabat eum Pilatus; *Ergò Rex es tu? Reſpondit JESUS*: *tu dicis* (quæ Judæorum phraſis eſt affirmantis) *quia Rex ſum ego: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum; ut teſtimonium perhibeam veritati &c.* Joan. 18. Hæc fuit cauſa mortis ejus à Pilato ſcripta: *JESUS Nazarenus Rex Judæorum*: quem titulum necquidquam inpugnatis Judæi, & Antitrinitarii; quod ſcripſit, ſcripſit per Pilatum, Pater æternus. Latro in cruce pendens, ad eum crucifixum inquiebat: *Domine memento mei cùm veneris in Regnum tuum.* Luc. 23.

23. Ipſe de ſe ad duos diſcipulorum : *Nonnè hæc oportuit pati Chriſtum ; & ita intrare in gloriam ſuam* ? Luc. 24. Joannes Baptiſta de illo : *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum* (Regnum ſuum Cæleſte) *paleas autem comburet igni inextinguibili.* Luc. 3. Apoſtolus Paulus *1.* Cor. 2. *ſi cognoviſſent*, ait, *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

19. Dices primò : Beati etiam dicuntur in Scriptura Reges cæleſtes, & conregnare cum Chriſto ac DEO : cur igitur non & Chriſtus Rex eſſe, atque cum Patre ſuo conregnare poſſit, abſque eo ; quin ejuſdem ſit naturæ ac poteſtatis, idémque numero Rex cum illo? Secundò, Regnum hoc per paſſionem mortémque ſuam eſſe à Chriſto comparatum ; neque prius obtentum, quàm poſt Reſurrectionem: quando inquiebat ad ſuos ; *data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra* Matth. 28. Apoſtolus Phil. 2. *propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi Nomen &c.* Petrus ad Judæos Actor. 7. 36. *Certiſſimè ſciat ergò omnis domus Iſraël ; quia & Dominum meum & Chriſtum* (hoc eſt Unctum, ſive Regem, Pontificémque ſummum) *fecit DEUS hunc JESUM, quem vos crucifixiſtis.* Paulus Epheſ. 1. 20. *Suſcitans eum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus ; ſuprà omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne Nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro : & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus ; & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus : qui omnia in omnibus adimpletur.* Apoc. cap. 5. per totum graphicè repræſentantur Cælites Chriſtum adorantes, eíque concinnentes: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem &c.* Ergò Regnum hoc, dotéſque regias Chriſtus non habuit ab æterno ; ſed ex gratia & remuneratione Patris, laboribus ſuis acquiſivit. Reſpondeo ad pri-

primum: in Cælo Sanctos conregnare DEO, Regníque cæleſtis dominos & hæredes eſſe, non jure ſuo proprio, ac naturali, ſed ex gratia, meritíſque Chriſti, qui cum eis, ceu Amicis ſponſíſque ſuis, bona ſua omnia voluit communicare. Quare illi non ſunt primi, maximíque Reges, ſed à Patre, Filióque propter Chriſtum pro ipſis mortuum, in Regni Societatem adſciti, & aſſumpti. At Chriſtus ſicut idem numero DEUS eſt cum Patre; ſicut ſolus ille Filius DEI naturalis & unigenitus; ita & Rex, Dominúſque Regni Cæleſtis unus, & idem numerô cum Patre, nec ullo, vel minimo gradu eſt eo inferior: per quem in filiorum numerum adoptantur, regnántque cæteri. Chriſtus quà DEUS, Filiúſque DEI non ex gratia, donóque Patris eſt Rex, ac Dominus ſupremus; ſed ex naturali & æternâ ſuâ Nativitate: quem Pater non liberè, nec ex ſua electione genuit; ſed una, eadémq; amborum Deitas & eſſentia exigebat; ùt & ille generaret, & iſte generaretur ab æterno. Proinde coæterni ſunt ambo, ſibíque coæquales; unus idémque DEUS, & Dominus, & Rex, uterque. Ad ſecundum reſpondeo, non paucos adverſariorum ob textus ibi allegatos, pluréſque Domini prærogativas ejuſmodi, aſſeruiſſe; Chriſto regios, divinóſque à DEO Patre collatos honores, ac divinitatem aliquam communicatam, poſt reſurrectionem, aut Aſcenſionem ſuam, propter labores, calicémque paſſionis & mortis exhauſtum. Verùm ut alia mittam, quæramus ex illis, num Chriſtus cum omni ea Majeſtate ſua & exaltatione, manſerit pura creatura; qualem eum fuiſſe in Nativitate credunt Chriſtomachi? utrum novis tantummodo, ac mirandis gratiæ, gloriæ, virtutis divinæ, unctus ſit augmentis, quorum creatura pura capax ſit? An verò reipsâ DEUS is verè poſt mortem ſuam factus ſit Altiſſimus? Hoc ſecundum nec dicent, nec dicere per ſuam hæreſim poſſunt: ſi primùm illud ajunt (nam tertium fingi nequit) hæc eſt ipſa & blaſphemia, & amentia ſumma, quòd perſuadere ſibi ve-

velint, Perſonam illam, quæ Rex, Dominúſque ſupremus eſt in Regno Cælorum, & quæ ſuper omnia eſt, atque ùt talis adoratur ab omnibus, poſſe puram eſſe creaturam DEO infinitè inferiorem. *Gloriam meam alteri non dabo*, proteſtatur ſæpiùs Altiſſimus; maximúſque ultor eorum eſt, qui cultum ipſi uni debitum tribui ſibi deſiderârunt, vel alteri tribuere alicui ſunt auſi. Quæ rogo gloria, quis cultus DEO Maximo magis debitus, magis unicè proprius; quàm ille, quo Chriſtum videmus, legimúſque in ſcripturis exaltatum? *Et omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo; omnes audivi dicentes: Sedenti in throno Agno, Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas, in ſecula ſeculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et* 24. *Seniores ceciderunt in facies ſuas; & adoraverunt viventem in ſecula ſeculorum.* Apoc. 5. Agnus ille, ſi pura creatura eſſet; certò non poſſet adorari, ab omni creatura, cum tam univerſali diſtributione; ſiquidem & ipſe una de ipſis foret: certò non eſſet ſuper omnem omninò creaturam, nec diceretur illi: *Thronus tuus Deus! in ſeculum ſeculi: virga æquitatis, virga regni tui &c.* Heb. 1. 8. Pſal. 44. 7. *Et: tu in principio Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Heb. 1. 10. Pſal. 101. 26.

20. Quapropter ad id, quod objicitur reſpondendum eſt directè; Chriſtum quà DEUM fuiſſe ab æterno Regem illum, Dominúmque ſummum; quem Literæ ſacræ deprædicant: quà hominem autem, ab illo Conceptionis ſuæ inſtanti; quô Verbum Caro, DEUS homo factus eſt: tunc enim ſtatim de homine illo divina, & de DEO prædicari poterant humana. Poſt Reſurrectionem, ſuámque Aſcenſionem, non aliud ille Regnum, dominatúmque novum obtinuit; quàm gloriam corporis, & exaltationem Nominis, ac divinitatis ſuæ in toto mundo: qua utraque in vita mortali propter noſtram ſalutem carere voluit. Ad hoc porrò utrumque,

que, atque adeò ad ſedendum ad dexteram Patris, quà homo etiam jus habuit in primo Incarnationis ſuæ momento; in quo caro & humanitas ipſius, divinitati eſt hypoſtaticè unita: voluit nihilominus meritis etiam præterea ſuis adipiſci jus novum ad hanc corporis, nominiſque ſui gloriam; nam anima ejus viſione DEI beata, gloriáque cæleſti, nullo vitæ inſtanti caruit. Sic Princeps militis gregarii perſonam induens, commune ſtipendium facere, ſuóque propriô exærario accipere poteſt; cum immortali ſua laude ac dignatione. Itaque, data eſt mihi, ajebat, omnis poteſtas; hoc eſt, data mihi quà DEO, à Patre, qui me genuit ante omnia ſecula: data eſt quà homini, quoad jus & rem ipſam quidem ab Incarnatione; quoad uſum tamen ac declarationem, manifeſtationémque poteſtatis, data eſt ea potiſſimùm poſt reſurrectionem & aſcenſionem meam. Data eſt humanitati meæ poteſtas hæc à Patre, cui eam acceptam appropriare volo; quamvis re verâ data ſit & à Patre, & à Spiritu Sancto, & à mea propria Perſona divina, quæ naturam hanc humanam aſſumpſit. Data eſt omnis ea poteſtas & gloria mihi duplici titulo; tum propter Unionem hypoſtaticam, tum propter merita, mortémque meam. hunc JESUM quem crucifixiſtis Judæi, & Dominum & Regem Cæli ac terræ fecit DEUS; quando naturam ejus humanam, formámque ſervi accepit: revelavit autem gloriam & Majeſtatem illius mundo, tum præcipuè; quando eum ſuſcitavit à mortuis, & conſtituit ad dexteram ſuam. Agnus qui occiſus eſt, dignus fuit honore divino ſtatim, ac DEUS homo factus eſt; dignus eſt præterea ex merito mortis ſuæ: ut quò ſe magis humiliavit; hòc amplius exaltetur & glorificetur. *Hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*: quam nimirum ante paſſionem quoque ſuam, dicere poterat jure omni ſuam. Judicandus noluit in tanta Majeſtate apparere; quanta eſt, erítque Judicis. Voluit vel hoc ſuô exemplô nobis præmonſtrare; per viam

viam crucis, & humilitatis tendendum esse Christianis ad futuram gloriam. Denique Regnum & dominatum Cæli ac terræ summum, negare illi nullomodô potestis Christomachi: rationis verò lumen in vobis prorsùs extinguitis; si Majestatem hanc in ullo, extra verum, æternúmque DEUM reperiri posse admittitis.

21. Concludat hanc omnem de Regno Christi disputationem Rex David Pater ipsius; in cujus psalmis Rex iste noster passim pro DEO vero decantatur. Veniant duo in medium, Christianorum omnium inscribi pectori ambo dignissimi. Psalmus 95. cantans Domino nostro canticum novum, annunciari jubens de die in diem salutare ejus, afferre patrias gentium (quas Christus solus domuit) gloriam Nomini ejus &c. versu 9. inquit: *Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.* Sanctus Augustinus legit: *quia Dominus regnavit à ligno.* Nolite adversarii lectionem hanc ex vili apud vos authoritate Augustini spernere; à plurimis aliis eo etiam antiquioribus receptam: fuisse olim eam in versione septuaginta, & à Judæis abrasam, sublatámque, testatur S. Justinus in Dialogo cum Triphone; ùt & Fortunatus in hymno suo, *Vexilla Regis prodeunt* ab Ecclesia tempore passionis celebrato: qui ex hac lectione accepit illud:

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine.
Dicens in nationibus
Regnavit à ligno DEUS.

En gravissimam lectionis hujus authoritatem! quæ in veteri quoque, ac Romano Psalterio extat; quam in Justino, Tertulliano, Cypriano, Arnobio, Concilio Nicæno anterioribus reperimus. Psalmus porrò ille, nihil certiùs quàm

quod

quod DEO applaudat Altiſſimo regnanti. Veniamus ad alterum 44. Pſalmum: qui tractat ſummam omnium Latinorum, Græcorum, Hebræorum, conſenſione de Meſſia, ſeu Chriſto Rege; nec non de Sponſa illius Eccleſia. Prætereo cætera: *Sedes tua DEUS*, inquit ℣. 8. *in ſeculum ſeculi; virga directionis, virga regni tui.* Sedes tua ô Chriſte DEUS! non erit brevis temporis, ùt mea, meíque Salomonis; ſed manebit in æternum, ſceptrum tuum erit rectiſſimum. Athanaſ. orat. 2. contra Arianos, cæterique Patrum, Chriſtum hìc apertè vocari DEUM, indéque optimè probari veram illius divinitatem confirmant. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 15. plurimum ad id probandum momenti ſtatuit in hoc teſtimonio. Euſebius lib. 4. de demonſtrat. Evang. cap. 15. notat, τὸ *DEUS* in vocativo caſu eſſe; vimque in eo facit, & rectè: ita enim vertunt expreſsè Aquila & Symmachus. At Eraſmus, DEUM hoc loco eſſe inquit nominativi caſûs; quaſi diceretur ſedes tua & thronus Chriſte, ipſe DEUS eſt. In quanta non abſurda præcipitavit virum hunc eruditum, ſpiritus maledicendi Chriſto, & Spiritui Sancto? Ergò Paulus Hebr. 1. 8. erravit, hunc textum ad Chriſtum ſic applicans? *Ad Filium autem: thronus tuus DEUS, in ſeculum ſeculi; Virga æquitatis, virga regni tui*: ubi Symmachus ponit, ὦ Θεὲ, ô DEUS! profectò ad dexteram DEI ſedet humanitas Chriſti; & non ſuper DEUM: ſedes eſt, imò ſcabellum Deitatis illa; & non illius thronus eſt Deitas. Concilium Antiochenum in epiſt. miſſa ad Paulum Samoſatenum, antequam is deponeretur, hinc deducit ab æterno extitiſſe Filium DEI; & ait: *Qui contradicit Filium DEI, non eſſe DEUM ante conſtitutionem mundi; dicíque, credere & confiteri duos prædicari Deos, ſi Filius DEI prædicetur DEUS; hunc alienum eſſe ab Eccleſiaſtica regula arbitramur: & omnes Eccleſiæ Catholicæ nobiſcum conſentiunt. De hoc enim ſcriptum eſt: Thronus tuus in ſeculum ſeculi.* Adverte, Concilium hoc & Paulum Samoſatenum

ſatenum pluribus annis ante Synodum generalem primam Nicænam extitiſſe. Sequitur in Pſalmo : *Dilexiſti Juſtitiam, & odiſti iniquitatem ; propterea unxit te DEUS ! DEUS tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Obſervat rursùs in verbis his S. Auguſt. adverſus Hebræos & hæreticos ; primum illud *DEUS* eſſe in caſu vocativo ; ſecundum autem in nominativo : quomodo etiam Hieron. epiſt. ad Principium, docet intelligendum eſſe textum ; quod clariſſimè apparere in textu græco affirmat Auguſtinus. Unde colligit Bellarminus in hunc Pſalmum, errorem eſſe in textibus græcis, quos nunc habemus ; atque Omega mutatum in omicron vitio librariorum. Itaque ſenſus Pſalmi eſt : Unxit te ô Chriſte DEUS ! ô Fili DEI ! DEUS Pater tuus : unxit nimirùm, quando naturam tuam humanam uniendo Perſonæ tuæ divinæ, oleô gloriæ ac lætitiæ præ omni pura creatura conſecravit & beavit. En iterum Chriſtum Regem, quàm clarè à Pſalmodo DEUM prædicatum !

§. VI.
De Nominibus Domini & Magiſtri.

22. DUo Chriſti Nomina celeberrima ſextò produco ; *Dominus* & *Magiſter* : quo utroque DEUS is eſſe Altiſſimus perſpicuè docetur. Qui Rex eſt, nequit non eſſe Dominus ; tantúſque ac talis Dominus, quantus & qualis eſt Rex. Dominatum Chriſti ut plenè intelligas, duplici documento tibi demonſtro. Primùm, quo Dominus rerum omnium ſupremus ; deinde, quo ſolus ille Dominus noſter mundíque totius, expreſsè renunciatur : quorum neutrum poteſt cadere in alium, quàm DEUM altiſſimum. Exempla utriúſque occurrunt ſæpius in Libris ſanctis. Apoc. 17. 14. *Agnus vincet illos : quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum ;*

gum ; & qui cum illo ſunt, vocati electi, & fideles. Apoc. 19. 16. *Habet in veſtimento & fœmore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* At hi tituli ſunt DEO vero proprii ; ùt habetur 1. Tim. 6. 15. *Beatus & ſolus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Dicitur præterea Chriſtus, abſolutè Dominus gloriæ ; quô nullum cogitari poteſt majus Dominium : non igitur precariò, vel ex ſolis meritis ſuis, nec ab alio DEO, quàm à ſe ipſo accepit Dominatum ſuum. *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 1. Cor. 2. ergò fuit is ante mortem etiam ſuam Dominus gloriæ. In Pſalmo item 23. Chriſtum (nam de illo ſermonem eſſe certum eſt) Regem gloriæ quinquies quatuor ultimi verſus concinunt. At hoc iterum proprium DEI veri elogium eſt: *DEUS gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ*, inquit S. Stephanus Actor. 7. 2.

23. Jam unum, aut ſolum Dominum noſtrum, non poſſe ullum appellari, niſi DEUM altiſſimum ; quis auſit in controverſiam vocare ? Quæ tamen epitheta Domino Noſtro, Chriſto Filio DEI tribui ab Apoſtolis legimus. *Nam etſi ſunt, qui dicantur Dii, ſive in Cœlo, ſive in terra ; ſiquidem ſunt Dii multi & domini multi : nobis tamen unus DEUS, Pater, ex quo omnia, & nos in illum ; & unus Dominus JESUS Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* 1. Cor. 8. 5. Adverſario pars textûs iſtius prima multùm arridet ; non item altera: de quo alibi plura. Sufficiat hîc notare tantùm, quòd Nomen DEI applicetur Patri, & Nomen Domini Chriſto, non quia Filius, non æquè DEUS ſit ac Pater, aut quia Pater non æquè Dominus ac Filius ; ſed commune utrique re ipsâ nomen DEI, & Domini unius, Patri ſeorſim, Filio ſeorſim appropriatur : quomodo in Symbolo etiam Apoſtolico Patri appropriamus Omnipotentiam ; quam & in Filio, & in Spiritu Sancto, eandem omnino ineſſe credimus. Pater eſt ſolus DEUS ; quoniam Filius & Spiritus Sanctus, non eſt alius

us DEUS, ſed ille idem unus, qui Pater: Filius eſt ſolus Dominus; nam Pater & Spiritus Sanctus, non eſt alius Dominus, ſed ille ipſe, qui Chriſtus. Nobis eſt unus DEUS, ſcilicet Pater; at in Patre, Filium quoque ac Spiritum Sanctum confitemur DEUM: unus eſt Dominus, nempe Filius; ſed in Filio, Patrem quoque, ac Spiritum Sanctum Dominum noſtrum intelligimus. Eccleſia in hymno, *Gloria in excelſis*, id exponit pulchrè: *Quoniam tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus JESU Chriſte, cum Sancto Spiritu, in gloria DEI Patris*: quem finem precationibus ſuis ferè omnibus ſubnectit Mater noſtra Catholica. Quare per vocabulum DEI, Patrem interdum; per vocabulum autem Domini, Chriſtum paſſim, ſive Filium à nobis ſingulariter juxta textum allatum deſignari, nemo miretur. Hoc tibi ſit certiſſimum, quod Dominum iſtum, & DEUM iſtum, eſſe DEUM altiſſimum evidenter vel inde pateat; quòd nullus alius Chriſtianorum DEUS ac Dominus unus eſſe poteſt, quàm ille Altiſſimus. Quid? quòd ubicunque DEI Nomen Tetragrammaton, ponitur in Libris legis antiquæ; verti à Septuaginta κύριος, ſive Dominus, obſervant eruditi? Eâdem phraſi dixit S. Judas in Epiſtola ſua ℣. 4. *Solum Dominatorem & Dominum Noſtrum JESUM Chriſtum negantes*: quæ verba ut depravent Miniſtri Tranſylvani; *ſolum Dominatorem*, ad Patrem, & *Dominum Noſtrum JESUM Chriſtum*, ad Filium referunt: quaſi qui Dominus eſt, non eſſet item Dominator. At unus idémque Articulus eſt in græco utrique adjunctus; quod peritis hujus linguæ pondus maximum argumento noſtro addit: τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, καὶ κύριον ἡμῶν ἀρνησάμενοι: Non igitur poſſunt ea duobus applicari. Conſimili fraude in textu illo Tit. 2. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ Magni DEI, & Salvatoris Noſtri JESU Chriſti*; Tranſylvani poſt Eraſmum, τὸ *Magni DEI* de Patre, reliqua de Filio interpretari

tari conantur : at incassum, nam in græco conjunguntur : ambo unô articulô ; τῦ μεγάλυ Θεῦ. καὶ σωτῆρος. Unde Chrysostomus etiam, Hieronymus, & alii græcæ linguæ peritissimi, utrumque de Christo intelligunt ; nec aliam locus ille patitur interpretationem : non enim Patris, sed Filii adventum glorioſum ad judicandum, expectamus. Confessus est solenniter ante mortem discipulis hæc duo sua Nomina, quæ tractamus, Christus ipse Joan. 13. 13. *Vos vocatis me Magister, & Dominus ; & bene dicitis : sum etenim. Amen, amen dico vobis, non est servus major Domino suo &c.* Quis credere possit hanc de Domino creato, ac temporali promulgatam Christianis omnibus esse sententiam ? Concludo cum Augusto Imperatore ; qui paulô post à Christo nato, ne Dominus à quoquam vocaretur, edictô publicô cavit : quod licet modestiæ illius politicæ tribuatur vulgò ab historicis ; divina tamen dispensatione factum esse, ùt & alia multa tempore illo edita Romanis prodigia, propter adventum in terras DEI, Dominíque mundi totius exornandum ; nemo unquam sapiens negare poterit ; inquit Baronius à Spondano contractus, in Proœmio Annalium.

24. Veniamus ad Nomen Magistri. Multi nos, & homines & Angeli docent ; docet præ illis ratio unicuique nostrûm insita : sed hi omnes magistri sunt secundarii ; DEUS est primus, summus, unus Magister, qui & per hos, & per se ipsum erudit nos. Talis est Magister noster Christus. Probemus. *Patrem nolite*, ait ad suos Matth. 23. 9. *vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in Cœlis est ; nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus.* Quemadmodum de Patre non humano ; ita nec de Magistro alio, quàm divino est hic sermo : nam DEUS certò Magister noster est ; nequit igitur Christus esse noster unus Magister, si non sit is, ille idem DEUS : hoc enim positô DEUS illô major foret, aliúsque Magister noster, imò & per os Christi, DEUS ma-

gis, quàm ille nos doceret. *Qui est de terra, de terra loquitur; qui de Cœlo venit, super omnes est: & quod vidit & audivit, hoc testatur.* Joan. 3. 32. Vidit comprehendendo ab æterno se ipsum ac Patrem; audivit accipiendo à Patre cum essentia divina παντοφίαν, sive omniscientiam. De Magistro isto librum scripsit singularem S. Augustinus, cujus meminit ipse lib. 3. Confess. cap. 2. *Sub idem tempus scripsi librum de Magistro; in quo disputatur, quæritur & invenitur, Magistrum non esse hominem, qui docet scientiam, nisi DEUM: secundùm illud, quod in Evangelio scriptum est: Unus est Magister vester Christus. De universis*, ait cap. 11. libri ejusdem, *quæ intelligimus, non loquentem, qui personat foris; sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem: verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet; qui in interiore homine habitare dictus est, Christus: id est incommutabilis DEI virtus, atque sempiterna Sapientia. Quam quidem omnis rationalis anima consulit; sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam, sive malam, sive bonam voluntatem potest.* Christus hic est, sapientia illa æterna & increata, demúmque Incarnata, de qua in libris sapientialibus fusissimè disputatur. Christus est, *Via, Veritas, & Vita*, ùt se ipse appellabat; quorum suorum titulorum quolibet, DEUS esse verus facilè intelligitur. *Est DEI virtus & DEI sapientia*, teste Paulo 1. Cor. 1. 24. quæ duo, distingui profectò nequeunt à DEO. Est *Verbum*, quod *erat in principio, & DEUS erat, & per ipsum facta sunt omnia*; & illud *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Joan. 1. Christus est, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Coloss. 2. 3. quando absconditi? ante resurrectionem illius: *& mirabantur Judæi* dicentes, *quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* Joan. 7. 15. Christus est, cui Petrus dixerat: *Tu omnia nôsti; tu scis, quia amo te* Joan. 21. 17. qui de se Apoc. 2. 23. *Et scient*, inquit, *omnes Ecclesiæ: quia ego sum scrutans renes, & corda; & dabo unicuique*

vestrûm

veſtrûm ſecundùm opera ſua. En hæc ipſa de ſe DEUS altiſſimus profatus eſt, tanquam ſibi uni propria! *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes; qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* Jer. 17. 10. DEUM ſolum eſſe cardiognoſten, & ſcrutatorem cordium, paſſim clamant ſcripturæ: *Tu nôſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* 3. Reg. 8. 39. quod nihilominus Joannes Chriſto adhuc mortali attribuit. *Ipſe autem JESUS non credebat ſemetipſum eis; eò quòd ipſe nôſſet omnes, & quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* Joan. 2. 24. Ubi S. Cyrillus, *Hæc dignitas*, ait, *vero DEO ſolummodo, nec ulli creaturarum attribuitur; eſſe* προγνώστην, *noviſséque hominis animum, nullis exterioribus argumentis declaratum.* Magiſtris omnibus humanis, ad menſuram DEUS, finitámque dedit ſapientiam, ac perfectionem; ùt conſtat 1. Cor. 12. 11. Epheſ. 4. 7. Chriſtus unus habet eam infinitam, ideò Joannes Baptiſta de illo apud Evangeliſtam: *Quem miſit DEUS, verba DEI loquitur, non enim ad menſuram dat DEUS Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus &c.* Joan. 3. 34. Ipſe de ſe confeſſus eſt: *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet* (Spiritus Sanctus) *& annunciabit vobis.* Joan. 16. 15. Poſſuntne verba iſta vera eſſe; & Chriſtus Magiſter noſter DEUS verus non eſſe?

25. Dicet adverſarius Chriſtum à Patre ſuam accepiſſe doctrinam; ergò minor Patre Magiſter noſter eſt, neque DEUS altiſſimus: eâ re, mirantibus Judæis quomodo literas ſciret, cùm non didiciſſet; reſpondit: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me* Joan. 7. 16. Reſpondeo eandem ſemper cramben repeti otiosè, atque adeò blaſphemè ab Antitrinitariis; refutatam ſatis, & refutandam copioſiùs ubi explicabimus, quemadmodum Filius accipiendo à Patre per generationem ſui æternam, divinitatem ſuam; non ſit minor,

nor, nec alius, ſed idem cum Patre DEUS, æquè Omnipotens, ſapiénſque Dominus & Magiſter noſter, ac DEUS Pater. Verba Chriſti allata, ſi Platonis diſcipulus, vel ſi aliqui etiam Sanctorum Theodidactorum, puta S. Franciſcus Seraphicus, S. Catharina Senenſis &c. de ſe, ſuóque Magiſtro prædicarent; tum adverſariorum argumentatio valere poſſet: nam hi rudes ex ſe ipſis fuêre diſcipuli; & à Magiſtris ſuis non per hoc, quòd producti ſint, at beneficio ſingulari eruditi, potuiſséntque non erudiri: Chriſtus verò quà DEI Filius, non potuit à Patre non generari; non potuit per illam eandem generationem, non eſſe idem cum eo DEUS, ejuſdémque ſapientiæ ac virtutis ab æterno. Ergò Chriſti verba quæ citas, qualiter intellexerint ii; qui Chriſtum Magiſtrum in Literis ſacris declaratum probè noverunt, audi. S. Auguſtinus tract. 29. in Joan. ſub initium: *Ex eorum* inquit, *admiratione, & verbis, dicit Dominus profundum aliquid, & diligentiùs inſpici & diſcuti dignum. Quid ergo Dominus reſpondit eis admirantibus, quomodo ſciret literas, quas non didicerat? mea*, inquit, *doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Hæc eſt profunditas prima: videtur enim paucis verbis quaſi contraria locutus: Non enim* ait, *iſta doctrina non eſt mea; ſed mea doctrina non eſt mea. Si non tua; quomodo tua? ſi tua; quomodo non tua? tu enim dicis utrumque, & mea doctrina, & non mea. Si Ergò intueamur diligenter, quod ipſe in exordio dicit Sanctus Evangeliſta*: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum; *inde pendet hujus ſolutio quæſtionis. Quæ eſt doctrina Patris, niſi Verbum Patris? Ipſe ergò Chriſtus doctrina Patris, ſi Verbum Patris. Sed quia Verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicujus; & ſuam doctrinam dixit ſe ipſum; & non ſuam, quia Patris eſt Verbum. Quid enim tam tuum, quàm tu? & quid tam non tuum, quàm tu, ſi alicujus eſt, quòd es?* Hæc ſubtiliſſimus Auguſtinus: quem ſi vos audire detrectatis, ùt hoſtem

ſtem veſtrum; hoc ipſo Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ inimici eſtis.

26 Atque ex his liquet, Chriſtum in tota ſua latitudine acceptum, Magiſtrum fuiſſe Patri ſuo parem, omniáq; ſcientem; quippe DEUM, verum, cum Patre ſuo unum & eundem: quod nisi ſe ita haberet; quæſo teſtamenti veteris doctrina, & leges ab ipſo DEO altiſſimo traditæ, quomodo vel aboleri, vel perfici à Chriſto? quomodo lex vetus ad Chriſti doctrinam Pædagogus dici à Spiritu Sancto potuiſſet? Gal. 2. 3. Accipe verba Pauli Hebr. 8. & Jer. quem citat cap. 31. *Ecce dies venient dicit Dominus: & conſumabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda, teſtamentum novum. Non ſecundùm teſtamentum, quod feci Patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti &c. Hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas &c. Dicendo autem novum veteravit prius. Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt.* Si porrò tu de ſola Chriſti natura humana, déque illo, ùt homine loqui velis, animæ ipſius infuſam, ajo cum Theologis, Sanctíſque Patribus, à DEO in ejuſdem Incarnatione, tam viſionem beatam, quàm ſcientiam rerum omnium etiam futurarum, ùt & gratiam, ſanctitatémque majorem, quàm omnium ſit purarum creaturarum: ignorantiam ullius rei fuiſſe in homine illo nego. Quod verò ſcriptum ſit; *Et JESUS proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud DEUM & homines.* Luc. 2. 52. dico eum ætate, & gratiâ apud homines verè creviſſe; ſapientiâ & gratiâ divinâ infuſâ, vel ùt vocant habituali, non item. Nam ibidem ℣. 40. præmiſerat Lucas: *Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientiâ; & gratia DEI erat in illo.* Nam de illo in utero poſito Jeremias prophetizavit: *Fœmina circumdabit virum* Jer. 31. eâ igitur ſapientiâ, quâ erat vir; fuit jam

in utero præditus. Nam Iſaias huic puero dat nomina ſex notiſſima : *Admirabilis, Conſiliarius &c.* Quæ ſeptuaginta vertunt, *Magni Conſilii Angelus* Iſa. 9. Nam ùt idem vatici natur Iſa. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe ; & flos de radice ejus aſcendet : & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectûs &c.* Nam S. Paulus Hebr. 10. 5. in primo ſuo in mundum ingreſſu actus ei rationis & voluntatis, mundi Redemptore digniſſimos aſſignat ; unà cum S. Davide quem citat. *Nam in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi* Coloſſ. 2. *V.* 9. & 3. Potuit nihilominus, ſapientiâ & gratiâ etiam apud DEUM, dici profeciſſe in eo ſenſu ; quòd gratiam ſuam ac ſapientiam magis ac magis demonſtraverit, & manifeſtaverit ; in ſapientia præterea, quæ acquiritur per experientiam, & quam experimentalem nominamus, creviſſe illum admittimus : crevit in actuali gratia extenſivè, ùt ajunt ; quia novos ſemper, novóſque actus virtutum ſanctos elicuit : verùm in ſapientia, ſanctitatéque animæ ſuæ primitùs infuſa nunquam crevit. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis ; plenum gratiæ & veritatis.* Joan. 1. At quidquid ſit de humanitate Chriſti ; nobis oſtendiſſe ſufficiat : Chriſtum eô ſolô titulô, quòd talis Magiſter ſit, qualem eum in Bibliis legimus ; non puram creaturam, ſed DEUM verum & hominem extitiſſe. In hoc Magiſtro nos docente impleta eſt Scriptura, quæ prædixit : *Et erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.* Iſa. 30. 20. Hoc nimirùm erat Myſterium à mundi conſtitutione abſconditum ; quòd videre potuerimus Præceptorem noſtrum, DEUM inviſibilem. *Eſt ſcriptum in Prophetis : & erunt omnes docibiles DEI*, ajebat JESUS Joan. 6. 45. Ubi ſcriptum ? Iſa. 54. 13. *univerſos filios tuos doctos à Domino ponam.* Erant verè omnes docibiles DEI, & à Domino docti ; quos Chriſtus Magiſter docuit.

§. VII.

§. VII.
De Nomine Altiſſimi.

27. SEptimum Nomen Chriſti affero, Nomen Altiſſimi: per quod & Ariani veteres Hieronymo in pſalmum, 86. teſte, & recentiores diſtingui Patrem à Filio putârunt; neque poteſt de ullo, præterquam vero DEO, nomen illud prædicari. *Tu ſolus Altiſſimus in omni terra.* Pſal. 82. At hoc nomen Chriſto tribuit tum vetus, tum novum teſtamentum. Vetus Pſal. 86. 5. *Nunquid Sion dicet homo? Et homo natus eſt in ea; & ipſe fundavit eam Altiſſimus.* Pſalmus ille *brevis numerô verborum, magnus pondere omnium ſententiarum*, ait S. Auguſtinus, exaltat ſub typo Jeruſalem, Chriſti Eccleſiam: & ſanè quæ canit, terrenæ Sion non conveniunt. Præcipuam hujus civitatis laudem ponit in eo; quòd natus ſit in ea is homo, qui fundavit ipſam Altiſſimus: id eſt Chriſtus, homo DEUS. Hinc enim potiſſimùm glorioſa dicta ſunt de illa Civitate DEI; quòd Civis ejus eſſe voluerit ſecundùm humanam naturam, qui fundator ejus eſt ſecundùm naturam ſuam divinam. Sic intellexerunt textum allatum SS. PP. Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus, Euthymius &c. Denique vetuſtiſſimus Latinorum Tertullianus in lib. adverſus Praxeam: neque aliter eſt intelligendus. Nam in Hebraico & græco primum *homo* conjungitur cum verbo *dicet*; ut ſenſus ſit, nunquid aliquis homo dicet Sioni? alterum autem *homo*, conjungitur cum *natus eſt.* Quæ interpunctio vera eſt; nec propter gloſſas Rabbinorum pervertenda, ùt inquit in hunc Pſalmum Bellarminus. Sion etenim eſt in caſu dandi, ùt conſtat ex articulo hebraico; & ex eo etiam, quòd verbum *dicet*, eſt in hebræo generis maſculini, Sion autem fœminini: proinde civitati Sion, vel ad Sion; non

non verò ipſa Sion dicet, *in homo*. Itaque David in contemplatione Sion abſorptus, interrogat: nunquid homo ſignificabit Sioni rem tam novam, tam inauditam, tam obſtupefcendam, quàm hæc eſt? Nunquid fieri poterit, ut dicatur de illa? *Et homo natus eſt in ea; & ipſe fundavit eam Altiſſimus*: homo in ea natus, qui talis ſit; ut ipſe ſimul fuerit Altiſſimus illius fundator. Quid rogo ſingulare, quid magnum foret; quòd purus homo in ea natus, & quòd à DEO fundata civitas hæc ſancta eſſet? Prophetiam Chriſti adeò evidentem Chriſtomachi cum Judæis obſcurare nituntur: verùm major eſt habenda fides Sanctis Patribus antiquis, quàm iſtis omnibus perfidis. Quòd ſi objicias Chriſtum non in Sion, ſed in Betlehem natum: reſpondet S. Ambroſius in orat. de obitu fratris, per Sionem intelligi Judæam; in qua erat Betlehem, & quidem ſubjecta Sioni Metropoli ſuæ. Alii ajunt natum eum dici poſſe in Sion; quia David, Salomon, & alii, de quibus deſcenderat, in ea nati ſunt & regnaverunt. Demum natus eſt in Sion; hoc eſt in Eccleſia, cujus figura erat civitas ea, & cujus caput eſt Chriſtus.

28. In Teſtamento novo Zacharias in cantico de filio ſuo Joanne Baptiſta Luc. 1. præcinit: *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Propheta vocandus eſt Altiſſimi; quia præibit ante faciem illius: hoc eſt Chriſti JESU, qui dicitur iſthic Altiſſimus, ac Dominus; cujus Joannes Baptiſta Propheta proprius, ac Præcurſor, hoc uno titulo à DEO promiſſus fuit, & Propheta vocatus, atque à prioribus etiam Prophetis prædictus. Audi Evangeliſtam: *Fuit homo miſſus à DEO: hic venit in teſtimonium; ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Joan. 1. Audi verba Evangeliſtæ veteris Teſtamenti: Iſa. 40. 3. *Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini; rectas facite in ſolitudine ſemitas DEI noſtri*: & alia quæ ſequuntur: à tribus exſcripta Evangeliſtis novi Teſtamenti. Ergò Chriſtum Iſaias

DEUM

DEUM noſtrum, ſive Iſraëlis DEUM; Zacharias Altiſſimum, Dominúmque ſimpliciter nominat. Ne plura: quomodo non ſit DEUS Altiſſimus, cujus nomen eſt ſuper omne nomen? De quo Paulus: *Chriſtus, qui eſt ſuper omnia DEUS.* Rom. 9. 5. *Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt.* Joan. 3. 31. *Et ipſe eſt ante omnes; & omnia in ipſo conſtant: qui eſt principium: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens* Coloſſ. 1. *v.* 17. 18.

§. VIII.
De Sex Chriſti Nominibus *Iſa.* 9.

29. OCtavum nomen, omiſſis cæteris quæ alibi attingemus, induco ſex illa nomina; quibus Iſaias Chriſtum natum exornat. *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis; & factus eſt Principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus: Admirabilis, Conſiliarius, DEUS, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* Eleganter SS. PP. in parvulo nato, Chriſti naturam humanam in Filio dato, divinam contemplantur. Euſebius Emiſſenus, vel ut putant alii Eucherius hom. 1. *Datus eſt*, ait, *ex Divinitate; natus ex Virgine: natus, qui ſentiret occaſum; datus, qui neſciret exordium: natus, qui & Matre eſſet junior; datus, quô nec Pater eſſet antiquior: natus, qui moreretur; datus, ex quo vita naſceretur: ac ſic, qui erat, datus eſt; qui non erat natus, natus eſt &c. Vocabitur nomen ejus:* hæc illius ſex nomina, & quodlibet eorum divinum, commate diſpungunt Biblia Romana, Theodotion, Aquila, & Simmachus teſte Hieronymo; súntque ita diſtinguenda.

30. Primum eſt, *Admirabilis.* Vocaverat eum jam ſuprà Iſaias cap. 8. 18. *portentum*: quod dici de Chriſto ac Diſcipulis ejus, Origenes, Baſilius, Cyrillus, paſsímque veteres

res exponunt. Ergò fuit admirabilis, neque puræ creaturæ competens, & Nativitas, & infantia, & prædicatio, & operatio ſignorum, & paſſio, & mors, & reſurrectio, & aſcenſio in Cœlum, gloriáque Chriſti. S. Cyprianus tract. de illius Nativ. *O Domine!* inquit, *quàm admirabile eſt Nomen tuum! verè tu es DEUS, qui facis mirabilia. Miror DEUM in utero Virginis; miror Omnipotentem in cunabulis; miror quomodo Verbo DEI caro adhæſerit: miror jejunium, miror tentationes, miror Omnipotentem, in ſepulchro jacentem; miror occiſum & reſurgentem &c.* Typus Domini, Angelus ille ad Manue, Jud. 13. 18. inquiebat: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?*

31. Secundum eſt, *Conſiliarius.* Septuaginta, majeſtate ſex horum Nominum Auguſtorum perterriti, ùt ait Hieronymus, pro iis omnibus ponunt hoc unum: *Magni Conſilii Angelus*: id eſt Nuntius, & Legatus. Hic eſt ille Magni Conſilii, ſive Redemptionis mundi Angelus & executor; qui revelavit nobis Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, docuítque omnia DEI Arcana. S. Juſtinus contr. Triphonem: *Chriſtus*, inquit, *vocatur Magni Conſilii Angelus; quia Patrem nemo novit niſi Filius: quia, quæ à Patre accepit revelat, nobis. Ipſe Verbum Patris; ipſe mundo evangelizavit.* Chaldæus vertit: *Admirabilis Conſilii DEUS*: quæ tria ſeorſim editio vulgata ponit aptiùs. Lactantius lib. 4. de relig. cap. 6. aſſerit, Verbum Incarnatum à Sibylla quoque vocari Conſiliarium. Veteres habebant Conſiliarium ſuum, DEUM altiſſimum; cujus in arca Oraculum conſulebant ſuis in anguſtijs: quod ſiquidem neglexerant, Joſue, Principéſque Iſraël; miſerè decepti ſunt: Cur? *Os Domini non interrogaverunt.* Joſ. 9. 14. Conſiliarius iſte novi teſtamenti tanto excellentioris, quàm fuerit antiqvum, Chriſtus eſt; in Euchariſtia nobis præſens ſemper: eritnè minor DEO altiſſimo? deteriore nos erimus conditione, quàm illi?

32. Ter-

32. Tertium eſt *DEUS*. Ubi Lutherus hebræum *El*, id eſt DEUS, perfidè vertit *fortis*, quod proximum ſequitur; adeóque legi vult, *fortis fortis*, per Tautologiam, quaſi nomen DEI Chriſto dare metueret; quem Jeremias cap. 33. 16. appellat Jehovam, ùt eſt in Hebræo: *Vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Genevenſes ipſi, & Tigurinus, & Caſtalion, & plures alii ſectariorum, vertunt *DEUS*. Rectè Poſſevinus lib. de Athæiſmis hæreticorum cap. 2. & 3. inter atheiſmos, & arianiſmos Lutheri poſuit etiam iſtum.

33. Quartum, *Fortis*: id eſt potens, vir validus, & Gigas. Hinc Gabriel, id eſt fortitudo DEI, annunciavit Chriſtum: hinc is virtus & Brachium Domini nominatur in ſcripturis: *Brachium Domini cui revelatum eſt?* Iſa. 53. Quis eo fortior, per quem facta, & refecta ſunt omnia?

34. Quintum, *Pater futuri ſæculi.* Cœlo ille nos, electóſque omnes peperit. De illo æquè dici poteſt, ac de Patre: *Pater noſter, qui es in Cœlis.* Vatablus vertit: *Pater æternitatis.* Quis credat prædicari poſſe nomen hoc de alio, quàm vero DEO? *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex DEO nati ſunt.* Joan. 1. Chriſtus igitur nos filios DEI, ſive ſuos filios, fratréſque genuit; Chriſtus redimens nos dicere veritate ſummâ poteſt: *ex Ægypto vocavi Filium meum.* Ille *implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.* Pſal. 109. Judex bonorum ac malorum: ille author vitæ, ùt habetur Actor. 3. 15. vitáque noſtra eſt: ille carne ſua, ſanguinéque nos paſcit: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Joan. 6. 58.

35. Sextum, *Princeps pacis.* Hoc nomen nec Rabbini negant Chriſti eſſe proprium, cujus typus erat Salomon, ideſt, *Rex pacificus.* Chriſtus pacis illius, quæ nequit ab ullo nisi à DEO provenire, author ac dator eſt. *Pacem meam relin-*

relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Joan. 14. 27. pacem ſinè dubio dans cæleſtem, divinámque; cujus ille regni Princeps eſt, & Rector. Aptè S. Leo ſerm. 6. de Nativ. *Natalis Domini, natalis eſt pacis; ergò ſinguli fideles offerant Patri pacificorum, concordiam filiorum.* Septima illius Beatitudo erat: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth 5. qui Princeps igitur eſt pacificorum; vocabitur Filius DEI primogenitus, & Unigenitus: hoc eſt Filius naturalis, ſive DEUS verus. *Ipſe enim eſt pax noſtra,* inquit Apoſtolus Epheſ. 2. 14. *Qui fecit utraque unum: & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua &c.* lege reliqua uſque ad finem. *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus DEO, per mortem Filii ejus; multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* Rom. 5. 10.

INSTI-

INSTITUTIO V.

Munera & Officia Christi demonstrant, eum esse DEUM verum.

§. I.

De Officio Redemptoris, & Salvatoris.

I. NOminibus jungamus Munia Domini; quibus ut fungeretur, venit is in mundum. Hæc pleráque naturam quidem creatam etiam expoſcebant in illo; nullo tamen eorum ita, uti legimus perfungi poterat, nisi DEUS ſimul foret altiſſimus. Primum ejus maximúmque munus erat, Redemptoris mundi ac Salvatoris. Hunc in finem venturus prophetizabatur in lege; veniſſe prædicabatur in Evangelio, etiam à ſe ipſo. Theologi cum Sanctis Patribus quærunt, an in mundum veniſſet, ſi Adam non peccâſſet? Plurimi eorum Duce Angelico Doctore reſpondent abſolutè; non veniſſet: alii cum Scoto ajunt; veniſſet, ſed non in carne mortali; cauſam enim cur pateretur & moreretur, in eo caſu non habuiſſet: venturum nihilominus fuiſſe cenſent, propter excellentiam hujus Myſterii; ad Sanctiſſimam Trinitatem, & amorem DEI erga nos, & Chriſtianam perfectionem Incarnatione ſuâ efficaciùs mundo declarandam. Quidquid ſit, ſecundùm omnes nunc Incarnatus, paſſus, mortuus eſt Chriſtus, ideò potiſſimùm; ut nos redimeret, ac ſalvaret. Redimere eſt liberare à peccato, à diabolo, ab inferno; à quibus captivi tenebamur: eſt ſolvere debitum, quô nos peccando contra DEUM, iræ filii obſtrinxeramus. Salvare præterea, eſt Cœlum nobis, ac vitam quam perdideramus æternam reſtituere. Per opera Redemptoris, liberavit nos à culpæ ac pœnæ reatu, prout loqvuntur ſcholæ; tollen-

do inimicitias, mortísque noſtræ Chirographum affigendo cruci: per opera Salvatoris præſtitit; ut vitam inſuper, gloriámque Cæleſtem haberemus, & abundantiùs haberemus.

2. Examinemus primò munus Redemptoris. Satisfacere DEO peccatis noſtris irato, nulla pura creatura poterat: Chriſtus ſatisfecit: non igitur pura is creatura fuit. Prima eſt hujus ſyllogiſmi probanda propoſitio: cujus rationem Theologia Chriſtiana ex Sanctis Patribus, quorum plurimos citat Vaſquez 3. p. diſp. 4. cap. 3. dat ſequentem. 1. Peccati & offenſæ gravitas creſcit ex perſonæ læſæ dignitate: ſatisfactionis verò valor, & efficacitas creſcit, non ex illius, cui offenſo ſatisfit; ſed ex dignitate perſonæ ſatisfacientis. Quò major eſt qui læditur, & vilior qui lædit; hòc major eſt injuria & offenſa, & hòc majore ſatisfactione diluenda: ſatisfactio contrà, ſeu tanta honoris redditio, quanta fuit contemptio & injuria, quò ab inferiore proficiſcitur perſona, eò minoris eſt ponderis; quò ab excellentiore, majoris. Ex perſonæ læſæ, non lædentis, majeſtate gravitas injuriæ; virtus ſatisfaciendi, ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, non illius quæ placanda eſt, ſumit ſuum incrementum. Graviùs eſt peccare in Regem; quàm in ruſticum: honoraris & placaris multò ampliùs, ſi vir nobiliſſimus eò ſe tibi nomine ſubmittat, téque veneretur; quàm ſi plebejus. Quid hiſce rebus evidentiùs? Atqui perſona peccatis noſtris offenſa, eſt DEUS infinitæ Majeſtatis, ac dignitatis; ergo peccatum noſtrum eſt offenſa & injuria, omnium quæ cogitari poſſunt maxima, ſuóque modô infinitæ gravitatis. Par huic ſatisfactio quomodo exhibebitur; ſi pura creatura ſit is, qui ſatisfaciat? ſi reconciliationis opus ſit infinitè vilius; quàm exigat DEI offenſi majeſtas? inter quem, & puram creaturam, vel omnes etiam puras creaturas collectim ſumptas, nulla eſt comparatio: quam tamen in accipiente reparantéque injuriam, neceſſariò requirit omnis condigna ſatisfactio. Quare

re ſi pro peccato exhibenda erat divinæ juſtitiæ competens ſatisfactio; perſona eam præſtans debebat neceſſariò æqualis eſſe DEO ipſi placando: nam ſi eô quoquô modô inferior fuiſſet; neceſsè eſt inferior, non ſecùs, ac terræ vermiculus quilibet cum eodem collatus. Porrò ut ſe DEUS ſubmittat, patiatur, moriatur, ſatisfaciat pro nobis; id in ejus natura divina nullô modô evenire potuit. Quid igitur nobis rebellibus ad hanc reconciliationem conſequendam, erat ſpei ac remedii ſuper? an verò pereundum in æternum univerſis; prout & Angelorum peccantium nemini parſum? At illi ſuâ propriâ quilibet malitiâ actu rebellârunt DEO; nos in uno Adam deliquimus cuncti: ergò reperiatur item unus aliquis, à quo & in quo reparemur ac redimamur omnes. Quis inter Angelos & homines ille, qui tantum honoris DEO altiſſimo exhibeat, quanta eſt injuria, quâ ipſum læſimus? nec ſi omnes junctim puræ creaturæ in id conſpirent; præſtabunt ei reverentiam ac ſatisfactionem aliam, quàm finitam: reatus autem noſter eſt in ſuo genere infinitus. Expectandum ne? ſupplicandum ne? ut pro ſua infinita miſericordia, condonet nobis gratuitò peccatum noſtrum DEUS? Reclamabit juſtitia ejus & veritas, pœnam aut ſatisfactionem condignam pro illo exigens.

3. Excogitavit invenítque modum immenſa DEI ſapientia, & bonitas; quô tum juſtitiæ, tum miſericordiæ ſuæ infinitæ pleniſſimè ſatisfieret: ſcilicet, ut Perſona una divina incarnaretur; quæ in carne pati & humiliari, mori & ſatisfacere pro nobis poſſet: cujus Paſſio & Mors, propter Unionem carnis hypoſtaticam cum Divinitate, foret Paſſio & Mors Perſonæ divinæ; adeoque ad ſatisfaciendum offenſo DEO, virtutis & efficacitatis infinitæ. O myſterium à conſtitutione mundi abſconditum, atque in Chriſto, vero DEO, & vero homine revelatum! O miſericordiam! ô veritatem! ô juſtitiam! ô pacem! ô ſapientiam ineffabilem! quâ

majorem DEUS exhibere mundo non potuit. Audi canticum dulciſſimum Eccleſiæ Sabbato Sancto in benedictione cerei : *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio ! ô inæſtimabilis dilectio charitatis ! ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti. O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt ! O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem !* Neceſſarium inquit, non quòd debebat fieri, aut bene fiebat peccatum illud ; ſed quia multò plùs boni ex illius medicina conſecuti ſumus, quàm erat noxius morbus : meruit, ait, non quòd nos, nedum peccatum noſtrum, merebatur hunc Redemptorem ; ſed quia dignatio, bonitas, liberalitas iſtius inexplicabilis, hoc præſtitit, quô eramus indigniſſimi, & quô dignus eſſe mundus univerſus non poterat. Audi carmen planè cæleſte Davidis de hoc ſuo Filio : *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi ; juſtitia & pax oſculatæ ſunt : Veritas de terra orta eſt ; & juſtitia de Cœlo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignitatem ; & terra noſtra dabit fructum ſuum : juſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.* Pſal. 84. ℣. 11. & ſeqv. En quatuor virtutes divinas inter ſe quaſi confligentes ! Miſericordia & pax nos ſalvos ; juſtitia & veritas perditos eſſe volebat : iniquitate noſtrâ vindictam à DEO depoſcente ; neque ullo in Cœlo & terra, per quem ei reconciliari poſſemus, occurrente. Quid igitur factum eſt ? Filium ſuum Unigenitum miſit Pater in terras ; in cujus Incarnatione, miſericordia & veritas, ſive juſtitia & pax, quæ in diverſos terminos pergere videbantur, obviaverunt ſibi ; & amplexatæ invicem, atque oſculatæ ſunt ; per Chriſtum enim cuilibet earum ſatisfactum eſt cumulatiſſimè. *Veritas de terra orta eſt* ; quia Chriſtus qui veritas eſt, carnem aſſumens de terra Virginea, paſſus eſt, mortuúſque propter peccata noſtra : *& juſtitia de Cœlo proſpexit* ; videns enim peccatum expiatum tam copiosè, *ut ubi abundavit delictum, ſuperabundaret gratia Redemptoris*, Rom. 5. 20. plenè pacata eſt :

eſt: gratia nobis, juſtitia DEO, à Redemptore præſtita. Gravitatem peccati noſtri, verè nec pœna inferni, nec res alia ulla demonſtrat magis; quàm ſupplicium, quod pro illo ſumpſit Pater de Filio ſuo. Atque hic eſt horum Pſalmodi verborum ſenſus literalis ac Princeps ex mente Sanctorum Patrum; neque poſſunt ea rectè, nisi de Chriſto intelligi. Audi Pſalmum 71. qui pariter totus eſt ejuſdem argumenti. Verſu 6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*, per Incarnationem; & *ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, per prædicationem. Ut ros, cum maximo ſilentio venit in lanam puriſſimam Matris ſuæ Dominus; ùt ſtillicidium, cum ſono verborum & miraculorum, venit per ſe, ſuóſque in terras omnes. Alluditur ad Gedëonem, cui datum erat hoc ſignum olim populi liberandi Jud. 6. ut inprimis vellus in area poſitum, rore impleretur cœleſti, areâ totâ ſiccâ permanente; ſequenti autem nocte, area tota complueretur, vellere ſolo manente ſicco: ſic etenim Dominus JESUS venit primùm ad Judæos ſolos, gentibus reliquis aridis relictis; deinde per Apoſtolos aream totam, ſeu mundum gratiâ ſuâ compluit, ſolúmque vellus judaicum exaruit in perfidia ſua. Verſu mox ſequente, quod potiſſimùm eſt in rem noſtram, inquit Regius Pſaltes: *quia liberavit pauperem à potente; & pauperem cui non erat adjutor*: hanc adjecit rationem, cur ùt præmiſerat, Reges & populi gentium omnium, ſervituri ſint Chriſto; quia liberavit humanum genus, quod nec ab homine, nec ab Angelo, nec ab ulla pura creatura poterat adjuvari: quod illo ad piſcinam probaticam quæri jure poterat *hominem non habeo* Joan. 5. Concludit Pſalmum verbis ſequentibus: *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ*: juxta id, quod promiſſum erat Abrahamo, de illo Gen. 22. *Omnes gentes magnificabunt eum.* Quomodo magnificabunt? *Benedictus Dominus DEUS Iſraël, qui facit mirabilia ſolus*: & *benedictum Nomen Majeſtatis ejus in æternum*; & *replebitur Majeſtate ejus omnis terra. Fiat! Fiat!*

Ergò Chriſtus eſt Dominus DEUS Iſraël ab orbe terrarum magnificandus. Audi demum Joannem Apocalypticum: *Et vidi in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ: Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignaculum ejus? & nemo poterat, neque in Cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multum; quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre. Et unus è Senioribus dixit mihi: ne fleveris; ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire Librum & ſolvere ſeptem ſignacula ejus &c.* Apoc. 5. Unde quæſo colligas clariùs, redemptionis noſtræ opus nulli puræ creaturæ fuiſſe poſſibile? Mox ibidem divinis honoribus adoratur ab omnibus Agnus librum aperiens; adjicientibus: *quoniam occiſus eſt; & redemiſti nos DEO in ſanguine tuo.*

4. Socinus, Statorius, & alii per Poloniam, ac Tranſylvaniam diſperſi Photiniani docent, inquit Pennaloſa diſp. 5. cap. 12. Chriſti mortem, vim & efficacitatem nullam habuiſſe ad liberandum nos ab æterna morte; ſed ex mera liberalitate ſua, & gratia, DEUM nobis noſtra condonâſſe peccata: Chriſti verò ſanguinem interveniſſe, non ùt verum pretium pro debito, ac ſatisfactionem pro delicto; verùm tantummodo ùt teſtimonium gratuitæ liberalitatis divinæ, ùt exemplum quod ſequeremur, & Magiſtrum quem audiremus, à DEO propoſitum. Ergò in has vos blaſphemias errumpere compulit, ſpiritus abrogandi Majeſtatem Chriſto divinam! Animadvertiſtis Redemptoris, ac Salvatoris mundi titulos, nulli nisi vero DEO applicari poſſe; neque animadvertere potuiſtis, Chriſtum hiſce titulis inſigniri clariſſimè, veteris ac novæ ſcripturæ teſtimoniis innumeris? Pluribus eos cum præfato Theologo exagitare argumentis non libet. Meráſne ô Chriſtiani! ô Judæi! metaphoras, fabuláſque narrat Codex divinus; cùm de Chriſto, de meritis

ritis, & encomijs illius differit? Verba num merè impropriè accepta & otiosa, opinione vestrâ commemorat? *Verè languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portavit: vulneratus est propter iniquitates nostras. &c. Disciplina pacis nostræ super eum: & livore ejus sanati sumus &c.* Isa. 53. Eadem repetunt Apostoli 1. Petr. 2. 24. 1. Petr. 3. 18. 1. Cor. 15. 3. Idem. 2. Cor. 5. 21. ait: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: id est hostiam pro peccato; cujus figuræ fuerunt sacrificia veteris Testamenti. Punivit quippe illum Pater ùt peccatorem; *in quo posuit DEUS iniquitatem omnium nostrûm. Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata; Ideò ingrediens in mundum dixit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi; holocautomata pro peccato tibi non placuerunt; tunc dixi, ecce venio &c.* Hebr. 10. 4. ex Psalmo 39. Ideò sacrificium, quod pro nobis obtulit de se Dominus, vocatur à Prophetis, & Apostolis *sacrificium justitiæ. Quæ non rapui, tunc exolvebam*, fassus est ipse per os Patris sui Psal. 68. 5. ore suô propriô. Matth. 20. 28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; & dare animam suam redemptionem pro multis*: Per os Apostoli sui Tit. 2. 14. *qui dedit semetipsum pro nobis; ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem. Empti estis pretiô magnô*, inquit alibi; 1 Cor. 6. 19. *Non corruptibilibus, aurô vel argentô redempti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati.* 1. Petr. 1. 18. Pretiô igitur magnô, pretioso Sanguine Christi redempti sumus; ajunt illi: vos dicitis pretiô nullô, sed gratis liberati. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. Joan. 2. 2. *Ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum, propitiationem pro peccatis nostris.* 1. Joan. 4. 10. *Quem proposuit DEUS propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter re-*

missionem præcedentium delictorum in sustentatione DEI. Roman. 3. 25. *Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt.* Colos. 1. 20. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus* DEO *per mortem Filii sui.* Rom. 5. 10. *Erat* DEUS, *in Christo mundum reconcilians sibi.* 2. Cor. 4. 19. Propitiatio est, reconciliavit nos, pacificavit; & tamen non satisfecit pro nobis? non redemit nos? O profanatio incredibilis verborum divinorum! Plurima possent hujusmodi afferri: concludat Adamus nos interimens, cum Christo vivificante collatus; in qua comparatione redemptio est Apostolo efficacior, quàm fuerit perditio. Lege Paulum Rom. 5. à versu 11. usque ad finem. *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia* DEI *& donum, in gratia unius hominis* JESU *Christi in plures abundavit &c. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam, in omnes homines, in justificationem vitæ: sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi. Ubi abundavit delictum; superabundavit gratia &c.*

5. At inquiunt, DEUS nobis gratis ac liberaliter peccata remittere asseritur in sacris Literis: ergò non remittit ea propter merita & satisfactionem Christi. Respondeo, rem planè mirabilem esse; quòd nolint adversarii capere, Misericordiam DEI, æquè ac Justitiam, eminentem infinitè in hoc redemptionis, nostræque justificationis negotio. Si pecuniâ te tuâ propriâ exsolvas: si propriis tuis operibus satisfacias pro injuria, quam intulisti, nullâ interveniente gratiâ creditoris, & offensi; tum concedo non gratis tibi, neq; liberaliter remittendum debitum, atque injuriam: at si pecuniam, quam pro debito persolvendo repræsentas; donatam in eum finem habeas ab ipso creditore: si eum, per quem satisfacis, accipis ab offenso, gratis, & ineffabili ejus beneficio

tibi

tibi ſubmiſſum: non nè gratiam, liberalitatem, Miſericordiam creditoris, & offenſi experiris haud tantam ſed multò majorem, quàm ſi purè gratis omnia is tibi condonâſſet? Tu ſolvendo non eras; ſatisfacere condignè pro peccato non poteras; DEUS Miſericordiæ, ac juſtitiæ Abyſſus, Filium tibi ſuum miſit, ac donavit; qui pro te copioſiùs, quàm debebas, ſatisfecit: utì canit de illo Pſalmus 129. in fine. *Et copioſa apud eum redemptio: & ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus ejus.* Non advertis ſermonem hîc eſſe non poſſe de liberatione populi ex Ægypto, vel captivitate; at de ſola Chriſti redemptione? Vis ſcire, quàm copioſa erat ſatisfactio, meritum, pretium illud Redemptoris pro te ſolutum? eſt tam magnum quàm DEUS eſt ipſe. Una gutta Sanguinis Chriſti, ùt certum eſt Sanctis Patribus, ſufficiſſet pro toto mundo peccante, milléque mundis; quia propter Unionem hypoſtaticam Verbi cum carne ſatisfaciente, quælibet erat virtutis, efficacitatis, dignitatis infinitæ, ac divinæ: cuilibet unita divinitas parem Majeſtati ſuæ valorem communicabat. Operibus Chriſti pro te ſatisfacientis, intrinſecè juncta Deitas, influebat ad ea extollenda magis; quàm ad peccata tua exaſperanda offenſi DEI Majeſtas extrinſeca. Redemptoris hujus gratiâ & fide, juſtificabantur, ac ſalvabantur, non modò qui poſt Chriſtum erant, ſed & Adam, & reliqui Legis veteris juſti credentes in eum venturum. Hinc fuit ille, *expectatio Gentium.* Gen. 49. ℣. 10. *& Salutare tuum expectabo Domine* ajebat ibidem ℣. 18. Jacob moriturus: item nominabat eum ℣. 26. *Deſiderium collium æternorum.* Hinc Job. 19. 25. *Scio*, ait, *quòd Redemptor meus vivit*; *& in carne mea videbo DEUM meum.* En bis eum DEUM appellat; ſemel expreſsè, iterum implicitè, cùm inquit *vivit*: nam ſi purus fuiſſet homo; ætate Jobi non vixiſſet. Paulus modò citatus id clariſſimè profitetur Rom. 3. 25. *Chriſtum*,

 inquit,

inquit, propitiationem propoſuit DEUS, *ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione DEI &c.*

6. Quæ cùm ita ſint video præter hæc omnia rationem etiam aliam; unde Redemptor noſter, DEUS neceſſariò verus dicendus ſit. Si enim redemit, emítque nos; ſumus verè illius peculium proprium: habet jus in nos ſummum; neque minus quàm habebat Pater à quo emit. Beneficiô ſumus affecti longè majori per redemptionem, quàm per creationem; majus etiam ac difficilius longè opus eſt illud, quàm iſtud. *DEUS qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabiliùs reformâſti*, orat in Miſſa Eccleſia. Ergò ſi Creator noſter, non fuit, neque potuit; multò minùs Redemptor fuit potuítque alius, quàm DEUS altiſſimus eſſe. Si enim ab alio fuiſſemus aliquo redempti; juſtè nos ad eum diligendum ſuper omnia, & amandum, & obſequiis omnibus colendum à DEO Creatore tranſtuliſſemus, ùt SS. Patres jam olim ratiocinabantur. cui namque plus deberemus, & cujus peculium majore titulo eſſemus; huic nos juſtitia, & rationis prudentia, præ illo, à quo minùs accepiſſemus, addiceret: id eſt Redemptori præ Creatore. Creationem ſex diebus abſolvit Omnipotentia divina; dixit fiat, & facta ſunt omnia: redemptio, ſeculorum omnium negotium: cœpit eam divina ſapientia ſtatim in Paradiſo, atque in primo mundi exordio; promittens, figurans, inculcans mundo per tot voces, tot Prophetarũ juſtorũ ſanguinem, populi ſui tot viciſſitudines, per filii tandem ſui unici labores, doloréſque tantos: denique per illius regnum duraturum in æternum. De Creatore ſcriptum eſt Iſa. 40. 12. *Menſus eſt pugillo aquas, & Cœlos palmo ponderavit, appendit tribus digitis molem terræ &c.* De Redemptore: *fecit potentiam in brachio ſuo* Luc. 1. brachium digitis, & pugillo, quantò majus eſt? Sunt hæc inquis metaphorica. Eſto, ſed veritatem

maxi-

maximam in metaphora explicantia. Ad redemptionem veram opus fuiſſe inquis, ut ei, cujus captivi eramus pretium noſtrum exſolveretur; at captivos nos detinebat diabolus, cui Chriſtus nihil perſolvit. O argumentationem homine, atque Chriſtiano prorſus indignam! multóque rudiſſimam! diabolus non ùt dominus, tenebat nos captivos; ſed ùt lictor, & miniſter Domini, Deíque offenſi: cujus eramus captivi, & ab eo in manus dæmonis tanquam carnificis tradendi. Emit pretio nos non modò ſufficienti, ſed etiam magno à Patre Filius; juſtiſſimè igitur iſtius ſumus: hic ſe Regem, Dominum, Caput, Sponſum, Paſtorem, Magiſtrum noſtrum; & nos ſervos, membra, ſponſas, oves, diſcipulos ſuos jure ſummo vocat: quorum nihil poteſt ulli propriè tribui, nisi vero DEO. Poſuit vos Epiſcopos *regere Eccleſiam DEI, quam acquiſivit Sanguine ſuo.* Actor. 20. *Eum, qui emit eos Dominum negant* 2. Petr. 2. 1. Emit nos Filius, ſed Pater non amiſit; quia unus idémque DEUS, Rex, Dominus, Caput, Sponſus, Paſtor, Magiſter noſter, Creator ac Redemptor, eſt cum Patre Filius: Incarnatus quidem, mortuúſque pro nobis hic ſolus eſt; ſed Incarnationem illam tota Sanctiſſima Trinitas decrevit, & effecit: mortem illam Deitas trium harum Perſonarum unâ eadémque, carni unita, præſtitit adeò pretioſam. Chriſtus nisi dicere potuiſſet, *Ego & Pater*, & Spiritus Sanctus, *unum ſumus*; Redemptor, Paſtor, Caput noſtrum, nóſque membra, oves, peculium ejus eſſe nunquam potuiſſemus. *Quid ergò retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* quærit Bernardus Tract. de diligendo DEO: *In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe; & ubi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo; & bis debeo: quid DEO tribuam pro ſe?* Non alius DEUS creavit, alius redemit me; verùm unus idémque: creavit inprimis purus DEUS; deinde redemit unà cum natura humana ſimili meæ, in ſe ob hanc cauſam aſſumpta. Tantum uni trium harum divina-

rum

rum perſonarum; quantum alteri, quantum toti Sanctiſſimæ Trinitati debemus, in hac ipſa etiam redemptione: ùt infrà pluribus declarabimus.

7. A Redemptore, venio ad Salvatorem; de quo cùm par ſit ratio, vix aliquid eſt reliqvum diſputandum. Negas Chriſtum eſſe Salvatorem mundi? quid negas, nisì totum novum, totum etiam vetus Teſtamentum? utrobique Chriſtus hoc titulô ſuô principali deprædicatur. *Salutare ſuum, ſalutare DEI, Salvatorem ſuum DEUM*, quoties Prophetæ antiqui conclamant? DEUM Patrem ſolum intelligunt putas? *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud Nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Actor. 4. Imò Iſa. 12. ſæpiúſque alibi, clarè de Chriſto loqui ſunt intelligendi. *Ideò vocatum eſt Nomen ejus JESUS divinitùs.* Ergò vel Pater, idem unúſque DEUS cum JESU, Nominíſque ſit, ſeu eſſentiæ, ac virtutis ejuſdem cum Filio; vel Pater non ſit DEUS, quod nec tu blaſphemare audebis: qui etenim Salvator, ſalúſque noſtra eſt, à DEO cum altiſſimo diſtinctum eſſe, amentia ſumma eſt, vel cogitare. Salvare, ac regnum Cœlorum, vitâmque largiri æternam, eſt inter omnia opera DEI, longè maximum; hæc eſt gloria DEI prima, & ſuprema, cujus causâ fecit is cætera omnia: *gloriam meam alteri non dabo*, proteſtatur abſolutè; quomodo igitur gloriam hanc ſuam omninò Principem, & in æternum duraturam, dabit alteri, & quidem ùt tu putas infinitè ſe inferiori? Nam quantumcunque proximum DEO facias Chriſtum; ſi non eſt DEUS altiſſimus, minor eô ſit oportet infinitè, ùt creatura pura DEO: creaturarum autem minima, non diſtat plùs à DEO, quàm maxima: id quod certiſſimum Philoſophiæ ſanæ, infinitum cum rebus finitis comparanti.

8. Objicies Joſeph in Ægypto dominantem, qui figura fuit Chriſti Salvatoris mundi: *vertítque nomen ejus* Pharao, *& vocavit eum linguâ Ægyptiacâ ſalvatorem mundi.* Gen. 41. 45. Jo-

45. Joſeph ille, nihilominus quamvis Regno toti Pharaonis Præfectus, maximóque in dominatu; minor tamen fuit Pharaone, audivítque ab illo: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet; unô tantùm regni ſoliô te præcedam.* Gen. 41. 40. Chriſtus igitur etiam fuit ſuper omnia cætera in Regno Patris ſui; & tamen minor eô potuit eſſe, ita ut unô tantùm Regni ſoliô præcederet eundem Pater. Reſpondeo in figuris non omnia, quæ occurrunt, poſſe veritati eodem modô convenire: ſumuntur enim figuræ à rebus humanis, materialibus, creatis; ſignificata per illas veritas eſt ſpiritualis, cæleſtis, divina: ſimilitudo inter hæc & illa, quid mirum ſi claudicet in aliquibus? In DEO dari poteſt, ùt videmus Chriſtiani, natura una in tribus Perſonis; in Chriſto perſona una cum duabus naturis: quorum nihil reperiri poteſt in rebus creatis. Quis igitur miretur figuras, ac ſimilitudines Myſteriorum illorum divinorum à creaturis deſumptas, cum ſuo antitypo non in cunctis concordare? Typus humanus res divinas repræſentans, divino eſt nobis aliunde clarè manifeſtato, non humanô intelligendus, explicandúſque modô. Quare Pharao & Joſeph, cum ambo creaturæ Dominíque finiti eſſent; poterat alter ad alterum accedere propius: poterat unus in uno, alter in alio genere præcellere; alter alterius ope indigere. Pharao eminebat regno; ſapientiâ divinitùs acceptâ Joſeph, ſinè qua Pharaonis dominatus, & poteſtas omnis non ſuffeciſſet ad ſalvandam Ægyptum ab imminente fame. At verò Chriſtus Dominus idem cum Patre DEUS, non egebat humanâ naturâ ſibi uniendâ ex defectu ſapientiæ, ac virtutis ſuæ; ſed unicè, quò pati, & humiliari, & mori, quæ Divinitati erant impoſſibilia, ſive ſatisfacere pro noſtra ſalute poſſet: paſſioni quoque, ac morti ejus vim omnem, valorémque ſatisfaciendi, Deitas in unam perſonam cum carne copulata dabat. Non eſt igitur is quoad ſuam naturam divinam, vel unô Regni ſoliô

diator ſatisfaciendo pro nobis DEO ; ut litrum ei noſtrum perſolvat, & pœnam quam debebamus luat : *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, ſubjicitur. Idem alibi : *delens quod adverſus nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Coloſſ. 2. 14. An verò id pura creatura DEO altiſſimo nobis irato, efficere unquam potuiſſet ? O verè *benedictum lignum, per quod fit juſtitia* ! Sap. 14. 7. Addunt SS. Patres Mediatorem DEI & hominum Chriſtum in hoc Apoſtoli textu contemplantes : nomen iſtud ei congruere ſoli, & quidem modo prorſus ineffabili ; ex hoc potiſſimùm capite : quòd Mediator DEI & hominum aptiſſimus eſt ille unus, qui & DEO par eſt, & hominibus : ſive qui DEUS eſt æquè, ac homo. Nam ſi purus ſit homo, fratribus quidem ſuis ſuccurrere ſtudebit ; ſed nunquid Principum ullus, mediatorem inter ſe ac ſubditum ſuum rebellem, de plebe ſuorum aliquem admittet ? præſertim, ſi non ſoli gratiæ, ſed titulô etiam juſtitiæ ſuæ, velit is ex æquo velificare. Si etiam purus DEUS ſit, Mediator inter ſe ac homines eſſe, quî poterit ? At ais, Chriſtus etſi purus homo, innocens tamen, impollutus, ſegregatus à peccatoribus fuit. Reſpondeo fuit, quia unita eſt Verbo in eo inſtanti, quô cœpit humanitas illius exiſtere : totum hoc debet Chriſto quà DEO, natura ipſius humana ; non ſibi, nec Adamo acceptum ferre : Virginem quoque DEIPARAM fateor prædicamus fuiſſe immaculatam, ac ne vel in Adam quidem peccâſſe : verùm iſtud privilegium eſt planè ſingulare, Matri ſuæ à Salvatore mundi conceſſum. Chriſtus DEUS & homo, nullô temporis momentô fuit purus homo ; multóque minùs Filius Adæ veteris : quia illius humanitas in perſona creata nunquam ſubſtitit ; ut peccator, vel purus homo dici potuerit : qui ſi fuiſſet ; næ ille, nec redimere, nec ſatisfacere pro nobis, nec Mediator eſſe, nec reliqua munia & nomina ſua gerere obiréque, prout fecit

cit potuiſſet. Ergò Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus &c. Chriſtum ajunt Mediatorem eſſe DEI & hominum, planè ſubſtantialem ; eò quòd in illo naturæ duæ ſummè ab invicem diſtantes, divina & humana, copulatæ ſunt ſubſtantialiter : non in unius confuſione ſubſtantiæ, ſed in unius ſingularitate perſonæ. Sanctus Auguſtinus lib. 9. de civitat. cap. 15. adjungit, fuiſſe illum etiam Mediatorem, ſeu medium inter DEUM & hominem, ſpectatâ ratione ſtatûs vitæ præſentis, ac futuræ : quia ſimul fuit in cœlo, ſive beatus & comprehenſor duplici titulô ; tum quà DEUS, fons omnis beatitudinis, tum quà homo quoad animam ſuam, quâ DEUM ſemper facie ad faciem videbat : fuit pariter ſimul Viator in terra, quærens meritis ſuis gloriam corporis ſui, & cætera quæ ſibi ſpeciali titulo per mortem etiam ac reſurrectionem ſuam obtinere voluit, tametſi aliunde jure debita.

10. Objiciunt, in textu Pauli quem celebramus, hæc duo diſtingui : *Unus DEUS ; unus & Mediator DEI & hominum, homo Chriſtus JESUS* : ergo ajunt, Mediator unus diſtinguitur, ab illo uno DEO. Quod inde primò confirmari putant ; quia ſequitur *homo Chriſtus JESUS* : cur non vocat eum à parte ſua nobiliore, ſi verè DEUS erat ; *DEUS Chriſtus JESUS* ? Secundò Mediator, & ſatisfaciens, & redimens nequit eſſe DEUS : debet enim à Perſona cui ſatisfacit, & à perſonis quas inter ſe conjúngit, neceſſariò eſſe diſtinctus : at Chriſtus, ùt vos creditis, eſt ille ipſe DEUS iratus ; quomodo igitur placabit, reconciliabítque ſibi ùt medius & ſequeſter, hoſtes ſuos ? quomodo ſolvet ipſe ſibi litrum ab illis exolvendum ? Reſpondeo ratiunculis his adverſariorum merito explodendis : unum DEUM ab uno mediatore diſtingui non adæquatè ; ſed inadæquatè, ac tanquam incluſum ab includente : Unde aliud verè myſterium repræſentatur verbis his, *unus DEUS* ; aliud his, *unus Mediator*

DEI, & hominum: aliud in hoc nomine *DEUS*; aliud in hoc, *Chriſtus*. Nam etſi tota ratio unius DEI, includitur in Chriſto ac Mediatore ; non tamen viciſſim : ratio quippe Mediatoris & Chriſti ſuperaddit aliquid uni DEO, videlicet humanitatem. Cur autem ſubjungat Apoſtolus, *homo Chriſtus JESUS*, & non DEUS Chriſtus JESUS, quid quæris ? poterat eum DEUM ſimpliciter à parte nobiliore, poterat hominem vocare ; ùt & is ipſe Filium ſe jam hominis, jam DEI nominavit : in hoc loco nihilominus videtur fuiſſe ratio ſingularis, humanitatis exprimendæ ; quæ ſola poterat humiliari, pati, mori pro nobis: quibus in actibus conſiſtebat pretium noſtrum. At cùm dicit *homo*, ſi capis myſterium, adverte, non dici purè creatum aliquid ; ſed partim creatum, partim increatum : dici ſiquidem naturam humanam ſubſiſtentem in aliquo ſuppoſito : aliud apud Philoſophos Chriſtianos ſignificat humanitas in abſtracto, ùt ajunt, ſumpta ; & aliud homo in concreto : noſter hic igitur Mediator homo, eſt humana natura ſubſiſtens in perſona divina ; ergò eſt & homo & DEUS, includitúrque in eo, quà homine etiam in concreto accepto, Divinitas : quia intelligitur humanitas in Perſona Divina ſubſiſtens. Ad cætera quæ affers dico, diſtinctionem inter DEUM & Chriſtum, quam attuli, ſufficere ad exercendum officium hoc mediatoris, paritérque Redemptoris : ſatis etenim eſſe, ut iſte inadæquatè diſtinguatur ab una, & adæquatè ab altera, partium diſſidentium quas componit. Quòd ſi aliquod hujus rei diviniſſimæ in rebus creatis deſideres exemplum ; par non poſſe dari, mirari noli : ſecùs enim non eſſet hoc myſterium à conſtitutione mundi abſconditum. Aliquam tamen ſimilitudinis ſpeciem à Theologis productam reperio. Manu tuâ ſiniſtrâ, manum inimici tui arripis ; & ſtudiô pacis cum tua dextera conjungis : in hac dexteræ tuæ, manúſque alienæ conjunctione, mediatrix abſque dubio eſt manus tua ſiniſtra ; per quam utraque manus

nus tam inimici tui quàm dextera tua, ſunt inter ſe copulatæ. Jam quæro, an manus tua ſiniſtra & dextera tua diſtinguantur inter ſe? tu affirmabis; ego cum Ariſtotele, Philoſophíſque Chriſtianis reſpondebo, non diſtingui nisì inadæquatè: conſtat ſiquidem utraque manus tua vivens, materiâ, & formâ, vel animâ, & corpore: materia & corpus in utraque manu tua eſt aliud, & aliud; anima eſt una eadémque tanquam ſpiritualis tota in tota, & tota in qualibet parte tua. Itaque ſi animæ in duobus diverſis membris tuis unitas, non officit, quò minùs eorum alterum Mediatoris munus erga alterum exhibere poſſit; cur Chriſtus nequeat eſſe Mediator inter DEUM & homines peccantes, etiam ſi una eadémque Deitas, ſit & in Chriſto & in DEO? eſt enimverò voluntas in Chriſto duplex, & humana, & divina: Obedire DEO & humiliare ſe potuit humana; quam Divinitas hypoſtaticè illi unita elevabat in eam dignitatem; ut ſatisfacere, mereríque per id potuerit apud DEUM condignè. Actiones non ſunt naturæ, ſed ſuppoſiti; actus igitur Chriſti quà hominis, non ſunt purè ab humana natura, ſed ab ea in perſona illius, quæ unica, divináque eſt, ſubſiſtente manantes: habent proinde valorem, ac virtutem in ſe infinitam, ac divinam: ùt infrà DEO favente pluribus exponetur.

11. Jam ut de Advocato quoque pauca dicamus: Deitas Chriſti Domini manifeſtiùs quidem elucere videtur, in eo Mediatore; quàm in Advocato noſtro: cùm ſupplicare, peteréque à Principe, ſit per ſe proprium illorum, qui ſunt illo inferiores. Si bene tamen conſideretur, qualisnam ſit Advocatus noſter Chriſtus; profectò non eſt utì puræ creaturæ intercedentes pro nobis; ſed ùt DEUS homo, in humanitate à DEO aſſumpta, interpellans precibus, meritíſque ſuis divinâ & infinitâ virtute ad impetrandum pollentibus. *Sed etſi quis peccaverit; Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro*

noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. 1. Joan. 2. 1. *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad DEUM; ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Hebr. 7. 25. Item cap. 9. 24. *Non in manufacta ſancta JESUS introivit, exemplaria verorum; ſed in ipſum Cœlum: ut appareat nunc vultui DEI pro nobis.* Ideò cicatrices etiam vulnerum ſuorum, reſurgens ſervavit, & Cœlo intulit; ut exhibeat Patri pro nobis. *Qui eſt ad dexteram DEI; qui etiam interpellat pro nobis.* Rom. 8. 34. Cæteri pro nobis intercedunt apud DEUM, per hunc ipſum Advocatum noſtrum unum: merita cæterorum vim ſuam omnem habent à Chriſto, qui ſolus eſt propitiatio noſtra; Chriſtus autem unicus meritis, virtutéque ſuâ propriâ interpellat. Gregorius Nazian. & Auguſtinus hîc notant, Chriſtum in vita ſua meritum eſſe nobis omnia, orâſséque Patrem ſolicitè; imò cum lacrymis; nunc autem in Cœlo, non tam propriè orare, nec denovo impetrare, quàm exigere quaſi petendo, jus meritis ſuis debitum, præmiúmque à Patre antea impetratum: ſcilicet gratiam, & ſalutem noſtram. Omnis enim anxietas, humilitas, vilitas Chriſto glorificato indigna, removenda eſt ab ejus pro nobis oratione, inquiunt SS. Patres illi. Quid? quòd etiam *in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens; exauditus eſt pro ſua reverentia?* Hebr. 5. 7. Quid eſt hæc *reverentia?* blaſphema & inaudita Calvini, ac Bezæ interpretatio, nec nominetur in nobis: SS. Patres reverentiam eam jam activè, jam paſſivè, ùt loqvuntur ſcholæ, accipiunt: hoc eſt: jam pro ea pietate ac reverentia, quâ Chriſtus proſequebatur Patrem; jam pro eo affectu, quô ferebatur in Filium ſuum dilectum; ſive quô illum ita reverebatur, ut exaudiret ſemper; non tam ex gratia Patris, quàm dignitate Filii propria: ut nihil ei negare poſſet Pater;

quod

quod is abſolutè oraret. Lazarum reſuſcitaturus Joan. 11. 41. *JESUS autem elevatis ſurſum oculis dixit : Pater gratias ago tibi, quoniam audîſti me* : nulla verò præmittitur expreſſa ipſius oratio. *Ego autem ſciebam, quia ſemper audis ; ſed propter populum qui circumſtat dixi : ut credant, quia tu me miſiſti.* An humillimus JESUS hæc de ſe dixiſſet ; ſi purus homo fuiſſet ?

§. III.

De Munere Sacerdotis, & Pontificis.

12. OFficium Chriſti tertium, cum his planè conjunctum, eſt Sacerdotis, Pontificíſque noſtri ſummi ; cujus typi fuêre Sacerdotes, Pontificéſque Legis veteris. Ideò Chriſtus, ſive Unctus appellatus eſt ; hoc eſt Rex, & Pontifex noſter. Hoc utroque titulô DEUS certò verus eſt. Sacerdos enim iſte, ſimul eſt & ſacrificium, & hoſtia ; duæ igitur in illo naturæ, offerens & oblata : quod in pura creatura nulla reperiri poteſt, ſed in DEO ſolô naturâ veſtito creatâ. Sit enim DEUS altiſſimus neceſsè eſt ; qui & Sacerdos, & hoſtia infinitæ virtutis, ac dignitatis eſt. Figura illius Abraham filium Iſaac ; Jephte Jud. 11. filiam ſuam unicam litans DEO : Chriſtus obtulit ſe ipſe : quia, *definitô conſiliô, & præſcientiâ DEI traditum, per manus iniquorum affigentes, interemiſtis* eum Judæi Actor. 2. DEUS ille definiens, fuit unus, idémque DEUS, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus : *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Iſa. 53. *Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam DEO in odorem ſuavitatis.* Epheſ. 5. 2. Lege Apoſtoli Pauli ad Hebr. epiſtolam : quanta occurrunt in ea de hoc Myſterio ? cap 2. 17. *Debuit per omnia fratribus ſimilari ; ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad DEUM, ut repropitiaret delicta populi.* cap. 4. 14. *Habentes ergò Pontificem magnum, qui penetravit Cœlos, JESUM Filium DEI*

&c. Lege cap. 5. totum ; ubi de illo ſcriptum à Propheta Pſal. 2 aſſeritur : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* : item illud Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Lege cap. 7. totum, in quo fuſiùs explicatur Sacerdotium ejus ſecundùm ordinem Melchiſedeh, inſtitutum in perpetuum ; Levitico, unà cum lege veteri evacuato : caput 8. ejuſdem argumenti totum : Denique caput 9. vel maximè nonum, ac decimum. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum &c. neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta ; æternâ redemptione inventâ. &c.* Heb. 9. 11. *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum* (imò & omnium purarum creaturarum) *auferri peccata : ideò ingrediens mundum dicit : Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptâſti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : ecce venio &c.* Hebr. 10. 4. *Unâ oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos. Ubi autem horum* (id eſt peccatorum) *remiſſio ; jam non eſt oblatio pro peccato.* ibid. ℣. 14. 18. Perfectio infinita ſacrificii Chriſti colligitur inde, quòd fuerit unicum ; non ut in lege priſca, centena & millena. Heb. 9. ℣ 15. & ſeq. Unde inferunt ſectarii, nullum eſſe Miſſæ Sacrificium : ſed peſſimè : nam etſi unâ oblatione in cruce conſummârit Chriſtus omnia ; in Miſſa tamen non offertur hoſtia nova, nec alia, ſed una eadémque cum illa : cum ſanguinis effuſione cruentáque illic ; iſthic incruenta. Eſt Sacrificium Miſſæ, commemoratio illius primi & unici Sacrificii ; per quam non fit nova remiſſio peccatorum, ſed illa prima & una, propriè tantùm applicatur nobis. *Alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes ; idcircò, quòd morte prohiberentur permanere : hic autem eò quòd maneat in æternum ; ſempiternum habet Sacerdotium. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt &c.* Hebr. 7. 23. Eſt igitur Chriſtus, Mediator noſter unus ; eſt Advocatus, Sacerdóſque noſter ſummus unus, in perpetuum : Chriſtiani verò Sacerdotes cæteri, ſunt Vicarii

rii tantùm, & Miniſtri ejus, qui virtute Chriſti, ejúſque Perſonam repræſentantes conficiunt Sacrificium Euchariſtiæ; ſive commemorant & repræſentant oblationem in cruce ſemel conſummatam. Hoc eſt illud veriſſimum in ſenſu allegorico, *Sacrificium juſtitiæ*; cujus ſæpiùs meminit David: Chriſtus videlicet in cruce primùm ſemel; deinde in Euchariſtia oblatus, & jugiter uſque ad conſummationem ſæculorum. Hoc Euchariſticum Eccleſiæ Chriſtianæ Sacrificium unicum, eſt illa *oblatio munda, in omni loco ſacrificanda, offerenda DEO*; de qua ſermo eſt Malach. 1. 11. *hoc illud juge Sacrificium*, olim adumbratum; quod prophetabat Daniel. Sed plura de his tractandi non eſt hîc locus.

§. IV.

De Officio Legislatoris, & novi Teſtamenti Conditoris.

13. QUartum Chriſti munus eſt; quòd fuerit ille novi Teſtamenti Conditor, noſtérque Legislator. Quid frequentius? quid certius in Libris Evangelicis? Ut alia innumera mittam; audi rursùs Paulum Hebræos ſuos erudientem cap 8 & 9. Capite inprimis 8vò præfert Teſtamentum novum veteri: Mediator enim veteris Moyſes, & effector tabernaculi ſecundùm exemplar in monte ſibi oſtenſum; *quod erat umbra & exemplar cæleſtium*, id eſt, *tabernaculi veri, quod fixit. Dominus & non homo.* Quæſo te verba hæc attende: quis iſte *Dominus & non homo*? nisi à Moyſe figuratus tabernaculum vetus figente, Chriſtus non purus homo? *Hic melius ſortitus eſt miniſterium; quantò & melioris teſtamenti Mediator eſt: quòd in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Nam ſi illud prius culpâ vacâſſet; non utique ſecundi locus inquireretur.* Citat ſubinde Jeremiæ caput 31. per longum; ubi DEUS promittit Judæis Teſtamentum novum, & negligendum prædicit

dicit primum, quod fecit Patribus eorum, ſubjungit tandem Apoſtolus : *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt.* Non vacâſſe culpâ Teſtamentum inquit vetus : quod intellige, in ſe malum non fuiſſe, at infirmum & debile; quia non poterat homines juſtificare per ſe ac ſalvare, fuítque umbra tantùm & figura novi Teſtamenti juſtificantis in Chriſto ac ſalvantis. Capite 9. poſtea ex Teſtamenti veteris Myſteriis, quæ deſcribit, & ex imperfectione illarum hoſtiarum & cæremoniarum, *uſque ad tempus correctionis impoſitarum*, id eſt uſque ad Chriſti adventum oſtendit novi Teſtamenti perfectionem : in quo Chriſtus Pontifex & hoſtia ſemel oblata, emundat nos à peccatis ; quem ad ſui Teſtamenti confirmationem mori fuit neceſsè. *Ideò*, ait, *novi Teſtamenti Mediator eſt ; ut morte intercedente in remiſſionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Ubi enim Teſtamentum eſt, mors neceſsè eſt intercedat teſtatoris : Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt ; alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt. Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt* : quod probat referens ſe ad hiſtoriam illius Exod. 24. relatam. Concludit : *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Animadverte potiſſimum, quòd Chriſtum non modò Mediatorem, ſed etiam Conditorem Teſtamenti novi vocet ; ſive Teſtatorem, & ùt loquitur Hebr. 7. 22. *Sponſorem ;* quem propterea mori debuiſſe ait ; quia Teſtamentum *nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt.* Argumentum hinc pro Chriſti Divinitate deducendum, credo magis, quàm ratiunculæ neſcio quæ aliæ moverunt Eraſmum, Chriſtomachorum patronum ſummum ; cur negaverit Pauli ad Hebræos Epiſtolam eſſe Canonicam : at ei tot ſæculorum, tot Sanctorum, tot Sapientum Eccleſiam nos anteponimus.

14. Te-

14. Teſtamentum ac fœdus primum, vetúſque cum populo à DEO Legislatore, ictum eſt Decalogo Legibúſque judiciariis, & cæremonialibus Iſraëli præſcriptis; quas reliquit ei DEUS, terrâ Chanaan multíſque aliis benedictionibus temporalibus promiſſis, ſi legem illam obſervaverint: in quibus omnibus Mediator & ſequeſter, inter populum ac DEUM erat Moyſes; non autem Legislator, nec Teſtamenti auctor. Chriſtus Teſtamenti novi, legíſq; Chriſtianæ tam Mediator, quàm Conditor; tam Legislator, quàm promulgator eſt. Mediatorem ac promulgatorem fuiſſe, ſcio libenter concedes; auctorem quomodo negare audebis? Docui alibi tractans decalogum, non eum ſublatum à Chriſto; ſed confirmatum, & perfectum, nec non quæ illi deerant addita: judicia nihilominùs & cæremonias, Sacramenta & leges alias veteres, cum primo illo teſtamento abolitas; atque in eorum loco legem novam, Cæleſtem totam, & perfectionis Evangelicæ conſilia mundo inaudita, Sacramenta planè divina conſtat ab illo data & fundata: quæ non ùt Moyſes olim nomine tantùm DEI promulgavit; ſed ùt Legislator, ſuíque Teſtamenti auctor per ſeipſum de novo conſtituit, ſanxit, edidit Eccleſiæ, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Quid hâc veritate narrant clariùs Evangeliſtæ? Matthæus cap. 5. & 6 fuſiſſimè. Quoties ibi repeti à Domino audis? *Audîſtis quia dictum eſt antiquis: ego autem dico vobis.* Hæ ſolæ voces, id quod aſſero, cui ſani cerebri Chriſtiano non perſuadebunt? Nonne dicit? *Tollite jugum meum ſuper vos & diſcite à me &c. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Joan. 14. 15. & infrà: *Qui habet mandata mea & ſervat ea; ille eſt qui diligit me &c.* rurſus Joan. 15. 12. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem &c.* Denique poſt Reſurrectionem ſuam, ultimum quod præcepit ſuis: *Docete*, ait, *omnes gentes, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis.* Matth. ult. Quando unquam

ſic ad ſuos locutus eſt Moyſes? alio igitur in ſenſu, lex vetus, lex & jugum Moyſis dicitur: aliò lex gratiæ, lex & jugum Chriſti. Scimus & ab iſto dictum eſſe: *Sermonem quem audîſtis non eſt meus; ſed ejus qui me miſit Patris* Joan. 14. 24. verùm ſi credis Evangelio, imò toti Scripturæ; id neceſſariò ita intelligis: non eſt meus tantùm, ſed Patris etiam, qui me miſit. Nam etſi eadem ipſius, quæ Patris eſſet authoritas, ac ſapientia; Myſterium hoc tamen nondum plenè cognitum erat diſcipulis, multóque minùs auditoribus ejus. *Significat* inquit ibi Chryſoſtomus, *ſe nihil extra Patrem loqui, nec præter id, quod illi videtur*: vel intelligit, ſe illum ſermonem accepiſſe à Patre, non ùt Moyſes famulus à DEO miſſus; ſed per generationem ſui æternam, ùt Filius à Patre genitus: quod indicat adjungendo, *qui me miſit.* Acutè more ſuo Auguſtinus: *Dixit non ſuum, ſed Patris; ſe intelligi volens, qui Patris eſt Verbum, Imago, & Filius: rectè auctori tribuit, quod facit æqualis; à quo habet hoc ipſum, quod illi eſt æqualis.* Attende quæ ſtatim ſubjicit: *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens: Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in Nomine meo; ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Nonne clarè perſpicis verba ſingula ſcrutando, legem, ſermonem, verba Chriſti, eſſe item Patris, eſſe item Spiritûs Sancti; quia unus idémque DEUS, & Legislator, & Magiſter eſt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus?

15. Nunc ut ad argumentum, cujus gratiâ diſputamus iſta, pro Chriſti Divinitate vera vibrandum veniam. Auctor ajo Teſtamenti Legíſque veteris, nec fuit, nec potuit eſſe alius, præterquam DEUS altiſſimus: ergò multò magis debuit idem eſſe DEUS, auctor Teſtamenti novi, legíſque gratiæ. Antecedentem propoſitionem non negabis: DEUS eſt enim, & eſſe potuit, qui Judæos in populum ſuum electum præ omnibus gentibus conſtituit; qui eis legem tulit,

fœdúſ-

fœdúſque cum iis de illa obſervanda inivit; fideles ſibi remuneraturus, rebelles vindicaturus. Conſequentia num admittenda ſit, dubitabis? eſt certiſſima: eſt à minori multò, ad multò majus; à fœdere, ac teſtamento infirmo, ac temporario, ad validius æternúmque; à legibus rudioribus & carnalibus, ad perfectiores & Cæleſtes; ab umbra & corpore, ad ſpiritum, & veritatem; à Synagoga Judæorum, ad Eccleſiam omnium gentium; à terra Chanaan, vitáque longeva ſuper terram, ad Regnum Cælorum, & vitam æternam; ab opere DEI longè inferiori, ad omnium quæ is fecit eminentiſſimum. Conſequentia eſt verè indubitabilis & evidens: ergò Teſtamenti novi Author & Legislator Chriſtus nequit eſſe alius, minórque DEO altiſſimo; ſed ille idem, qui condidit vetus Teſtamentum, qui Legem in monte Sina populo tradidit, digitóq; ſuo in tabulis lapideis deſcripſit: Pædagogus tam populi duri, ac rudis; nunc ſuo proprio ad terras, in forma viſibili carnis adventu Magiſter perfectiſſimus, Salvator ac Pater, mundum regenerans amantiſſimus. An verò tantorum DEUS operum gloriam ceſſerit alicui puræ creaturæ? id eſt Chriſto veſtro commentitio? qui Socium, Vicarium, Conſiliarium, in creatione mundi, cæteríſque actis ſuis antea minoribus, nullum admiſit? O amentiam! ô cæcitatem inexplicabilem! credere velle Scripturis novis, ac veteribus; & ab hac veritate convinci, lucem hanc videre nolle! Legislator noſter eſt, non verba purè, ùt Moyſes à DEO accepta; ſed ſua æquè ac Patris propria exponens: *Ego dico, ego mando vobis*; inquit per totum Evangelium: Scimus vocem Patris de Cœlo ad eum non ſemel miſſam; *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite*: at ubi & quando dictârit ei Pater, quænam populo ſuo præcepta ferre, ùt Patris nuncius deberet; legimusnè? audivimusnè? Teſtator eſt; eſt is qui teſtatus eſt, atque ideò mortuus; ut morte intercedente Teſtamentum ſuum confirmaret: ille igitur pretiô redimens hominem

minem magno, legem ei ùt ſuo proprio ſervo ſcripſit: ille Regnum nobis Cœlorum, ſi ſervaverimus eam, dabit; ſin minùs, mittet nos in ignem æternum: & tamen non ſit is DEUS altiſſimus? DEUS Optimus Maximus? *Nihil*, ait Paulus, *ad perfectum adduxit lex*, id eſt, vetus Teſtamentum; *introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad DEUM. Et quantum eſt non ſinè jurejurando (alii quidem ſinè jurejurando Sacerdotes facti ſunt; hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum) in tantùm melioris Teſtamenti ſponſor factus eſt JESUS.* Hebr. 7. Sponſor Teſtamenti dicitur, quaſi fidejuſſor novi fœderis inter DEUM & hominem, ſecuros de promiſſionibus divinis inviſibilibus ac futuris explendis reddens cunctos, qui credent in ipſum. Sponſor iſte potuitnè minor DEO teſtatore, ac per conſequens infinitè minor eſſe?

16. Objiciunt, jam planè Apoſtolum ipſum criminantes; à Paulo allegato Hebr. 9. 20. malè citari Moyſen, DEUM inter & populum ſanguine vitulorum fœdus ſancientem. Nam Paulus ponit, *hic ſanguis Teſtamenti*; Exodus autem cap. 24. 8. habet, *hic eſt Sanguis Fœderis.* Quare ùt ajunt erravit Apoſtolus, vetus enim Teſtamentum, non fuiſſe Teſtamentum, ſive ultimam voluntatem morte firmatam teſtatoris; ſed fœdus tantummodò, & pactum DEI cum Iſraëlitis. Si námque Teſtamentum fuiſſet, morte DEI teſtantis confirmari, & mori DEUS debuiſſet: malè igitur urgeri à Paulo comparante Teſtamentum novum cum fœdere, neceſſariam eſſe ad valorem Teſtamenti novi, mortem teſtatoris. Reſpondeo pro defenſione Pauli Apoſtoli, *qui non ab hominibus, neque per hominem, ſed per JESUM Chriſtum & DEUM Patrem:* Gal. 1. reſpondeo inquam vocem hebræam *berit*, quæ fœdus ſignificat, à Septuagi ita verti paſſim διαθήκη; quæ vox propriè Teſtamentum indicat: unde in ſcripturis

pturis hæc tria, *berit* hebraicum, διαθήκη græcum, latinum *Teſtamentum*, pro eodem accipiuntur; aliquando pro quovis fœdere ac pacto generatim, aliquando ſpeciatim pro fœdere Teſtamenti, ac promiſſione teſtamentaria, ultimáque voluntate. Teſtamentum novum, à Chriſto in Cœna ultima, & Euchariſtiæ inſtitutione, primùm apertè propoſitum, deinde in cruce morte ſuâ conſummatum, quin fuerit verum ac propriè dictum Teſtamentum, dubitari nequit: vetus Teſtamentum in Exodo expoſitum, quoad rationem fœderis, fuit etiam verum omninò fœdus; quoad rationem autem Teſtamenti, ſive ultimæ voluntatis morte confirmandæ teſtantis, fuit teſtamentum typicum, ſeu figura novi, & proprii, veriſſimíque Teſtamenti: repræſentans Chriſtum teſtatorem morte Sanguinéque ſuo robur, aliquando Teſtamentô ſuô ſupremum additurum. Erat inprimis voluntas ea DEI Legislatoris in Sina, pro tempore illo typi ac Synagogæ ultima; erat morte ſancita victimarum, quas DEUS qui mori non poterat in loco quaſi ſui addicebat neci: quod ſignificare volens Moyſes, partem Sanguinis fuſi è victimis Exod. 24. fudit ſuper altare; in quo repræſentabatur DEUS; DEUS igitur illic ſuo veluti aſperſus Sanguine Teſtamentum illud ſuum obſignare, confirmaréque videbatur: quod Apoſtolus eleganter explicat dicens: *Unde nec primum quidem ſinè ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato Legis à Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & bircorum &c. Neceſsè eſt ergò exemplaria quidem cæleſtium* (hoc eſt figuras veritatis noſtræ) *bis mundari; ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis &c.* Præmiſerat Hebr. 9. *V.* 12. *neque per ſanguinem bircorum aut vitulorum, ſed per proprium Sanguinem introivit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inventâ.* Quare nihil fœderi antiquo defuit; quin teſtamentum verum, ſed in umbra typóque futuri vocaretur: nihil novo deeſt, quin ſit in veritate ipſa olim figurata, teſtamentum morte, ſanguinéque Chriſti

Christi testantis obsignatum. Num otiosè Septuaginta quos passim sequebantur Apostoli, Moysis verba præfata Exod. 24. *hic est sanguis fœderis*, in hebræo *berit*, vertunt διαθήκην, *sive Sanguis Testamenti*? Otiosè Spiritus Sanctus Legem veterem, toties testamentum nominat? *Arcam Testamenti* Exod. 30. 26. Num. 14. 44. 2. Reg. 6. 15. *Memento Domine Testamenti tui* Judith. 9. 18. David & reliqui Prophetarum quoties id repetunt? quibus in locis omnibus & latina *testamentum*; & græca & Syriaca Biblia διαθήκην ponunt. Otiosè Lex Christiana testamentum novum, & secundum appellatur à Scripturis Apostolicis? cur novum & secundum, nisi quòd primum & antiqvum præcessit? Quid habes igitur, quod in Paulo reprehendas? id profectò unum quod Christum Auctorem testamenti sui novi legisque gratiæ, morte suâ eam confirmantem disertè asseveret; quod illum clarissimè sæpissimæque DEUM esse verum, atque isthic præcipuè contestetur.

§. V.

De Munere Capitis Ecclesiæ.

17. QUintum Christi Officium pono, esse illum constitutumCaput Ecclesiæ; quod exeqvitur duplici titulô: primò, quia regit Ecclesiam, ùt Corpus sibi subditum, cum summa in eam potestate: secundò, quia movet illam, ùt corpus membráq; sua; gratiæ virtutúmq; donis quemlibet nostrum animat; vitam spiritualem, gloriámq; cælestem nobis præbet: verbo, pendemus ex illo intimè, pendétq; salus nostra; ut è Capite membra, corpúsq; totum. Christus inprimis Sacramentorum Ecclesiæ, Baptismi, Eucharistiæ, cæterarúmque Domûs hujus suæ columnarum author est. O insigne Divinitatis Christi argumentum! quantis sunt Sacramenta nostra prodigiis, DEI unius altissimi operibus, in antiqua le-

ge

ge præfigurata ! num veritas ipſa cujuſpiam alterius virtute potuerit conſtitui ? Chriſtus deinde Vicarios ſuos in Eccleſia ſua regenda poſuit, Petrum & Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores; claves illis dans Regni Cœlorum, & remiſſionis peccatorum. Chriſtus nobiſcum eſt uſque ad conſummationem ſeculi; nec reliquit nos orphanos, abiens in Cælum dicénſque, *Negotiamini dum venio.* Chriſtus veniet iterum, & exquiret quantum quiſque negotiatus ſit : benè operantibus vitam æternam tribuet, malos ſuppliciô ſempiternô mulctabit. Functiones has tunè puræ creaturæ aſſignari poſſe judicabis? *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ* Coloſſ. 1. 18. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea ; pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia* Coloſſ. 1. 24. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus : ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctuam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in Charitate.* Epheſ. 4. 15. ſuprà ℣. 7. dixerat : *unicuique noſtrûm data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Ejuſdem Epiſt. cap. 1. ℣. 22. *Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam : quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. Et de plenitudine ejus,* inquit Evangeliſta quoque, *nos omnes accepimus.* Joan. 1. Repetit hæc verba ſua Paulus Heb. 2. citans Pſalmum 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus &c.* quæ in fine Inſtit. 3. jam ſupra explicuimus. At enim communionem Capitis hujus cum membris ſuis, pulcherrimè declaravit ipſe Dominus, in ſermone illo amiciſſimo ad ſuos, poſt Cœnam ultimam Joan. 15. *Ego ſum vitis vera ; & Pater meus agricola eſt : omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite ; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites : qui manet in me, &*

ego

ego in eo ; hic fert fructum multum : quia sinè me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit ; mittetur foras sicut palmes : & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. &c. Quomodo per DEUM immortalem jactare ista, illúdque potissimum de se dicere, *sinè me nihil potestis facere*, purus homo ex vero posset ? Si obiter quæras, num Angelorum quoque Caput sit Christus non modò ùt DEUS, sed etiam ùt homo? Respondeo utique: *nam eum constituit ad dexteram suam in Cælestibus, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus : & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Ephes. 1. 20. Si super omnem Ecclesiam ; ad eam triumphantem pertinent certò Angeli : ubi enim est unum corpus, inquit S. Thomas 3. p. q. 8. a. 4. unum ponatur caput necessè est. *Estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatûs, & Potestatis.* Coloss. 2. 10. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Cæterùm quæ præterea obligatio Angelorum sit ad Christum Dominum, à Theologis pertractatur fusiùs.

18. Dices, sit Christus Caput omnium ; est tamen Caput à Patre constitutum : sit ille vitis, & nos palmites ; est tamen Pater agricola, qui & vitem plantat, & palmitem purgat, vel à vite resecat : major autem est, qui aliquem in officio ac Magistratu pro potestate sua constituit ; quàm is, qui constituitur : major est agricola vite. Respondet S Augustinus tract. 80. in Joan. oppositioni huic inani passim recurrenti. *Ego sum, inquit, vitis vera, & Pater meus agricola est. Nunquid unum sunt agricola & vitis? Secundùm hoc, ergò vitis Christus ; secundùm quod ait, Pater major me est : secundùm autem id, quod ait, ego, & Pater unum sumus ; & ipse agricola est : nec talis, quales sunt, qui extrinsecùs operando exhibent ministerium ; sed talis, ut det etiam intrinsecùs incrementum. Nam neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat DEUS.* ita ille. Christus est Ænigma divinum, est Mysteri-

um

um ineffabile ; ſed cuilibet intelligere volenti ſatis, ſupérque à DEO explicatum : eſt & idem numero DEUS, cum Patre ac Spiritu Sancto ; & homo idem in ſpecie nobiſcum : quoad naturam hanc ſuam humanam, à Patre, totáque Sanctiſſima Trinitate conſtitutus eſt Rex, Caput, Judex omnium, tunc ; quando DEUS formam illam ſervi accepit : mundo nihilominùs manifeſtatus præcipuè ; cùm reſurgens in Cælum aſcendit, ſedítque ad dexteram Patris : quoad naturam verò ſuam Divinam nihil minùs, nihil diverſum habet, à Patre, Spiritúque Sancto. Ex iis quæ diximus, dicturíque ſumus, nè toties repetantur, hæc uberrimè intelliges ; ſi quid intellectu vales : ſin minùs, crede, ſi Chriſtianus ſalvúſque vis eſſe.

§. VI.

De Officio Sponſi.

19. SExtum Chriſti munus eſt, quòd ſit Sponſus noſter, & Eccleſia ipſius Sponſa. Quoties hoc Pſalmi Davidis decantant? Quid aliud cantat Filius ejuſdem in Canticis Canticorum ? quot Parabolis ſuis proponit ipſe Dominus? Apoſtolus Paulus Eph. 5. *Vir caput eſt mulieris ; ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ : ipſe Salvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto ; ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea ; ut illam ſanctificaret, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet illam ; ſicut & Chriſtus Eccleſiam : quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem ſuam ; & adhærebit uxori ſuæ : & erunt duo in carne una.* Concludit cum admiranda Matrimonii Chriſtiani prærogativa : *Sacra-*

mentum hoc magnum eſt : ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia. Id eſt Sacramentum hoc ſignificat per humanas nuptias conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ : ſymbolum & figura eſt, ſpiritualis cæleſtíſque connubii, quod inter Chriſtum & nos intercedit. Tu illud non animadvertis? Obſerva quæſo eadem repeti à Paulo verba, quæ DEUS Adamum cum Eva copulans uſurpaverat Gen. 2. 24. ut intelligas jam in illo ipſo primo Matrimonio, tanquàm in typo & umbra fuiſſe myſterium & veritatem hanc, ſive Chriſti cum Eccleſia unionem deſignatam : per illud genus humanum ; per iſtam Eccleſia militans triumphánſque propagatur : inſtitutum eſt à DEO illud, ut nobis corporeis Sacramentum hoc ſpirituale repræſentaret ; in quo collocata erat ſalus noſtra in hoc ſeculo, beatitudo in futuro. In hac vita quippe inchoatur, in cælo conſummatur noſtrum iſtud Admirabile cum Chriſto Matrimonium : hîc ſe Sponſæ præparant ornántque ; illic velut in thalamo Sponſi Chriſto fruuntur. Apoc. 19. ad finem mundi deſcribendum veniente Sancto Joanne, concinunt Cælites : *Alleluja : Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei : quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe. Et dixit mihi, ſcribe : Beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt &c.* Mox infrà : *Venite, & congregamini ad Cœnam magnam DEI.* Iterum cap. 21. ℣. 2. *Ego Joannes vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam, deſcendentem de Cælo à DEO,* (ad judicandum mundum) *Paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis : & ipſi populus ejus erunt ; & ipſe DEUS cum eis erit eorum DEUS.* Quis eſt iſte eorum DEUS ? ſponſus illorum ; cujus cap. 19. 13. nomen erat *Verbum* DEI. In eodem cap. 21. 9. Angelus inquit ad Joannem: *veni, & oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni.*

20. *Re-*

20. *Relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una*; verba ſunt & DEI Gen. 2. Conjugium humanum inſtituentis; & Apoſtoli Epheſ 5. Matrimonium Chriſtianum, nuptiáſque cum Chriſto noſtras promulgantis. Chriſtus Patrem reliquit, deſcendens propter nos de Cœlo; *quando tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ùt gigas ad currendam viam, à ſummo Cœlo egreſſio ejus.* Pſal. 18. 6. reliquit & Matrem ſuam dicens ei: *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? quid mihi & tibi eſt mulier?* Reliquit eam perambulans docendo Judæam, paſſionis calicem bibens, de cruce denique Joanni eam commendans. Sequitur, *& adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: quî poſſit hoc in Chriſtum quadrare nobis adhærentem; explicet Paulus idem 1. Cor. 6. 16. *An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim inquit duo in carne una: qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Ibi caro cum carne, unione carnali; ſpiritus hîc cum ſpiritu, ſpirituali jungitur. Itaque Matrimonium hoc noſtrum cum Chriſto, eum eſſe DEUM altiſſimum, tam clarè demonſtrat; quàm quod clariſſimè. Nulla poteſt corporis cum corpore major unio excogitari; quàm ſit conjugum: nulla item ſpiritûs cum ſpiritu major; quàm in hoc ſpirituali conjugio: cujus corporale illud matrimonium, umbra tantùm & exemplar eſt verorum, ùt phraſi Apoſtoli loquar. Juncti ſumus Chriſto per fidem & gratiam iſthic; illic per gloriam ſeu viſionem DEI; ſi Chriſtus DEUS non eſt, quomodo ſponſas ille ſuas per intimam ſui communicationem cum iis, beatas efficiet in Cælo; ubi DEUS erit omnia in omnibus? O cæcum penitùs! ô inſanum! qui lumen ac veritatem hanc non perſpicit! ô idololatram maximum, qui puræ alicujus creaturæ connubio, putat ſe poſſe in æternum beari! Nota obiter nuptias has myſticas feciſſe Regem cæleſtem Filio ſuo primùm in ejus Incarnatione; copulando cum Divinitate natu-

ram humanam : deinde cum DEO & homine illo copulando cæteras juſtorum animas ; præque omnibus Beatiſſimam ipſius Matrem. Rex porrò & Filius Regis, eſt uterque unus, idémque DEUS : unde ſponſæ ſunt animæ Sanctorum, & Eccleſia ſponſa eſt tam Chriſti Filii, quàm Patris, Spiritúſq; Sancti, unius in tribus Perſonis DEI ; extra quem, cum nullo alio poteramus hâc ineffabili & beata unione in unum ſpiritum conjungi.

§. VII.

De Officio Prophetæ.

21. SEptimum Domini munus fuit, Prophetam eſſe mundi: quod, ùt & reliqua, non omninò negant Chriſtomachi ; ſed ita circumſcribere conantur, ut veram Chriſti Divinitatem, vaniloquiis ſuis quoad poſſint operiant. Concedunt Moyſe ac Joanne Baptiſta, cæteríſque Prophetarum, eum eſſe majorem ; Patri tamen Deóque verô parem inficiantur. At ille non modò ſanctior Prophetíſque omnibus præſtantior in donis gratiæ ; verùm naturaliter etiam ordinis eſſe prædicatur alterius, quàm Prophetæ, Sanctíque omnes : nam illi ſervi nominantur ; Chriſtus ſolus Filius : ſervus autem non obſequiis tantùm gravioribus, & favoribus heri minoribus ; ſed etiam jure naturæ diſtinguitur à Filio & hærede : qui natus eſt ex ſubſtantia Patris, & cui non ex gratia paterna, ſed generatione debetur hæreditas. Hæc abundè liquent ex præcedentibus. Si purus extitiſſet homo Dominus JESUS ; profectò ei quærenti, *quem dicunt homines eſſe Filium hominis* ? Matth. 16. ſatisfeciſſent reſpondentes Diſcipuli : *Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis* ; quia etſi ſanctior cunctis cæteris ; nihil tamen fuiſſet ampliùs, quàm unus ex Prophetis, unus è ſervis in filios adoptatis. *Non ſurrexit inter natos mulierum*

lierum major Joanne Baptista, inquiebat Dominus Matth. 11.11. & tamen quid ille ad Christum? Fassus erat ipse de se, *qui est de terra, de terra est*; de Christo autem *qui de Cœlo venit, super omnes est.* Joan. 3. 31. Hic est ille, de quo Moyses Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus DEUS tuus: ipsum audies.* Quæ verba Petrus allegat Actor. 3. 22. explicátque de Propheta Christo: *Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus DEUS vester; de fratribus vestris, tanquam me; ipsum audietis juxta omnia, quæcunque locutus fuerit vobis.* Quæro quid singulare præseferret Vaticinium hæc de Domino, quod de gente, fratérque Judæorum, non secùs ac Moyses; nisi DEUS is verus simul futurus esset? quid magnum ceciniſſet Civitati suæ Sion prophetans David? *Homo natus est in ea*: nisi addidisset, & *ipse fundavit eam Altissimus*, qui natus est in ea. Nonne Prophetæ penè omnes de gente vestra & de fratribus vestris Judæi? Cur tantò antè támque solicitè præmoneri debebant, ut ipsum audirent? declaravit rem adveniente Domino, vox de Cœlo Patris: *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite.* Cæteri vox erant clamantis, *parate viam Domini*: Christus *Verbum DEI*, Christus *Via Veritas & Vita*, Christus Filius, ac Dominus.

§. VIII.
De Officio Judicis.

22. OCtavum postremúmque munus Christi subjicio, Judicis vivorum, & mortuorum. *Vocavit* primùm *servos suos, & tradidit illis bona sua: & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum.* Matth 25. *Vocatis decem servis suis dedit eis deeem mnas.* Luc. 19. *Exiit primò manè conducere operarios in vinem suam*; alios circa tertiam, alios circa sex-

tam, & nonam horam, demum alios circa undecimam mittens in vineam ſuam. Matth. 20. Negotiatione laboréque tranſacto, ponit rationem cum iis : mercedem laborantibus reddit, bonorum malorúmque Judex ; illos in gaudium ſuum, hos in tenebras mittit exteriores. Nonne qui miſit operarios in vineam ſuam, ab exordio mundi uſque ad finem ; qui talenta & mnas dedit ſervis ſuis, ut negotientur dum veniat ; Creator is noſter, Deúſque altiſſimus extitit ? at ille idem judicat, *jubétque vocari ſervos, quibus dedit pecuniam ; ut ſciret, quantum quiſque negotiatus eſſet. Poſt multum verò temporis, venit Dominus ſervorum illorum ; & poſuit rationem cum eis.* Quid poteſt eſſe certius ? Imò ne id Patri, excluſo Filio adſcribere ullomodo queas ; accipe verba Domini ſuper omne aurum & topazion pretioſa fidelibus. *Neque enim Pater judicat quemquam ; ſed omne judicium dedit Filio ; ut omnes honorificent Filium ; ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium ; non honorificat Patrem, qui miſit illum.* Joan. 5. 22. Nunquam ita mundo univerſo exhibita, vel exhibenda eſt gloria, & Dominatio Majeſtatis Divinæ ; ut in die illo magno judicii. Nullum opus à DEO prodire potuit Dominationi ſuæ declarandæ auguſtius ; quàm electos reprobóſque, tum Angelos tum homines in unum omnes locum coactos, judicare : vitam juſtis largiri æternam, iniquos mittere in ignem æternum. Ergò Judicium hoc, dominatum gloriámque ſuam maximam, alicui extra ſe dederit DEUS altiſſimus ? perſuadeat id ſibi ; qui DEO, qui Literis Divinis, qui lumini rationis abrenunciare voluerit : Orthodoxorum, prudentúmque certò ſibi nullus perſuadebit. Cur igitur quæres, dictum eſt? *Pater non judicat quemquam :* non ut exiſtimes, nos verè à Patre non judicandos ; non ab eo quoque in Cœlum bonos, in infernum malos mittendos : ſed ut credas, id à Filio etiam totáque Sanctiſſima Trinitate, in Perſona Filii carne veſtita eſſe faciendum ; nevè putes Filium

lium Judicis officio, DEO altiſſimo maximè proprio fungentem, Patris tantummodo Legatum in eo actu, ac Vicarium Patre inferiorem habendum : verùm ut eum Patri æqualem eſſe intelligas verbáque illa, *Ego & Pater unum ſumus*, pectori tuo imprimas altiùs. *Pater non judicat quemquam* ; hoc eſt Pater abſque Filio : Pater non judicat in forma Perſonæ ſuæ viſibili ; quæ ab iis qui judicandi ſunt videatur, & audiatur : ſed hoc omne ritûs externi judicium DEUS trinus & unus dedit Filo ; qui ſolus eſt DEUS homo factus, & à nobis viſu, auditúque uſurpandus : qui formam ſervi accipiens, Salvator eſt, Redemptórque noſter ; & conſequenter Dominus, ac Judex : qui meretur in eadem forma, in qua ſe tantoperè humiliavit, exaltari coram univerſo mundo congregato. Ideò infrà ſubditur ℣. 17. *Poteſtatem dedit ei judicium facere* ; *quia Filius hominis eſt*, ſive Incarnatus eſt. Dedit ei quà DEO poteſtatem hanc Pater ; quando primò & ab æterno illum genuit : dedit ſecundò quà homini ; quando illius humanitatem cum Deitate in unam Verbi Perſonam ineffabili modo colligavit. Cur porrò dedit hanc ei quà incarnato poteſtatem ? ut ne propterea quòd humiliaverit ſe ; quòd non homo ſolùm, ſed opprobrium hominum & abjectio plebis factus ſit ; minoris eum, quàm Patrem faceres ; ſed omnes honorificarent Filium, in forma etiam ſervi apparentem ; ſicut honorificant Patrem. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum* ; qui & genuit eum ante omnia ſecula, & noſtræ ſalutis causâ in tempore fecit illum hominem. Ut ne propterea, quòd lecturus eſſes de Domino vineæ, quòd cùm ſerò factum eſſet, dixerit Procuratori ſuo, *voca operarios & redde illis mercedem* ; Procuratorem hunc Chriſtum Deúmque Incarnatum, Dominô illô abſolutè inferiorem judicares ; ſed unum eundémque cum illo Dominum, prout erat ante Incarnationem ſui, & ab æterno ſemper.

INSTITUTIO VI.

Ex Attributis & Operibus Chriſti elucet vera ipſius Divinitas.

§. I.

De Attributis Domini.

1. NOn minori poſſunt hæc utraque nobis argumento eſſe ad Chriſtum confitendum, unum cum Patre DEUM; quam ea, quæ de Nominibus ejus Muniſque diſputavimus. Itaque primum Attributorum Divinorum, ponamus æternitatem: per quàm DEUS ita fuit ab æterno, ita erit in æternum; ut nunquam potuerit, poſſítque non eſſe; ut nec incipere potuerit, nec poſſit deſinere, illius exiſtentia: ut ejus duratio tempus omne quod cogitari poteſt, ex eſſentia ſua includat & excedat infinitè. Sicut creaturæ tempus; ita DEO æternitas eſt maximè propria. *Invocavit Abraham in Berſabee, nomen DEI æterni.* Gen. 21. 33. *Qui ſolus habet immortalitatem.* 1. Tim. 6. 16. Ubi S. Auguſt. lib. 1. de Trinit cap. 1. & S. Greg. accipiunt per immortalitatem, *immutabilitatem*: ſunt enim hæc duo Attributa Divina planè affinia. Æternitatem hanc Chriſto Filio DEI, Ariani veteres juxtà, Chriſtomachíq; recentiores, omnes quot ſcio, abjudicandum ſtatuerunt. Celebre olim erat illorum verbum: *erat quando non erat Filius.* Nos attributum æternitatis Filii æquè ac Patris proprium, quot, & quantis ſcripturarum teſtimoniis vindicare poſſumus? Inprimis nihil eſt adverſariis noſtris certiùs; quàm quòd DEUS Pater ſit æternus: ergò vel non fuit is ab æterno Pater, Patríſque denominationem, uti & Creatoris titulum cœpit in tempore tantùm habere, vel aliquem debuit habere Filium

ab

ab æterno. Quem illum ? nisi Unigenitum ſuum, qui eſt, fuítque ſemper in ſinu Patris : nec potuit non eſſe ; ſecùs enim & ille potuit non eſſe Pater. Patris nomen abſque Filio, & viciſſim, dari minimè poſſunt : vel igitur DEUM negate fuiſſe Patrem ; vel Filium ejus concedite ab omni ævo extitiſſe. Si verò quemadmodum Creator prædicari non potuit ante mundum conditum ; ita nec Pater ante Chriſtum ex Virgine natum : quomodo veri eſſe poterunt textus innumerabiles, quos de Filio DEI ante Virginem MARIAM exiſtente legimus in Bibliis?

2. Proverbior. 8. Sapientia Divina de ſe dicit : *ab æterno ordinata ſum.* quæ nequit ſapientia eſſe, ùt vocant eſſentialis ; ſive Patri, Filio, Spiritui Sancto, totíque Sanctiſſimæ Trinitati communis : ſed notionalis ſit oportet ac Perſonalis, ſive ſoli propria Filio : quia ſapientia illa eſſentialis non gignitur ; hæc autem mox de ſe ſubjungit : *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram. Ante colles ego parturiebar.* nequit etiam eſſe creata ; præmittit enim, *Dominus poſſedit me ab initio, antequàm quidquam faceret à principio* : quod pluribus deinceps phraſibus elegantiſſimis repetit. Præterea ipſa cum Patre ſuo creavit mundum ; nam addit, *cum eo eram cuncta componens &c.* Ergò neceſſariò eſt Sapientia genita & æterna ; ſeu Verbum, & Filius DEI Chriſtus : quem Paulus vocat 1. Cor. 1. 24. *Chriſtum DEI virtutem, & DEI ſapientiam*, cujus nomina ſunt apud Iſaiam. *Conſiliarius, Fortis, &c.* Senſerunt ictum hujus teſtimonii Antitrinitarii. Quare in diſp. Albana 2da. Franciſcus Dávid, & in diſp. 6ta. Blandrata, & & lib. 2. cap. 10. miniſtri conſentientes, reſponderuut librum Proverbiorum non eſſe Canonicum : at hæc eſt nimis craſſa ignorantia, ſubjicit Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 8. nam de libro Proverbiorum nemo unquam, ſeu Judæorum, ſeu Chriſtianorum dubitavit ; ùt patet ex prologo galeato Sancti Hieronymi : de ſapientia & Eccleſiaſtico, fuit aliquando controverſia.

3. Michææ 5. 2. celeberrimum eſt Chriſti vaticinium; quod ipſi quoque ſcribæ Judæorum de Chriſto ſunt interpretati Matth. 2. *Et tu Betlehem Ephrata parvulus es, in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſraël; & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Ubi Propheta duplicem Chriſto nativitatem tribuit: alteram nobis cognitam, è Virgine MARIA in Betlehem; alteram inviſibilem, ex DEO Patre, *ab initio à diebus æternitatis.* Franciſcus Dávid in diſp. 3tia conatus eſt per dies æternitatis accipere 6. dies quibus creatus eſt mundus; & interpretari, tunc primùm egreſſum Chriſtum, quia facta eſt Adamo promiſſio illius à DEO. Sed hæc ſunt ſomnia ridicula; nam omnes, ùt Hieronymus, Theodoretus, Rupertus &c. & etiam ipſe Vatablus, cui multum tribuunt adverſarii, exponunt de Chriſti æterna generatione. Mundus quoque fuit à DEO ab æterno cognitus ac decretus; neque tamen egreſſus ejus propterea eſt æternus. Egreſſus Chriſti ex Betlehem, non promiſſus hîc, at verus realiſque futurus intelligitur; egreſſus ejus in re ac veritate dicendus, à diebus non primis ſex, quibus mundum DEUS condidit, ſed *æternitatis*: de utroque Michæas vocabulis iiſdem, tam in hebraico quàm latino textu loquitur.

4. Joannis Evangeliſtæ initium myſterii pleniſſimum, æternitatem Chriſti perſpicuè declarat. *In principio erat Verbum*: hoc eſt ab æterno generabatur, ac dicebatur; nec unquam cœpit, ſed ſemper erat Verbum. Principium mundi, ſeu operum DEI externorum, fuit in tempore; principium Verbi, & operationum internarum DEI, eſt æternitas omnis. Quibus verbis, quæ ſeqvuntur, ſi adjungas; non poſſunt evadere ullô modô, vel aliò torquere fulmen Evangelicum Chriſtomachi. *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſinè ipſo factum eſt nihil. Et mundus per ipſum factus eſt*: id eſt per Verbum.

5. Joan.

5. Joannis ejuſdem cap. 8vo. in fine, cùm objicerent Judæi Domino: *Quinquaginta annos nondum habes; & Abraham vidiſti? Dixit eis JESUS: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Fuit igitur ante MARIAM Virginem; ubi, & quando cœpit eſſe? ubi deſiit? ſiquidem homo ille qui loquebatur, nondum erat annorum 50.? Fuit ajunt in figuris ſuis, & promiſſionibus. At in illis videre non potuit Abraham; quem tamen innuit reſponſo ſuo ſe vidiſſe: at hoc modo & Virgo MARIA, promiſſa pariter & præfigurata, vidit illum. Atque adverte, non dici, antequam Abraham fieret, *ego fui*; ſed ego ſum: quid eſt hoc, *ego ſum? Ego ſum qui ſum*, nomen DEI maximum eſt. Exod. 3. ergo cùm ait, *antequam Abraham fieret, ego ſum*, intelligit non humanam, ſed naturam ſuam divinam, & æternitatem; quæ ſemper eſt præſens, tempore omni præterito, futuróque carens, & immutabilis. Ita SS. PP. Pulcherrimè inſuper obſervat Auguſtinus tract. 43. in Joan. non dictum à Chriſto, *antequam Abraham fieret ego factus ſum*; vel, *antequam Abraham eſſet ego ſum*: quia fieri, vel factum eſſe, denotat creaturam; eſſe, ſi de præſenti ſimul ac præterito accipiatur, denotat DEUM: atque ita ſubjungit: *Agnoſcite creaturam*, ſcilicet Abrahamum; *diſcernite Creatorem*, ſcilicet Chriſtum DEUM. Judæi audito verbô iſtô: *tulerunt ergò lapides, ut jacerent in eum*: tanquàm blaſphemum juxta legem Levit. 24. qui ſe DEUM dixiſſet. Utrùm illi, an adverſarii noſtri deteriores? hi profectò vel rudiores, vel nequiores: rudiores; ſi non intelligant prædicari à Chriſto ſuam in eo reſponſo Divinitatem: nequiores; ſi nihilominus, ne illum pro DEO vero recipere debeant, ipſius verba flectant in alium, qui nulli ſanæ menti occurrere potuiſſet, ſenſum.

6. Sunt præterea innumera ejuſmodi documenta, de quibus egi, & agam; quæ oſtendunt Chriſtum extitiſſe ante Matrem ſuam, quoad Divinam nempe naturam ſuam:

ſuam: quæ docent eſſe illum DEUM Incarnatum, DEUM qui regebat Iſraëlem, DEUM qui loquebatur per Prophetas, DEUM Creatorem Cœli, ac terræ &c. quæ omnia luculentum æternitati ejus præbent teſtimonium. Orans ante Paſſionem ſuam ad Patrem Joan. 17. 5. *Clarifica* inquit *me tu Pater apud temetipſum, claritate quam habui, priuſquam mundus eſſet apud te.* Phraſis hæc, *priuſquam mundus eſſet*, vel *ante mundi conſtitutionem*, in ſcriptura ſignificat æternitatem. Paulus ad Hebr. 7. de Melchiſedech Rege Salem, & Sacerdote DEI ſummi prædicat ſequentia: *Sinè Patre, ſinè Matre, ſinè genealogia: neque initium dierum, neque finem vitæ habens*: quæ ad literam idem indicant, ac ſi diceretur: Melchiſedechi nec Pater, nec Mater, nec genealogia, nec nativitas, nec mors narratur in Libris Divinis; uti aliorum plurimorum: ſubjungit enim *℣. 6. cujus generatio non annumeratur.* Allegoricè porrò & in veritate, ſunt hæc expleta in Chriſto; cujus typus erat Melchiſedech. Chriſtus ἀπάτωρ, ſinè Patre in terris; ἀμήτωρ, ſinè Matre in Cœlis: *ſinè genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, quà DEUS æternus: ideò ſequitur, *aſſimilatus autem Filio DEI, manet Sacerdos in perpetuum.* Ergò Melchiſedech Chriſti figura & exemplar factus, veram ipſius æternitatem docente Apoſtolo repræſentavit. Ita veteres & Orthodoxi PP. Ad hæc idem S. Paulus Hebr. 13. 8. ait: *JESUS Chriſtus heri, & hodie; ipſe & in ſæcula*: id eſt ſemper fuit, ſemper eſt, ſemper erit: *Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt*, quoties de Chriſto repetitur Apoc. 1. Apoc. 4. Apoc. 11.? Poſtremò ſcriptum eſt 1. Joan. 5. 20. *Scimus quoniam Filius DEI venit. Hic eſt verus DEUS & vita æterna.*

7. Secundum Attributum DEI eſt Immenſitas. Semper eſſe, & eſſe ubique, eſt eſſe DEUM. *Nunquid non Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Jer. 23. 24. At Chriſtus DEI Filius eſt immenſus, teſte Spiritu Sancto Baruch c. 3. ℣. 4. & ſeqv. *O Iſraël quàm magna eſt Domus DEI, & ingens*

gens locus poſſeſſionis ejus. Magnus eſt & non habet finem excelſus & immenſus. Ubi Theodoretus in commentario, notat Prophetam non de loco materiali DEI profatum iſta; qui finitus, neque immenſus eſt: ſed de ſpirituali, qui DEUS eſt ipſe. Unde Auguſt. adverſus Arianos, hinc Filium DEI concludit eſſe immenſum, l. 3. cont. Maxim. cap. ult. Si enim Cœlum mundúſque ſive locus & poſſeſſio DEI tanta eſt, ac penè immenſa; quantus, & quàm verè immenſus debet eſſe mundi Conditor ac Dominus? Jam verò quòd Filium DEI Creatorem illum & immenſum intelligat Baruch; certiſſimum eſt ex fine capitis ejuſdem: *Hic eſt DEUS noſter; & non æſtimabitur alius adverſus eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ; & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Quod porrò confirmo teſte Chriſto Domino Joan. 3. 13. *Nemo aſcendit in Cœlum; niſi qui deſcendit de Cœlo Filius hominis, qui eſt in Cœlo.* Si quando loquebatur in terra Nicodemo, erat ſimul in Cœlo; certò naturam debuit habere aliam præter humanam, nempe Divinam, quæ Cœlum ſimul terrámque implevit. Teſte denique Domino eodem Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in Nomine meo; ibi ſum in medio eorum.* In Nomine Chriſti congregati ſunt Sancti ubique, in Cœlo ac terra: is igitur eſt ubique ipſis præſens. Eſſe in medio eorum ille, qui eſt abſens, quâ divini ſermonis veritate aſſeri poteſt?

8. Tertium Attributum eſt Omnipotentia ſæpiùs de Chriſto prædicata expreſsè in locis Apocalypſeos modò memoratis. Apoc. 1. 8. *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus DEUS; qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, Omnipotens.* Apoc. 4. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Omnipotens! qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Apoc. 11. 17. *Gratias agimus tibi Domine Deus Omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: qui accepiſti virtutem tuam magnam, & regnâſti.* Elucet manifeſtiſſimè Omnipotentia Chriſti, ex eo; quòd mundum

dum is æquè ac Pater creaverit : de quo paulò poſt. Objiciebant nobis olim Ariani verba illa Domini Joan. 5. 19. *Amen amen dico vobis : non poteſt Filius à ſe facere quidquam ; nisì quod viderit Patrem facientem : quæcunque enim ille fecerit ; hæc & Filius ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium ; & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit : & majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini &c.* Reſpondit iis Gregor. Nazian. or. 4. de Theologia, & Ambroſ. lib. 4. de Filio cap. 3. Nihil verbis his ſignificari aliud; quàm Filium non eſſe perſonam ingenitam, ùt eſt Pater : ſed à Patris perſona ortam, genitámque ab æterno : proinde potentiam, ſapientiam &c. Filii, eſſe à Patre, & eandem eſſe quæ Patris eſt : ideò ſubjungit : *quæcunque ille fecerit ; hæc & Filius ſimiliter facit.* Quomodo quæſo de pura creatura verum id eſſe poſſet? Neque dicit : non poteſt Filius facere quidquam nisì Pater jubeat, aut juvet ; ſed nisì viderit Patrem facientem : una enim eſt & eadem utriuſque, omniúmque trium Perſonarum divinarum potentia, ſcientia, voluntas, eſſentia. Dicitur Pater Filio demonſtrare opera, quæ facit ; ſed non docendo eum, nec humanô modô : ut prius extiterit, quàm ſcientiâ, viribúſque dotatus fuerit Filius ; ſive quàm à Patre ſuo perfectiones has acceperit : verùm modô diviniſſimô, id eſt per generationem ſui æternam. DEO quippe idem eſt ſcire poſſéque, ac eſſe ; proinde idem eſt Filio DEI ſcientiam potentiámque, ac eſſentiam ſuam à Patre accipere : ſive DEUM de DEO eſſe, Lumen de lumine. Loquitur Dominus anthropophatos ùt ajunt græci, ſive more hominum, atque ùt homines de Patre ac Filio ſuo loqui ſolent : accommodatè Judæis, & terreis, & captioſis, & arrogantibus ; ita nihilominus, ut ſe DEUM à Patre DEO eſſe ſatis indicet. Auguſtinus obſervat acutè : Non inquit, cùm Pater fecerit, alia Filius ſimiliter facit ; ſed quæcunque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit : ſunt etenim ùt perfectiones ; ita opera extrinſeca

trinseca eadem omninò utriusque. Non potest Filius à se facere quidquam : *non ob potentiæ defectum inquit Euthymius ; sed propter inseparabilitatem : nam impossibile est Filium facere quidquam ; quod non facit Pater.* In hac propositione, *nisi quod viderit Patrem facientem*, particula *nisi*, non est exceptiva, sed adversativa, ùt notant Interpretes ; quasi diceretur ; sed tantùm quæ facit Pater opera, eadem numerô à Filio quoque fieri. Judæis Christus hoc suô responsô perbellè ostendit : si se culparent, quòd ægrotum ad piscinam Probaticam Sabbato prodigiosè sanâsset ; Patrem suum quoque culpandum esse. *Pater omnia demonstrat ei, quæ ipse facit ; & majora his demonstrabit ei opera : non sicut præceptor discipulo* ait Euthymius, sed sicut DEUS Pater, DEO Filio. Demonstrare igitur hîc idem valet, ac dare & communicare ; quia Filius ceu Patris Verbum, per demonstrationem, seu visionem & intellectum ejus procedit. Demonstrat, hoc est dat omnia Filio, non ex libera dilectione Filii ; sed naturali, & ex fœcunditate naturæ divinæ. Apud homines, quod unus det quidpiam & communicet cum alio, signum est dilectionis. ideò inquit *Pater diligit Filium & omnia demonstrat ei.* Athanasius lib. 1. cont: Arianos Elegantissimè : *Dedit Filio Pater Omnipotens, omnipotentiam Omnipotenti, Majestatem Majestati, Virtutem dedit Virtuti, prudentiam dedit prudenti, præscientiam præscienti, æternitatem æternitati, Divinitatem Divinitati, æqualitatem æqualitati, immortalitatem immortalitati, inviſibilitatem inviſibilitati, Regi regnum, vitam vitæ : & non aliam ab ea, quam habet dedit ; & quantam habet, tantam dedit.* Capis hæc ? si non capis, crede : si credere vis, scrutare docilis & humilis, ùt oportet ; & quàntum satis est, certò capies.

9. Quartum est Sapientia : quæ Filio tam propriè tribuitur ; ut soli ei passim approprietur : quomodo Patri Omnipotentia, bonitas Spiritui Sancto. *Christum DEI sapientiam* 1. Cor. 1. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscon-*

diti

ſconditi Coloſſ. 2. 3. abſconditi ait, *quia mundus eum non cognovit.* Joan. 1. Præmiſerat Paulus, *in agnitionem Myſterii DEI Patris, & Chriſti JESU*: id eſt horum duorum Myſteriorum Diviniſſimorum, imò. *DEI Patris*; ſive Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: vel DEI ùt erat in ſe ab æterno, trinus, & unus: quælibet certè trium harum Perſonarum omnes tres repræſentat. 2dò. *Chriſti JESU*, id eſt DEI ejuſdem, ùt eſt in tempore Incarnatus, & mortuus, & glorificatus. Libri Salomonis Chriſtum Sapientiam Divinam enarrant copioſiſſimè. Alia ſcriptorum ſacrorum teſtimonia non repeto; accipe unicam Domini ad incredulos Judæos orationem Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & terræ! quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus; & revelâſti ea parvulis. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Attende quemadmodum æquet ſe in ſcientia Patri ſuo; æquet in dominatu, liberóque jure Patrem creaturis revelandi: neque dicit, cui Pater mandaverit revelari per Filium; ſed cui voluerit Filius revelare. *Aliud eſt* inquit Hieronymus, *naturæ æqualitate nôſſe, quod noveris; aliud revelantis dignatione. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, dictum eſt ab eo in carne mortali; ùt & illud Joan. 13. 3. *ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus*: peſſimè igitur interpretaris, verbum illud ipſius, quod poſt reſurrectionem Matth. ult. profatus eſt; *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra*: quaſi à morte primùm poteſtatem eam obtinuerit.

10. Objicunt Apoſtolum Rom. 16. in fine ſcribentem: *Soli ſapienti DEO per JESUM Chriſtum, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen*: ubi ajunt ab Auguſtino dici, additum hebræorum more in latino, pronomen *cui*; quod in græco & Syro non habeatur: ſic proinde legendum: *ſoli ſapienti DEO* per JESUM Chriſtum honor & gloria. Ergò inquiunt

ſoli

ſoli ſapienti DEO, ad Patrem, & non ad Filium refertur; ſiquidem ſubjungitur, *per JESUM Chriſtum*. Reſpondit optimè Auguſtin. lib. 3. contra Maximin. cap. 13. *ſoli ſapienti DEO* de tota Sanctiſſima Trinitate aſſeri; cui per humanam Chriſti naturam honor omnis defertur. Chriſtus ùt DEUS recipit honorem pariter, ac Pater & Spiritus Sanctus; ùt homo, detulit eum præ omnibus, & in omnibus toti Trinitati divinæ: annunciando eam, & baptizandas curando gentes omnes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Solus abſque omni dubio per eſſentiam ſuam DEUS eſt ſapiens; creaturæ non nisì per participationem, & revelationem DEI potuerunt ſapientiam hanc, viámque ſalutis intelligere: quod DEUS trinus & unus per Chriſtum hominem ineffabili modo perfecit; decernendo & efficiendo Incarnationem Verbi. Chriſti humanitas uncta eſt Spiritu Sapientiæ, doníſque aliis Cœleſtibus, per unionem cum Verbo, & eorundem donorum infuſionem.

11. Quintum eſt bonitas: quæ DEI utì fontis omnis boni, eſt unius propria; & qui per eſſentiam ſuam bonus eſt. Talis eſt Patris Sapientia Filius DEI; de quo lib. Sapient. cap. 7. inter cætera: *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia; attingit autem ubique propter ſuam munditiam: vapor eſt enim virtutis DEI, & emanatio quædam eſt claritatis, Omnipotentis DEI ſincera; & ideò nihil inquinatum in eam incurrit: Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſinè macula DEI Majeſtatis; & imago bonitatis illius: & cùm ſit una, omnia poteſt &c.* Quæ non tantùm de ſapientia eſſentiali, & communi toti Sanctiſſimæ Trinitati; ſed de perſonali etiam, ſeu de Verbo æterno interpretantur communiſſimè SS. PP. dicit quippe illud ipſum Verbum, & ſapientia illa de ſe Eccl. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Ne plura, Chriſtus ipſe de hac ſua bonitate divina teſtimonium tulit luculentum Luc. 18. & Matth. 19. *Interrogavit eum quidam*

Princeps dicens: *Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? Dixit autem ei JESUS*: *quid me dicis bonum? nemo bonus nisi ſolus DEUS.* Audent hunc nobis objicere textum adverſarii; quaſi eo Dominus ſe non eſſe DEUM confeſſus fuiſſet. O cæci, & tardi corde ad credendum! Chriſtus ſe bonum eſſe profeſſus eſt ſæpiùs apertiſſimè: *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* Joan. 10. 11. Rursùs infrà: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas &c.* Matth. etiam 20. 15. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Cur igitur hîc reprehendit eum, à quo Magiſter bonus vocatus eſt? quia nondum credebat is, ipſum eſſe DEUM; ſed unum ex Rabbinis, aut Prophetis: volens proinde quàm bonus ſit, declarare; ſuámque Divinitatem hominibus in omni occaſione inſtillare, ſubjungit: *Nemo bonus nisi ſolus DEUS.* Matthæus habet: *Magiſter bone quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? qui dixit ei: quid me interrogas de bono? unus eſt bonus, DEUS.* Sit, aut non ſit eadem hæc apud Matthæum, atque apud Lucam narratio; reſponſum Chriſti utrobique ſignificat, quaſi diceret: ſi me vocas bonum, utì ſum; DEUM eſſe crede: nemo enim per ſe bonus, nisi ſolus DEUS. Ita Baſilius lib. 4. in Eunomium. Ambroſ. lib. 2. de Fide cap. 1. Hieron. & Chryſoſt. in Matthæum. Theophylactus, Euthymius, &c.

12. Sextum eſt inviſibilitas. Nam etſi Angeli nobis ſint inviſibiles; non ſunt tamen inviſibiles ſimpliciter: cùm ipſi ſe invicem videant; neque DEO poſſint eſſe abſconditi. *Regi ſæculorum immortali inviſibili, ſoli DEO honor & gloria in ſæcula ſæculorum.* 1. Timoth. 1. 17. *Qui ſolus habet immortalitatem; & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit; ſed nec videre poteſt.* 1. Tim. 6. 16. At Filius æquè ac Pater inviſibilis eſt ſimpliciter; ùt ipſe de ſe fatetur perſpicuè: *Nemo novit Filium, nisi Pater; nec Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Matth. 11. de quo textu paulò

antè

antè plura diximus. Vocatur ille, *imago DEI invisibilis* Coloss. 1. 15. ubi licèt *invisibilis*, sit in genitivo casu, ùt ex græco liquet; si tamen imago est ejus qui est invisibilis, sit & ipse necessè est invisibilis: cùm sit imago naturalis & perfectissima, DEÚMque repræsentans quà invisibilem; propterea postquam dixit *imago DEI*, addit invisibilis. Vis aliquid expressiùs: *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse; & vocatur nomen ejus, Verbum DEI.* Apoc. 19. ℣. 12. 13. Ergò Verbum DEI nemo novit, nisi Filius ipse; ac per consequens Pater, & Spiritus Sanctus.

13. Septimum, maximúmq; Attributorum DEI Altissimi propriorum afferamus; quòd nimirum sit Majestas à creaturis omnibus adoranda. Christo id absolutè competere Christianis est indubium. Probo tribus argumentis. Primum est ex Apostolo Hebr. 1. 6. *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli DEI.* Citatur hîc à Paulo psalmus 96. *Dominus regnavit*: ubi Majestas Christi ad Judicium venturi describitur. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia; & qui gloriantur in simulacris suis. Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit & lætata est Sion.* ℣. 7. & 8. Mandari porrò Angelis adoratione illâ, cultum latriæ summum solíque DEO debitum, patet indè, quòd opponatur is cultui, quem impendebant Ethnici sculptilibus. Versu etiam 9. subditur: *Quoniam tu Dominus altissimus, super omnem terram nimis exaltatus es super omnes Deos.* Si neges hæc de Christo à Psalmodo esse cantata; & contradicis Apostolo, & vim infers carminibus sanctissimis, Regii Psaltis. Plura possent proferri similia, ex eodem Vate. Secundum est: Christus habet templum suum; quod pariter latriæ proprium est. *Ecce ego mitto Angelum meum; & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos vultis.* Malach. 3. 1. Angelum præparantem viam ante faciem DEI, esse Joannem Baptistam, præcursorem Domini,

ex Evangeliſtis jam ſæpius audiviſti: venit poſtea prædicans, docénſque in templo : ſed illud erat verè DEI unius altiſſimi templum : ergò ſi venit Dominus tunc ad templum ſuum ; debuit is neceſſariò DEUS eſſe altiſſimus.

Tertiò, Invocationem abſentis cenſent adverſarii eſſe cultum itidem latriæ : in quo illi, ſi quis ita invocetur abſens ; ut virtute ſuâ propriâ & non alienâ nos juvet, haud errant. De Chriſto quòd invocetur, tanquam DEUS verus à Chriſtianis ; quis, cui nomen Chriſti & Chriſtianorum auditum eſt neſcit ? Audi Myſteria : *Quodcunque petieritis Patrem in Nomine meo ; hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in Nomine meo ; hoc faciam.* Joan. 14. 13. O mirabilem orationem ! ſi Patrem quid petieritis ; ego hoc faciam : cur non ſubjecit, Pater hoc faciet ? putásne, quòd dum rogatur Pater ; mandat is Filio, tanquam Procuratori & œconomo ſuo, ut rem petitam exequatur, votíſque noſtris ſatisfaciat ? Ergò DEUS, *qui pluit ſuper juſtos & injuſtos*, ſi eum in Nomine Chriſti pluviam rogaverimus ; non è DEI ſed puræ alicujus manu creaturæ, qualem vos Chriſtum facitis, eandem accipiemus ? *Si quis veſtrûm indiget ſapientiâ ; poſtulet à DEO : qui dat omnibus affluenter.* Jac. 1. 5. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Jac. 1. 17. Non eget DEUS alio donorum à ſe petitorum exſequutore, quàm ſe ipſo. *Si quid petieritis Patrem*, inquit primò ; iterum, *ſi quid petieritis me* : utrobique adjungit, *hoc faciam :* nonnè luce clariùs indicat, ſe ac Patrem, unum eundémque DEUM eſſe ? juxta illud, *Ego & Pater unum ſumus* : idem eſſe rogare Patrem, ac rogare Filium ? idem eſſe, Filius hoc faciet, & hoc faciet Pater ? quando petis à Patre, petis à Filio ; quando facit, quod petitur, Filius, facit Pater. A Chriſto iſthic Divinitatem ſuam eſſe manifeſtatam, tradit Cyrillus, & reliqui Sanctorum, Doctorúmque interpretum. Idem Chriſtus qui

dixit

dixit hæc Joan. 14. paulò poſt apud eundem Joan. 16. 23. *Si quid* ait, *petieritis Patrem in Nomine meo dabit vobis.* En priùs dixit, *hoc faciam*; nunc inquit, Pater *dabit vobis.* Quæres, cur addit ubique *In Nomine meo*? ut intelligas Nomen & merita Chriſti hominis, humiliantis ſe, atque obedientis uſque ad mortem crucis, infiniti valoris eſſe ad impetrandum à Patre, Filio, Spiritu Sancto, quidquid petis. At quid eſt inquis, quòd apud Joannem citatum cap. 16. præmiſit antè, *in illo die me non rogabitis quidquam*; quàm ſubjunxerit: *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis?* Hæc eſſe dico verba Domini conſolantis ante mortem ſuam diſcipulos: quaſi diceret: Nolite triſtari, quamvis à vobis moriendo, atque in Cœlos aſcendendo abiturus ſim: non relinquam vos orphanos: relinquo vobis Nomen meum; hoc allegato, apud Patrem, paritérque Filium, ac Spiritum Sanctum, omnia obtinebitis. Non erit opus ut me viſibilem præſentémque vobis in corpore, uti nunc ſum, rogetis; ſive interrogando, ſive poſtulando: ſcietis enim in illo die & conſequemini quæ vobis neceſſaria ſunt, omnia, ſinè meæ viſibili præſentia; Nomen meum interponentes apud Patrem, Spiritúmque Sanctum. Oſtendit Nominis ſui virtutem inquit Chryſoſtomus. Hâc invocatione Chriſti & Nominis ejus, quid rogo eſt in libris evangelicis ſolennius? qui eam ulli extra DEUM verum tribui poſſe credit; ô quantùm inſanit! *Omnis quicunque invocaverit Nomen Domini, ſalvus erit.* Rom. 10. 13. quæ verba Doctor gentium accepit ex Joël. 2. 32. ubi Propheta etiam non ſecùs ac Paulus, de Chriſto Salvatore locutus eſt: Eadem Prophetæ ſententia Chriſto Domino applicatur Actor. 2. 21. Ananias in viſu ſibi apparenti Domino de Saulo dicebat: *Hic habet poteſtatem alligandi omnes, qui invocant Nomen tuum.* Actor. 9. *Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine JESU ſuſcipe ſpiritum meum!* Actor. 7. 58. Riſu digniſſima fuit Franciſci Dá-

vid in disputationibus Albanis ad hoc testimonium responsio: à Stephano ajebat invocatum Patrem, qui est Dominus Christi JESU; quare JESU esse in genitivo casu & non in vocativo. At ubi ô Christomachorum impudentissimè! legis in scriptura *Domine JESU*, ita; ut Dominus sit in vocandi, JESUS autem in gignendi casu? *Veni Domine JESU* legimus in fine Apocalypseos; sed utroque nomine in casu vocandi posito. Nonnè Stephanus cœlum videns appertum Jesúmque stantem à Dextris DEI, quem vidit, invocavit, exclamans? *Domine JESU accipe spiritum meum.* Quoties Apostolus in principio epistolarum, ita suos salutat? *Gratia vobis & pax à DEO Patre nostro, & Domino JESU Christo?* sic habet 1. Cor. 1. 3. & ferè semper aliàs. Huic etiam respondere ausi sunt textui, voces illas, *& Domino JESU Christo*, in genitivo ponendas; eò quòd in græco sit ambiguum: siquidem præpositio παρὰ, quæ præmittitur, genitivum casum exigit: proinde posse ita verti: gratia vobis & pax à DEO Patre nostro, & Patre Domini JESU Christi. O infames Bibliorum interpretes! quis vobiscum sanæ mentis, hæc ita vertit? accipite Sancti Joannis epistolam, quæ nitidissimè declarat hanc vestrorum phantasmatum amphibologiam 2. Joan. 3. *Sit vobiscum gratia, Misericordia, pax à DEO Patre; & à Christo JESU Filio Patris.*

14. Demum operæ pretium est observare, ab omnibus penè fuisse prædictum Prophetis; exterminandam post Adventum Messiæ Idololatriam, quæ ante illum ubique in orbe terrarum regnabat. *Notus in Judæa DEUS* Psal. 75. singulare temporibus iis hoc Judæorum erat elogium; veniente Domino, Gentes omnes sunt in ejus Nomine ad DEUM conversæ: sed hæ, totáque Christi Ecclesia in toto orbe coluit latriâ, templis, aris, invocationibus, diebus festis, martyriis innumeris pro ejus Nomine obitis Christum Dominum: ergo vel Christus est verus DEUS, cultúque isto sum-

ſummo, quem Pater nunquam in veteri Teſtamento adeò univerſalem habuit, terris in omnibus digniſſimus; vel omnes Prophetæ turpiſſimè decepti ſunt: quoniam ſi non eſt ille verus DEUS; nunquam fuit idolum in mundo tam inſigne, nec unquam magis viguit idololatria, quàm in Chriſto poſt ejus adventum, in illius adoratione cultúque inenarrabili, vel maximè à temporibus Conſtantini Magni. Et tamen clamat Spiritus Sanctus Iſa. cap. 2. toto, inter cætera ℣. 17. 18. *Elevabitur Dominus ſolus in die illa; & idola penitus conterentur.* Zachariæ cap. 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem; & in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. Et erit in die illa dicit Dominus exercituum: diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultrà &c.* Tandem poſt alia multa de Chriſto, ita concludit: Dicam, *populus meus es*; & ipſe dicet, *Dominus DEUS meus.* Legatur Iſai. cap. 31. Ezech. 6. item cap. 30. Oſe. 10. Mich. 1. &c. Hoc argumentum pro divinitate Chriſti eſt omninò inconcuſſum & evidens. Reſpondent quidem miniſtri conſentientes lib. 2. cap. 4. & Franciſcus Dávid diſp. 3. Blandrata diſp. 4. & 6. admittentes Chriſtum adorandum eſſe; ſed tantummodò quia DEUS Pater id juſſit, & quia in ſe habuit Divinitatem habitantem, quæ ſola eſt adoranda: utrumque planè inſulsè: quomodo enim id jubere DEUS potuit, qui per Moyſem mandavit Deut. 6. 13. & per Chriſtum reſpondit diabolo Matth. 4. 10. *Scriptum eſt, Dominum DEUM tuum adorabis, & illi ſoli ſervies:* qui dixit, *Gloriam meam alteri non dabo.* Quomodo eô unô titulô, quòd habitet in Chriſto DEUS, ille ſit adorandus? taliter profectò & Angeli & Sancti omnes, imò mundus totus, & ipſe diabolus erit adorandus.

15. His argumentis convictus Franciſcus Dávid, etſi antea docuerit Chriſtum eſſe DEUM, ſed Patre minorem; adorandum ſed cultu pariter minore: poſtea tamen mutavit ſententiam; profeſſus, non eſſe illum vocandum DEUM,

nec adorandum, nec invocandum, ſecedens quoad hoc à Blandrata, cæteríſque ſuis in Tranſylvania, & Polonia Symmiſtis: ùt liquet ex libro ejus contra Fauſtum. Quid enim inquiebat, ſi Chriſtus divino cultu adorandus eſt, & invocandus ùt DEUS; nonnè ſequitur neceſſariò, ut cum Papiſtis dicamus eum, cum Patre unum DEUM eſſe, Trinitatémque reſtituamus tantis à nobis impugnatam moliminibus? ſi Chriſtum, qui non ſit verus DEUS, invocemus; cur non & Spiritum Sanctum? imò & MARIAM, & Angelos, ac Sanctos? cur igitur Papiſtas hactenus hoc nomine, idololatriæ accuſavimus? Diſſidium iſtud Franciſci à reliquis, magna extitit veritatis Catholicæ illuſtratio. Næ ille cum ſequacibus ſuis, contra Blandratam, Fauſtum, reliquóſque inſuperabilis: multóque fuit conſequentiùs hæreſi ſuæ principali; at majore cum blaſphemia locutus: propterea etiam omnium miſerrimè periit. Si nihilominus roges, cur nos Papiſtæ MARIAM quoque ac Sanctos invocemus; ſi DEI proprium eſt invocari? Reſpondeo breviter, à nobis in MARIA Virgine Sanctíſque, non invocari alium, præterquam Chriſtum, cujus unius virtus eſt in iis, & quâ ſolâ poſſunt tanquam interceſſores apud illum, nos juvare: Chriſti autem Filii DEI virtus eſt, propria ipſius, æquè ac Patris: quare invocatur ille jure ac Majeſtate eâdem, quâ Pater. Invocari minore communíque aliqua ratione ac veneratione, poſſunt etiam mortales; ut nos pro viribus ſuis à DEO conceſſis juvent: quantò magis Cælites?

§. II.

De Operibus Chriſti.

16. QUinque opera Domini, quæ unius DEI altiſſimi ſunt, producemus: Salvare hominem, prænoſcere occulta, miracula patrare, creare, conſervare mundum.

Quid

Quid his quinque DEO ſoli magis proprium? Primò Salvatorem mundi Adæ peccato perditi, eſſe Chriſtum, tam indubitatum eſt Chriſtianis; quàm DEUM eſſe Creatorem: neque opus eſt repetere, quæ de hoc ejus munere, nominéque JESU ſuprà diſſeruimus. Opus hoc ſalvandi Prophetæ paſſim DEO uni attribuunt. Iſaiæ 43. caput totum eſt lectu digniſſimum ℣. 11. *Ego ſum, ego ſum Dominus!* & *non eſt abſque me Salvator.* ℣. 25. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me &c.* Apud eundem cap. 45. de Chriſto per totum loquentem: ℣. 21. *DEUS juſtus altiſſimus, & ſalvans, non eſt præter me.* Oſee 13. ℣. 4. *Ego Dominus DEUS tuus, & Salvator non eſt præter me.* Quomodo concordabunt iſta cum libris Evangelicis; niſi Chriſtum credas illum ipſum DEUM eſſe, qui Nomen Salvatoris in veteri Teſtamento gerebat, præterquem nequit alius ullus nos ſalvare? An verò Pater ex Ægypto Iſraëlem; Filius uti dicitis eo minor, genus humanum univerſum ex inferno ſalvaverit? Percuſſerit Saul mille, & David decem millia? Dices Chriſtum non ſuâ propriâ, ſed miſſione virtutéque Patris, ùt miniſtrum hujus nos ſalvâſſe? reſpondebit tibi Paulus Hebr. 1. 3. inquiens: *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, per ſemetipſum purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis.* Omittitur quidem *τὸ per ſemetipſum* in latino; eſt tamen in græco ſive in fonte: notátque Chryſoſtomus ſignificari per id immenſam Chriſti charitatem erga nos; quòd non tantùm expiârit, ſed per ſemetipſum expiârit peccata noſtra. Ibidem Apoſtolus Chriſtum Angelis tantò præfert, quantò Dominum ſervis: non eſt ergo is miniſter duntaxat DEI, ùt Angeli: *qui, nonnè omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Hebr. 1. 14. Apoſtoli ſe Chriſti miniſtros, non comminiſtros vocabant; ùt Angeli eoſdem appellabant conſervos ſuos: *Sic nos exiſtimet homo, ùt Miniſtros Chriſti* 1. Corinth. 4. Cu-

jus in Nomine baptizabant, peccata remittebant, miracula faciebant &c. Isaias cap. 35. 4. non dixit Legatus aut minister DEI, sed DEUS *ipse veniet, & salvabit vos.* De Christo scriptum est: *non est in alio aliquo salus: nec enim nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Actor. 4. 12. Pater igitur, in quo citra omne dubium est salus; non est alius aliquis; non aliud nomen est, quàm Christus Filius: non alius DEUS, alia virtus, alia sapientia, Majestas alia divina.

17. Secundò cognitionem secretorum cordis, præscientiam & prædictionem futurorum, DEI unius esse propriam, sapientes omnes, Spiritúsque Sanctus testatur. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum; & sciemus quia Dii estis vos.* Isa. 41. 23. Salomon in longa illa sua oratione ad DEUM: *Tu nôsti solus, cor omnium filiorum hominum* 3. Reg. 8. 39. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Jer. 17. 9. Atqui Christum futurorum præscium noscentem cor omnium, scrutatorem cordium, prædicat eodem modô totum Evangelium: Joan. 13. 19. Judæ cùm prædixisset proditionem subjicit: *Amodò dico vobis, priusquàm fiat; ut cùm factum fuerit, credatis, quia ego sum.* quid est quod ait, ut sciatis quia ego sum? hoc est, ut credatis quia ego sum præsciens futura, cordáque intuens Filius DEI & non purus homo. Apoc. 2. 23. *Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes, & probans corda; & dabo unicuique vestrûm, secundùm opera sua:* quæ ibi loquens Persona, negare nequis, quin sit Christus. Unde ineptissimè objicis, Prophetas quoque prædixisse futura; viros Sanctos cogitationes hominum introspexisse: isti enim ex singulari DEI, Christíque revelatione, donum illud acceperunt; Christus habuit ex natura sua. Prophetarum summus Moyses, erat in domo ùt famulus; Christus ùt Dominus: Prophetæ ùt servi; Christus ùt Filius. Quis alius? & quæ pura creatura dicere ausa est absolutè? Ego sum scrutans re-

nes

nes, & corda? Quid: quòd & Prophetis ipsis Spiritus Christi revelabat eam scientiam. 1. Pet. 1. ℣. 10. 11. *De qua salute exquisiêrunt, atque scrutati sunt Prophetæ; qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: scrutantes, in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* At inquis, dixit ad Judæos Joan. 8. 26. *Multa habeo de vobis loqui & judicare: sed qui me misit verax est; & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Mox infrà: *Sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Iterum ad suos Joan. 15. 15. *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ergò non scivit per se, verùm Patris revelatione didicit. Respondeo diviniſſima hæc humano enunciata modo mysteria, nimiùm humano accipi à te sensu; contra omnem sapientum, Sanctorúmque sententiam, & contextum ipsum Bibliorum omnium. Nam si de Christo, quà DEO ista intelligas; τὸ *quæ audivi ab eo*, ùt & illa, *quæcunque audivi à Patre meo*, Glossa interlinearis ita declarat: *idem est audire ab eo, quòd esse ab eo.* Non audivit ab eo in tempore: ubi enim & quando legis in vita ejus, adeò accuratè ab Evangelistis conscripta, doctrinas has à Patre ipsi fuisse, ùt Moysi olim traditas? Ergò audivit ab æterno peregrinationem sui à Patre. Vocabulum audire, in persona Filii, cujus nomen proprium est Verbum, non potest aliud significare; quàm dicere Patrem, & dici Filium, sive generare ac generari, & consequenter accipere à Patre omnia, quæ Pater habet, & quod est. Tu ex his verbis vis Christum Patre facere minorem, & ab eo doctum, ùt Aristotelem à Platone: Scriptura contrà Joan. 8. verbis à te objectis, quæ audivi ab eo, subjungit immediatè. *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat DEUM.* Imò ipse JESUS in proximè sequentibus, Patris Filium se, non Discipulum, manifestat satis: propterea, *hæc illo loquente multi crediderunt in eum.* S. Chrysostomus *non sic* ait hîc, *Pater docuit Filium, quasi indoctum genuerit; sed hoc est docuisse,*

docuiſſe, ſcientem genuiſſe: hoc eſt Filio eſſe, quod nôſſe: Pater gignendo dedit ei, ſicut eſſe; ita & nôſſe. Sancti Auguſtini, cæterorúmque ſanorum & Sanctorum interpretum, eadem eſt ſententia.

18. Tertiò patrare miracula, divinum planè opus eſt: quod etſi nec difficilius, nec DEO per ſe majus ſit, quàm communia DEI opera in conſervando & gubernando mundo exhibita: reſervavit ſibi tamen Altiſſimus quædam, & voluit eſſe rara; ut nos ea miraremur, nobíſque virtutem ac præſentiam ſuam divinam per illa præcipuè manifeſtaret. *Benedictus Dominus DEUS Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.* Pſal. 71. 19. quæ benedictio non tantùm DEO, ſed Chriſto etiam Filio DEI cantatur ibi à Pſalmodo: ùt & carmen illud Pſal. 85. 9. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia; tu es DEUS ſolus*: Pſal. item 135. 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Multa & ab Apoſtolis, & à Prophetis, Sanctíſque aliis facta eſſe miracula non inficiamur; ſed quantum eſt inter illos thaumaturgos, & Chriſtum diſcrimen! Illi non authoritate, virtutéque ſuâ propriâ, verùm invocatâ DEI ope, atque in illius nomine; Chriſtus per ſemetipſum ſuíſque propriis viribus mira patravit. Quod colligitur primò ex modo ipſo faciendi; videlicet ſolâ ſuâ voluntate, abſens etiam operabatur; vel imperans ut fiat, & factum eſt. Marc. 4. 39. tempeſtate coortâ excitatus à ſomno, *comminatus eſt vento, & dixit mari: tace, obmuteſce, & ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.* Item Marc. 9. 24. *Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum &c.* 2dò. A cæteris Sanctis fiebant in illius Nomine, ac virtute miracula; ille poteſtatem dedit eis, ut facerent in Chriſti Nomine, atque ad illius invocationem plura & majora prodigia, quàm unquam mundus viderit, quàm ipſe Dominus fecerit. Sic Apoſtoli, ſic innumeri poſt illos, ſic Eccleſia Chriſtiana univerſa, fecit, facit, factura eſt uſque ad conſummationem ſæculorum, innumera-

numerabilia in Nomine JESU Christi Nazareni miracula: utì promiserat ille ipse. *In Nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis. &c.* Præterea Joan. 14. 11. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me; opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Quis non clarè perspiciat, signum hoc esse certissimum Divinitatis veræ in Christo, tanquam totius naturæ Domino?

19. Quartum opus est creatio: quam omnium maximè cupiunt Antitrinitarii Christo ereptam; neque blasphemiæ suæ inconvenienter. Nam si quidquam in mundo à DEO uno factum est, id de Cœlo & terra, de Angelis & hominibus, si ulla est Bibliis fides habenda, credas oportet. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* Gen. 1. vox erat plurium personarum: quarum? nisì DEI Patris, DEI Filii, DEI Spiritûs Sancti: sed de hoc infrà. Textus habemus alios multos clarissimósque veritatem hanc, quâ credimus à Filio DEI mundum esse creatum expressè attestantes; quorum jam sæpius facta est, & fiet etiam inposterum mentio. Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil. Et mundus per ipsum factus est.* Coloss. 1. 15. *Qui est imago DEI invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia; sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes; & omnia in ipso constant &c.* Heb. 1. 10. de Filio affert Apostolus illa Psalmi 101. 26. verba. *Et tu in principio Domine terram fundâsti; & opera manuum tuarum sunt cœli &c.* Initio capitis ejusdem posuerat: *quem constituit hæredem universorum; per quem fecit & secula:* dicendo *constituit hæredem*, humanam Christi naturam; dicendo *per quem fecit & secula*, divinam commendat. His accedunt quæ Prov. 8. Sapientia æterna, & à Patre ab æterno possessa, sive genita,

id

id eſt Filius DEI de ſe prædicat. *Quando præparabat cœlos aderam; quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens; & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum &c.* Accedit, ut alia mittam, ſolenne ipſius Domini de ſe teſtimonium: *Quæcunque enim ille fecerit* (hoc eſt Pater) *hæc & Filius ſimiliter facit.* Joan. 5. 19. At Pater creavit cœlum & terram; creat quotidie animas hominum: hæc igitur & Filius creavit, creátque ſimiliter.

20. Ad hæc divinitatis Chriſti documenta prorſus invicta, quidnam illi Adverſariorum reſpondeant; qui negant Chriſtum ante Virginem Matrem ſuam extitiſſe: jam in ſuperiore Inſtit. 2. retulimus. Detortis in ſenſus improprios, & neſcio quàm remotos ſcripturis, nulla poteſt excogitari blaſphemia, quæ defendi nequeat. Si Chriſtus, quem inani nomine DEUM appellatis, non condidit cœlum ac terram; juſtiſſimum eſt è ſententia DEI altiſſimi, ut exterminetur de mundo. Jer. 10. 11. *Sic ergo dicetis eis: Dii qui cœlos & terram non fecerunt; pereant de terra, & de his quæ ſub cœlo ſunt.* Ergo tu ſi Chriſtum & DEUM eſſe ais, & tollendum de terra negas; dicas neceſſe eſt, Creatorem eſſe cœli ac terræ. Cæteri communiter reſpondent, Patrem ſolum eſſe Creatorem principalem, Chriſtum verò miniſtrum duntaxat Patris, vel inſtrumentum in mundi creatione. Propterea dicit ajunt: *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam. Non poſſum ego à me ipſo facere quidquam.* Joan. 5. ℣. 19. 30. Rursùs ℣. 36. *Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Quare Ariani, ùt Cyrillus l. 5. theſauri c. 3. refert, Patrem per ſe nihil feciſſe ajebant, ſed per Filium omnia eſſe facta juſſu Patris: indignum reputantes, ut ſumma illa virtus ad agenda iſta deſcendat. Verùm hæc omnia vaniſſima, & hominum impietate ſummâ infamium eſſe ſomnia, textus ſacri luculenter docent; quibus Filii

paulò ante Omnipotentiam, & modò creatum ab illo mundum probavimus. *Pater meus* inquit, *usque modo operatur; & ego operor.* Joan. 5. 17. Mox infrà *quæcunque ille fecerit, hæc & filius similiter facit*: ergò ùt principalis causa facit; non ùt Minister, non ùt instrumentum Patris, non ùt is cui Pater id mandavit comisitque agendum, si de divina illius natura operante sit sermo; sin autem de humana; tunc omninò verum est fieri ab ipsius humanitate opera, quæ Pater dedit, commisit, mandavit ei exequenda: neq; Pater tantùm mandavit; sed tota Sanctissima Trinitas, ex cujus decreto Incarnatus est, habitavit in nobis, denique pro nobis mortuus. Ubi legis Patrem imperâsse Filio, ut creet mundum? ut agat ea quæ fecit quà DEUS, Omnipotens & æternus? Legimus Filium imperando, virtute propriâ egisse, pariter ac Patrem: Baruch 3. 33. *Qui emittit lumen, & vadit, & vocavit illud; & obedit illi in tremore: stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus; & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est DEUS noster &c.* subjungens statim de illo: *Posthæc* inquit, *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est &c. Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?* Luc. 8. 25.

21. Arianorum veterum garrulitatem de Patre nihil per se faciente; de Filio item jussu Patris creante omnia; compescuit pridem Athanasius serm. 3. contra ipsos, Cyrillus lib. 5. thesauri c. 2. & 3. ùt & alii. Vel Filius quando creatus est mundus, fuit DEUS verus; vel fuit creatura: si DEUS; non potuit per Arianos creare immediatè; sed primò debebat & ipse aliquem alium Creatorem immediatum condere, ac deinde sibi eum substituere, per quem creet mundum, sicut Pater ùt ajunt, substituit sibi Filium: quod dicendo, eadem de illo secundo Filii filio redibit quæstio; atque ita progrediemur in infinitum. Si fuit creatura, cùm nihil medium dari possit, quantacunque perfectione

fectione præeminuerit, vel fuit Filius ille factus ex nihilo, vel ex ſubſtantia Patris : ſi ex ſubſtantia Patris, hæc dividi nequit, ergò tota debebat eſſe in Filio, & tota in Patre ; atque adeò DEUS de DEO procedens, genitus eſt ab æterno, Filius Patri æqualis DEUS : ſi ex nihilo factus eſt ; creatura fuit æque ac reliquæ, infinitè diſtans à DEO : quomodo igitur ſe ille demiſit ad eam per ſemetipſum condendam ? Quid quòd creatura nulla extitit ante mundum conditum ? nulla illum condidit, antequam nihil extra DEUM unicum fuit, & qui à DEO ſolo creatus eſt, ùt Prophetæ, Bibliáque universa, ùt lumen omne rationis conteſtatur ? Itaq; virtus creandi eſt infinita, Deóque tam propria ; ut Patres omnes numerent Baſilidem & alios nonnullos in hæreticis, quia mundum creatum ab Angelis aſſerebant. Vide Irenæum l. 1. c. 22. Athanaſium ſerm. 3. contra Arianos ; Auguſtinum l. 12. de Civit. DEI c. 24. & 25. Cyrillum l. 2. in Julianum. Damaſcenum lib. 2. cap. 3. Ergò Filius ſi creavit & creat, ùt cauſa principalis ; fuit DEUS altiſſimus, eſtque virtus in illo divina. Ideò Paulus 1. Cor. 1. Chriſtum eſſe *DEI virtutem* inquit ; & Hebr. 1. *qui portat omnia verbô virtutis ſuæ.* Virtus creaturarum, ſolis v. g. quâ is mundum illuminat, eſt à DEO ita dependens ſemper ; ut eam illi ſubtrahere DEUS poſſit quôlibet momentô, ſolémque ipſum in nihilum redigere, qui neque illuminare abſque DEO ad id aſſiduè concurrente poſſet : virtus Filii eſt quidem à Patre ; ſed per generationem communicata Filio, non per donationem Patris liberam : eſt virtus ab eſſentia divina, Patri Filióque propria, minimè diſtincta ; quæ nec juvari ad operandum, nec tolli à Patre aut Filio queat. *Sicut Pater quos vult vivificat ; ita & Filius quos vult vivificat.* Joan. 5. Agit igitur virtute ſuâ pro libertate ſua ùt vult : paritérque Spiritus Sanctus : *qui dividit omnibus prout vult.* 1. Cor. 12. Poſtremò vel habet Filius eandem numerô virtutem creandi, quam Pater ; vel diverſam : ſi eandem credis nobiſcum verbo illi,

illi, *Ego & Pater unum sumus*; si diversam, duos admittis Deos altissimos, verbisque illis contradicis: *Non est fortis, sicut DEUS noster.* 1. Reg. 2. 2. *Quis similis tui in fortibus Domine?* Exod. 15. 11. Omnes mundi sapientes, è mundi cœlum terrámque complexi aspectu, cognoverunt DEUM, qui ea condidit; nullius igitur alterius virtute potuerunt ista existere. Quid plura? repete memoriâ locum elegantissimum Isa. 40. *Quis mensus est pugillo aquas? & cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ & libravit in pondere montes, & colles in statera? Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis Consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?* Tu respondes, ante omnia Christus ab eo creatus, minister fuit & instrumentum ejus; is mensus est pugillo aquas, is adjuvit DEUM, per illum ùt ministrum suum Pater mundum creavit. O ineffabilis blasphemia! ô incredibilis insipientia! Dixit fiat, & facta sunt omnia; voluit creando, principium se finémque omnium nobis manifestare; tamenne non per se solum, sed per alium ministrum, aut instrumentum suum creaverit, manu indiguerit, vel usus ad id fuerit alienâ? Si Filius non est causa principalis mundi conditi; nec Pater est: siquidem eodem uterque creavit illum modo; iisdemque verbis exprimitur creâsse à Spiritu Sancto: Paulus ad Hebr. 1. de Filio inquit: *Tu in principio Domine terram fundâsti; & opera manuum tuarum sunt cœli:* quem totum locum Apostolus accepit ex Psal. 101. eadem verba de DEO Israëlis altissimo, quem isti solum Patrem esse putant, canente. Sed & Paulus verè de illo eodem de quo David antea; & vicissim de illo eodem DEO David, de quo Paulus postea locuti sunt.

22. At inquiunt Adversarii: quando Pater Filiúsque creans refertur in Bibliis; Patri tribuitur præpositio *ex*, Filio præpositio *per*: quid hoc sibi vult aliud, nisi Patrem per Filium operari; Filium verò ùt ipse de se confessus est, nihil à se, nihil ex seipso facere posse? *Unus DEUS Pater, ex quo*

omnia; *unus Dominus JESUS Christus*, *Per quem omnia.* 1. Cor. 8. 6. *Omnia per ipsum facta sunt.* Joan. 1. *Per quem fecit & sæcula.* Hebr. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Coloss. 1. Addunt ministri consentientes l. 2. c. 6. Concilium quoque Syrmiense, cujus Can. 3. & rursùm postremò, Filius Patri ministrâsse in creatione mundi asseritur, teste Hilario in l. de Synodis: addunt etiam testimonia in eandem sententiam Irenæi, Tertulliani, Eusebii, ac postremò Lutheri, quem vocant si Superis placet, DEI nuncium. Respondeo præcipuo gigantum horum adversùs cœli Conditorem telo; Mysterium Divinitatis arcanissimum humanô nimiùm atque impiô planè tractantium intellectu. Ergò vobis tanta vis esse videtur in his præpositionibus DEO creanti applicatis; ut aliud sit ab illo, aliud per illum, aliud in illo mundum esse creatum? audite veritatem. Tres hæ Personæ Divinæ, sunt inter se quoad operationes omnes extrinsecas, quoad omnem essentiam, naturam, virtutem suam, unum & idem; solisque relationibus, ùt in loco explanabimus uberiùs, sunt ab invicem distinctæ. Proinde Trinitatem earum, & distinctionem, Spiritus Sanctus identidem instillare nobis volens, usus est ad id præpositionibus etiam istis, *ex*, *per*, *in*; *ex ipso*, *& per ipsum*, *& in ipso sunt omnia*: Rom. 11. Patri *ex*, Filio *per*, Spiritui Sancto *in*, appropriando: non quòd unus sit major aut minor altero, quòd unus magìs aut minùs creet omnia, unus jubens, alter ministrans, unus causa principalis, alter instrumentalis; apagè voces has blasphemas de DEO, & in DEO uno altissimo; sed per has tres diversas particulas, denotantur processiones ac relationes diversæ trium harum Personarum, quibus inter se solis distingvuntur. *Ex* tribuitur Patri; ut significetur ex illo tanquam fonte divinarum Processionum, profluere ac generari Filium: Patrem esse principium sinè principio, sive ingenitum generatorem: *per* tribuitur Filio; ut significetur is principium de principio, persona

esse

eſſe in hac Trinitate media; quæ à Patre accipiat per generationem ſui; Divinitatem, Omnipotentiam, eſſentiam ſuam. Ita Baſilius l. de Spiritu Sancto c. 4. & cæteri Sanctorum Patrum. Propterea dixit Filius, ſe nihil à ſeipſo facere poſſe: illa ſola quæ à Patre audivit, ſe docere; illa ſola quæ viderit eum facientem, ſe facere. Addunt alii cum S. Damaſceno lib. 1. cap. 9. Filio tribui particulam *per*; quia ei appropriatur ſapientia: DEUS autem facit, creavítque omnia per ſapientiam ſuam. Præpoſitio demùm *in*, tribuitur Spiritui Sancto; quia ille nexus eſt Patris ac Filii, continétque in ſe Patrem ac Filium, à quo ſimul utroque, ſpiratione amoris unâ procedit. Porrò ne diverſitas præpoſitionum harum quemquam ſcandalizaret, fideíque obeſſet Chriſtianæ; providit affatim infinita DEI ſapientia, & quidem triplici documento. Primò, indicando quòd eæ omnes particulæ, uni eidémque DEO æqualiter conveniant in tribus perſonis: quod comprehendi à ſe non poſſe confeſſus eſt Apoſtolus exclamans Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ DEI! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula. Amen.* Ubi pronomen unum *ipſe*, DEUM unum; præpoſitiones tres, *ex*, *per*, *in*; eundem unum DEUM eſſe trinum in perſonis declarant. Secundò providit miſcendo particulas iſtas: nam *per* tribuitur etiam Patri; *Fidelis DEUS, per quem vocati eſtis in Societatem Filii ejus JESU Chriſti Domini noſtri.* 1. Cor. 1. 9. Item Gal. 4. 7. *Itaque jam non eſt ſervus, ſed Filius: quod ſi Filius, & hæres per DEUM:* ubi per DEUM, adverſarii Patrem ſolùm accipiunt. Interdum *ex* & *de* tribuuntur Filio. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia* Joan. 1. 16. *Ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit, in augmentum DEI.* Coloſſ. 2. 19. De Spiritu Sancto à ſe mittendo differens Dominus Joan. 16. 14. *Non loquetur*

ait, *à semetipso ; sed quæcunque audiet loquetur. Ille me clarificabit ; quia de meo accipiet & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt : propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* En quemadmodum eâdem de se ac Spiritu Sancto loquatur phrasi ; quâ loquebatur de se ac Patre ! Sunt istæ Sancti Ambrosii l. 4. de fide cap. 6. Basilii de Spiritu Sancto cap. 5. pluriúmque Sanctorum Patrum annotationes. Eodem denique modô, præpositio *in*, non semper Spiritui Sancto ; sed Filio etiam applicatur, ùt audivimus ex epist. ad Colos. 1. *Quoniam in ipso condita sunt universa. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, omnia in ipso constant.* Tertiò providit unam eandémq; Patris, Filii, Spiritûs Sancti Divinitatem per seriem scripturarum omnium exponendo. Tres has unâ mutatâ præpositiones, in Missa cum corpore Christi ter ducto signo Crucis super calicem consecratum hoc ordine pronunciamus etiamnum : *per ipsum, & cum ipso, & in ipso* : quæ verba, & quem ritum, ab Apostolis profluxisse vix potest esse dubium. Unde quamlibet ex his similibus particulis potes per se cuilibet reipsâ Personarum Divinarum ex vero tribuere.

23. Observandum etenim est, aliud esse, quod aliqua sit proprietas solius Patris, aliqua Filii, aliqua Spiritûs Sancti ; aliud esse, quòd aliquid uni earum Personarum, vel alteri approprietur. Proprietates sunt, esse ingenitum, vel esse generantem, quæ Patri soli ; esse genitum, quod Filio uni ; esse spirantem, quod soli Patri simul & Filio spiratori uni, seu principio Spiritûs Sancti ; esse spiratum, quod uni Spiritui Sancto convenire potest : de quibus copiosiùs infrà. Proprietates hæ non sunt communes, neque tribuuntur personis omnibus : at ea, quæ, præterea ipsis appropriare solemus ; æquè uni ac alteri ac tertiæ Personæ, re ipsâ, conveniunt : appropriamus nihilominùs ex attributis operibúsque Divinis communibus, unum sæpiùs Patri, alterum Filio, tertium Spiritui Sancto ; propter aliquem respectum ad eorum proprie-

prietates ſingulares : quia cùm nulla ſit inter eos nisì relationum diſtinctio, ut pluribus etiam titulis aliis ipſos ſigillatim magnificemus ; ex iis quæ Perſonis tribus communia ſunt, quædam Patri ſingulariter, quædam Filio, quædam Spiritui Sancto applicamus. Ita nomen DEI, quod cuilibet Perſonæ, proprium & identificatum eſt, appropriamus interdum cum Apoſtolo Patri ; quia ùt interpretatur Auguſtinus, is eſt principium & fons Divinitatis ſive divinarum proceſſionum : ita iterum Omnipotentiam cum Symbolo Apoſtolorum eidem Patri, Filio ſapientiam, Bonitatem Spiritui Sancto appropriamus : quia Pater eſt prima Perſona : DEUS autem per omnipotentiam quâ mundum creavit, ſe primùm ei manifeſtavit : Filius eſt Perſona ſecunda, Verbúmque Patris per intellectum procedens ; ideò Sapientia ei peraptè appropriatur : quæ præterea effulſit vel maximè in Incarnatione Chriſti, mundíque Redemptione. Spiritus Sanctus à Patre Filióque invicem infinitè amante procedit ; ideò bonitatem ei appropriamus, quâ movetur amor. Ita Patrem Creatorem, Filium Salvatorem, Spiritum Sanctum ſanctificatorem noſtrum vocamus ; vocántque ipſi etiam adverſarii : quamvis ſciamus credamúſque, nos à tota Sanctiſſima Trinitate creatos, redemptos, ſanctificatos eſſe. Ita demum etiam Patri particulam *ex*, Filio *per*, Spiritui Sancto *in*, appropriatam legimus. Ad extremum, Concilii Syrmienſis Canonem objectum ex Hilario, cum eodem ibidem Hilario ſic intelligo : Filium Patris dictum ab eo miniſtrum, non quòd verè ſubjectus ei, vel eô inferior, ſed quòd ab illo eſt ; proinde non ùt famulum Domino, ſed ùt Patri Filium miniſtrâſſe : inter quos licèt non inæqualitas naturæ vel dignitatis, vel operationum ; eſt tamen in Patre auctoritas principii, quæ non eſt in Filio reſpectu Patris : Filius eſt à Patre, non Pater à Filio. Accedit, Syrmienſis illius Concilii authoritatem exiguam eſſe valdéque dubiam ; cujus nec apud Gra-

tianum dist. 16. & 20. ubi Concilia Catholica enumerantur ulla fit mentio, sed nec Tertullianum & Eusebium cæteroquin doctissimos, multùm in fidei dogmatibus esse audiendos; Lutherum minimè satis constat. Quomodo minister verus Patris & instrumentum potuerit esse Filius; quem Paulus Hebr. 1. conferens cum Angelis, hoc ait interesse inter hos & Christum, quòd Angeli *sint omnes administratorii spiritus in ministerium missi: cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui? &c. sede à dextris meis &c.* Quomodo non fuerit is causa principalis rerum omnium conditarum? quia apud Isaiam dicit: *Propter me propter me faciam, ut non blasphemer; & gloriam meam alteri non dabo, Ego primus, ego novissimus &c.* Isa. 48. 11. quem ibi loquentem certum est, ùt alibi jam docui, esse Filium: qui etiam Apoc. 1. vocatur, *Alpha & Omega, principium & finis Dominus DEUS Omnipotens.*

24. Quintum ultimúmque opus DEO soli proprium, est conservatio mundi; quæ continuatio quædam creationis est. *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* Actor. 17. 28. Hoc idem convenire Filio testatur Apostolus Hebr. 1. *Qui portat orbem omnia verbô virtutis suæ.* Coloss. 1. *Omnia in ipso constant*: hoc est, ùt rectè Chrysostomus exponit, omnium subsistentia ita pendet à Filio DEI; ut si ab ipso conservetur, consistat; sin minùs, continuò intereat. Conservationem, virtutem esse propriam Creatoris, indubitatum est.

INSTI-

INSTITUTIO VII.

Tota Christi vita, & œconomia sive dispensatio Dominicæ Incarnationis, Divinitatem ipsius veram contestatur.

1. ÆConomiam Incarnationis divinæ, cum græcis Patribus, dispensationem cum latinis, voco seriem omnem & cursum eorum, quæ Christus egit, agit, acturus est; quod is fuit, est, erit, ab æterno & in æternum. Tres in partes dividi potest universa illius historia. In prima meditandus est, ùt Filius DEI genitus ab æterno, unus & idem cum Patre suo; Spiritúque Sancto DEUS; Creator cœli ac terræ, præfigurans per ea, quæ fecit, prædicens per ea quæ locutus est, adventum suum ad nos, futurámque Incarnationem sui: verbo, cogita eum ùt purum DEUM; qualis fuit, usque dum Verbum Caro factum sit. In secunda, specta eundem DEUM pro nobis hominem factum, & habitantem in nobis in corpore mortali, annos 34. à sui Conceptione; usque ad Mortem & Resurrectionem. In tertia, ùt erat resurgens à mortuis in corpore glorioso, ascendens in cœlum, sedens ac sessurus in æternum ad Dexteram Patris. Hæc sunt illa tria diversa unius ejusdem Filii DEI, quasi stemmata; in quibus singulis, potissimúmque in primo illo æterno, ac propter illud in cæteris, dixit ei Pater illius: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hoc est ænigma illud divinissimum, quod scripturarum omnium argumentum est. Hic est Christus ille, *lapis offensionis, & petra scandali.* 1. Petr. 2. qui de se ajebat: *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Matth. 11. 6. id est, beatus, qui propter has diversas meas

 formas,

formas, divinam ante omnia ſecula ex Patre; humanam in ſeculo ex Matre, atque in carnis humilitate; eandémque glorificatam poſt mortem, in Reſurrectione mea, & regeneratione; beatus, qui propter hæc non fuerit in me ſcandalizatus, hoc eſt Chriſtomachus effectus. Quò etiam cenſetur collimâſſe Spiritus Sanctus, quatuor celeberrima Ezech. 1. Apoc. 4. juxtà Hieron. Abul. Auguſt. &c. repræſentans animalia; faciem hominis, aquilæ, vituli, leonis: in aquila Divinitatem, in homine Incarnationem & nativitatem humanam, in vitulo paſſionem ac mortis ſacrificium, in leone poteſtatem regiam Domini à mortuis reſurgentis: *qui cùm in forma DEI eſſet*, en aquilam! *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, en hominem! *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem*, en vitulum! *propter quod & DEUS exaltavit illum*, en Leonem, qui vicit de tribu Juda! Porrò in his Chriſti diverſis quaſi ſtatibus, Filius DEI æternus non eſt quidquam in ſe, ſuáque Deitate mutatus; ſed omnis variatio extitit in illius carne ac humanitate: quæ ſola fuit jam puer, jam vir, jam patiens, jam mortua, jam glorioſa & immortalis, Patrique ſuo aſſidens. Dicimus nihilominus cum ſcripturis, per communicationem, ùt vocamus, idiomatum, & illum DEUM pro nobis paſſum, occiſum, reſurrexiſſe Patríque conſedere; & hominem illum Creatorem eſſe Cœli ac terræ, cultu eodem quô Patrem ac Spiritum Sanctum adorandum: quia Divinitati ejus unita eſt hypoſtaticè natura humana; ſive unica eſt in illo, eáque Divina & æterna Perſona: in qua & natura ejus Divina ſubſtitit per identitatem ab æterno; & humana in tempore ſubſtitit per unionem, ſubſiſtétque in æternum. Quam Chriſtianam, Orthodoxam, certiſſimam Theologiam, quoniam intelligere noluit hæreticorum impietas; in errores ii blaſphemiáſque atrociſſimas præcipitârunt. Nos de Chriſto, ùt erat ante ſuam humanam Nativitatem, DEUS purus & æternus; jam ſatis diſputâſſe videmur: hîc proinde

vitam

vitam illius primò in corpore mortali, deinde gloriam in immortali ſcrutabimur; quanta ubique Divinitatis ſuæ altiſſimæ exhibuerit argumenta, videamus. De quibus omnibus in Symboli quoque Apoſtolici explanatione, non paucis egimus.

§. I.

De Chriſti nobiſcum in terris verſati vita privata.

2. EXinaniens formâ ſervi acceptâ, & humilians ſeiſpum uſque ad mortem Crucis Dominus, fuit potiſſimùm Judæorum, éſtque adverſariorum noſtrorum ſcandalis, ac telis expoſitus. O Chriſtianæ gentes! ne à me fingi aliquid fabuláſque narrari, oro putetis: non affero in teſtimonium Chriſtomachos, & hæreticos veteres; qualis fuit Neſtorius, ſuperbè jactitans, nolle ſe DEUM puerum adorare: non proſequor Judæorum blaſphemias in Dominum, odia & perſecutiones tantò crudeliùs furentium; quantò is DEUM ſe verum eſſe prædicabat ampliùs, ſignísque pluribus demonſtrabat. Legatur Evangelium totum. Legantur Prophetæ, Libérque Sapientiæ cap. 2. inimicos hos Filii DEI graphicè deſcribens. De noſtris loquamur temporibus. Liber à Miniſtris Eccleſiarum in Sarmatia & Tranſylvania conſentientium, ſeſqui alterum ab hinc ſeculum editus, Principíque Tranſylvaniæ temporis illius oblatus, eorum, quæ dico, teſtis eſt locupletiſſimus. Quidquid recentiorum veterúmque inimicorum Domini Principes, à principe tenebrarum, virulentum ſuxerant; in librum illum evomuiſſe videntur. An ſcriptum blaſphemiis immanioribus fartum, aliquando viſum fuerit, valdè dubito: Alcoranum de Chriſto loquens, ſi cum eo compares, videbitur eſſe Chriſtianum. In hujus libri fine Chriſtus Dominus proponitur in duplici ſchemate, dua-

bus in diverſis tabulis. Titulus commenti totius eſt : *Antitheſis Pſeudo-Chriſti, cum vero illo ex MARIA nato.* Tabulæ primæ titulus : *Chriſtus dives, quem Papa antichriſtus, cum toto mundo ſequitur :* Tabulæ ſecundæ autem : *Chriſtus pauper, quem pii pauperes, mundo exoſi ſeqvuntur.* In Tabula Chriſti divitis, quem illi Eccleſiæ noſtræ Chriſtianæ tanquam Pſeudo-Chriſtum aſſuunt ; per decem puncta expanditur Chriſtus Dominus noſter ; nimirùm ; qui ſit æternus, ex eſſentia DEI genitus ; qui ſemper Dominus extiterit, nullius egens, fortis, neminémque metuens, nihil unquam paſſus ; qui nec oraverit, nec fleverit, nec fuerit captus, nec cæſus, nec mortuus, nec reſurrexerit : qui ſervos etiam habuerit. Dominos ſemper magnos, Papas, Cardinales, Epiſcopos, Cæſares, Reges ; qui multa illi Templa pretioſa conſtruxerunt, fundarúntq ; ordines Sacrificorum & Monachorum ſexcentos ; qui Patres etiam & Philoſophos acutos, Zophiſtas, & rixoſos ſcholaſticos habuerit in exercitu ſuo innumeros ; Concilia & decreta eorum, voluminâque mille : quibus Chriſtum ii falſum, divitem & æternum, cum illo verò, in tempore nato & paupere, conciliare conabantur ; duas confingentes in eo naturas, generationes duas, & alia. Mitto reliqua : nam horror eſt intolerabilis memorare. Altera Tabula Chriſti pauperis, quem ſuum, ſolúmque verum reputant, refert eum in ſtabulo Bethlemitico natum, ex MARIA Matre paupere, puerum nudum & imbecillem ; qui à ſe ipſo nihil poſſet, nihílque faceret ; ſed quem DEUS unxit, fecítque ſibi Filium : qui crevit ſapientiâ & ætate, qui miſerias & perſecutiones varias paſſus, fugiebat Herodem & judæos ; oravit DEUM, flevit, neſcivit diem extremum judicii, captus, cæſus, mortuus, & excitatus eſt à Patre. Poſt plura ſimilia, ſubjiciunt : Chriſtum hunc pauperem, qui crucem tulit & ipſe, ſuóſque ferre juſſit ; pauci & ii ab hominibus contempti ſeqvuntur : nunquam auditus inter ejus diſcipulos Papa, Cardinalis, vel

Cæſar

Cæsar &c. quia iter, quò ille ducit, est angustum, & difficile. Quemadmodum autem eum Pharisæi, & postea totus mundus damnavit ac persecutus est; ita & ejus discipulos: quô fit, ut Christus iste pauper à paucis agnoscatur; toti mundo placet ille dives, quem seqvuntur & colunt Heroës seculi &c.

3. Quid est ô mortales ratione præditi! si hoc non est, esse Christomachum? esse Christi Filii DEI juratum hostem? ea sola, quæ fuerunt humana in illo, quasi purus fuisset homo, plenis crepare buccis; ad ea verò in quibus divinam ipse Majestatem suam identidem exhibuit, esse cæcum, surdúmque. Quid est Christus dives? nisi phrasi Apostolicâ Christus DEUS? quid est Christus pauper, nisi Christus homo? tu illum ab isto resecabis? eóque abnegato, insultabis huic, impietate prorsus avernali? quòd paupertatis & calamitatum suarum jugo adstrictus, defendere se ab iis non potuerit in vita sua? Non audivisti ô monstrum in ultimas terras, si quæ sunt nihil de Christo scientes, exportandum! Paulum à me suprà Instit. 2. n. 16. productum 2. Cor. 9. dicentem? *Propter vos egenus factus est, cùm esset dives; ut illius inopiâ vos divites essetis.* Putásne Divinitatem ejus, quam nunquam non habuit, nec amittere potest, blasphemiis tuis horrendis tolli posse? non tu lapidem hunc angularem & pretiosum; sed ille te conteret, positus in ruinam & resurrectionem multorum. O ingratitudinem! ô impietatem! cui par nulla esse, nulla cogitari queat! Sancti & sapientes omnes, quò se magis exinanivit, & humiliavit pro nobis, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, DEI Filius; hòc eum amandum ardentiùs, profundiùs adorandum, sublimiùs glorificandum judicârunt: quantò pro me vilior, quantò plura passus dicebant; tantò mihi charior, & pretiosior! tantò sumus ei ad agenda tolerandáque cuncta obstrictiores. Quid? quòd & Pater propter hanc exinanitionem, humilitatem, obedientiam

entiam ejus, exaltavit ſuper omnia illum? adeò, ut nunquam DEUS altiſſimus antea gloriam eam habuerit in terris; quam vidimus, poſtquam is Caro factus, & in ea pro nobis mortuus eſt. Vos ô ſtipites! ô ſilices! *ſinè affectione omni*, ſannas, improperia, blaſphemias in eum jacitis; quia infans fuit & puer, miſer & pauper, qui ne quidem cunas, in quibus collocaretur, natus habere potuerit: quia manus Herodis Reguli vix effugit; quia faber erat, MARIÆ inopis Filius, viles & ejus Diſcipuli, nec nisi turba vilis illum ſequebatur: quia Magni doctíque omnes Judæorum odiô eum habuerunt; ac tandem poſt innumera ſupplicia crucifixus eſt inter duos latrones. Obſtupeſcite Cœli & terra, quòd Chriſti Nomen geſtare deſiderantes, hæc ei cum Judæis, vel præ Judæis objicere audeant! Non exurget aliquis ſervorum tuorum fidelium, ô Chriſte JESU, Rex noſter Optime Maxime! qui dicat, quod olim Abiſai filius Sarviæ, typo tuo Regi David? lib. 2. Reg. 16. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus.* Nos verò Filium hunc David, & Filium DEI altiſſimi, JESUM pauperrimum, humillimum, patientiſſimum, non ferrô, ſed argumentis vindicemus. Demonſtremus non tantùm poſt Reſurrectionem, verùm etiam in curriculo vitæ ſuæ mortalis totius, exaltatum illum ſuper omnem puram creaturam; neque purum hominem, ſed DEUM Incarnatum fuiſſe.

4. Statio prima, quam veniens in mundum ſibi delegerat; fuit uterus Virginis MARIÆ. Præmittitur ei concepto Conceptio, nato Nativitas, prædicanti Prædicatio Joannis Baptiſtæ: ùt Domino Regíque Maximo Præcurſor, Imperatori belli ejus armiger, DEO altiſſimo Propheta illius. Quem putas Dominum hunc eſſe; cui à prima ſui conceptione, viam ſervus tantus complanat? Profectò ſola Joannis hiſtoria, dicta, & geſta ipſius ſola Chriſtum Dominum DEUM eſſe altiſſimum, ſatis oſtendunt: Quid mirum? fuit

it is homo missus à DEO in hunc finem ; ut testimonium perhiberet de lumine. Quis est iste Joannes? *quô non surrexit major inter natos mulierum* : ergò eum paupertate, persecutionibus, morte Joanni violentè illata, optimè constitit esse maximum, sive divitem coram DEO, præ omnibus inter natos mulierum. Concipitur Joannes, Gabriele Angelo eum sterilibus Parentibus annunciante ; dicénteque de futura eorum prole : *Erit magnus coram Domino, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ. Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum DEUM ipsorum* : hoc est ad Christum Israëlis DEUM. *& ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ ; ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam ipsorum ; parare Domino plebem perfectam* : quò credant Divinitatem Domini sui, quam Patres eorum & Prophetæ crediderant, ac prænunciaverant. In mense autem sexto missus est idem Angelus Gabriel à DEO ad Virginem MARIAM. Legationis hujus historiam quid recitem ? nullum in ea verbum, non mysterium grande. *Vocabis Nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur :* (id est) *& dabit illi Dominus sedem David Patris ejus* ; (non humanam, regnum enim ejus non erit de hoc mundo ; sed cœlestem ad dexteram Patris sui æterni, quem repræsentabant progenitores ipsius humani) *Et regni ejus non erit finis.* Quærit Virgo. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* non dubitans de potentia divina, sed rogans, quidnam sibi foret post Virginitatem DEO votam, ex DEI voluntate agendum ; ut & Filium hominem sinè viro, & Filium Altissimi DEUM, homo purus pareret ? Respondet Angelus : *Spiritus Sanctus superveniet in te ; & virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideóque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI. &c.* Quasi diceret : Spiritus Sanctus virtúsque Altissimi obumbrabit tibi ; non tam ut Filius ex Virgine, quàm ut DEUS altissimus concipiatur ex te muliere : id est ut is Incarnetur, formámque

mámque ſervi accipiat ex ſemine tuo; inter quod & ſemen ſerpentis, inimicitias poſuit DEUS, ſtatim à lapſu Adami. Propterea quod naſcetur ex te Sanctum, erit DEUS Homo factus. Hoc Incarnationis divinæ opus ineffabile, in utero Virginis efficiendum, phraſim eam nunquam aliàs auditam merebatur & exigebat: *Spiritus Sanctus ſuperveniet &c. & virtus Altiſſimi obumbrabit &c.* Vide quæ ſuprà Inſtit. 4. n. 12. dicta ſunt. Ergo ad Virginis reſponſum, *Ecce Ancilla Domini! fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, Verbum caro, Filius æterni Patris, Filius MARIÆ factus eſt. Et dixit ad Patrem ſuum: *Sacrificium & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulâſti: tunc dixi, ecce venio. In capite Libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam &c.* Ita Pſalmus 39. Paulus autem Hebr. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata; ideò ingrediens mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptâſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, &c. Tunc dixi*, hoc eſt ùt explicant SS. Patres in ipſo puncto Incarnationisſuæ: *nam ingrediens mundum dicit.* Hæc Filius Incarnatus ad Patrem: quid hic ad illum? *Et adorent eum omnes Angeli DEI.* Hebr. 1. 6. Tamennè vos ô Chriſtomachi! hunc in utero Matris ſuæ infantem, pro embryone puro æſtimare, non verebimini? Jeremiam audite: *Creavit Dominus novum ſuper terram. Fœmina circumdabit virum.* Jer. 31. 22. Virum non ætate carnis, ſed potentiâ, ſapientiâ, ſanctitate pollentem eâ; quâ vir fuit, eſt, & erit ad Patris dexteram. *Exultavit ùt gigas ad currendam viam* Pſal. 18. 6. O verè novum ſuper omnia eminens, quæ creavit manus Altiſſimi! explicet illud Auguſtin. ſerm. de Natali Domini: *Homo factus eſt hominis factor: ut ſugeret ubera regens ſidera; ut eſuriret panis, ut ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falſis teſtibus veritas occultaretur, judex vivorum & mortuorum à judice*

morta-

mortali judicaretur, ab injuſtis juſtitia damnaretur, flagellis diſciplina cæderetur, ſpinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, vita moreretur.

5. Sed pergamus in domum Zachariæ cum fœmina circumdante virum, & ſalutante Elizabeth. Salutat Matrem ſervi Mater Domini. *Et factum eſt, ùt audivit ſalutationem MARIÆ Elizabeth; exultavit infans in utero ejus; & repleta eſt Spiritu Sancto Elizabeth.* Luc. 1. Salutavit MARIA cognatam ſuam; ſalutem attulit infans DEUS ex utero Matris ſuæ, infanti Præcurſori ſuo, in utero item Matris poſito: qui ad eam ſalutationem ore MARIÆ prolatam, auribus Elizabeth auditam, ſenſit, primus & intellixit virtutem divinam Salvatoris præſentis: à quo uſu rationis in momento donatus eſt; ideò ajebat Mater ejus Spiritu Sancto plena: *exultavit in gaudio infans in utero meo*: à labe præterea originali mundatus, & ſanctificatus, Spiritúque Sancto repletus eſt eodem tempore Joannes; juxta illud Angeli, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ*: repleta eſt eodem & Elizabeth. Per quem facta ſunt hæc omnia, quæro? ſinè dubio per illum, qui mundo univerſo attulit ſalutem, misítq; Spiritum Sanctum: non eſt in alio aliquo ſalus, teſtibus Apoſtolis. Per os MARIÆ, aures Elizabethæ, DEI & hominis Filiolus, inſufflavit Spiritum Sanctum in Prophetam ſuum infantem; commovítq; illum ad exultandum in gaudio. Primus quem legimus peccator, cui non ore ſuo, ſed re, factóque, dixit JESUS: *remittuntur tibi peccata tua*; fuit Joannes hic infantulus; in gaudio illo ſuo, cùm loqui nondum poſſet, exultatione ſuâ quaſi dicens: *Ecce Agnus DEI! ecce qui tollit peccata mundi!* O prodigia! ô altitudo divitiarum DEI, viri à fœmina circumdati! Vos hæc legitis; intelligere non vultis in Evangelio Chriſtomachi: quid ita? Sanctum canibus, Margaritæ porcis objectæ, conculcantur ab iis Matth. 7. 6. Spiritu Sancto plena Elizabeth, quid eructat? ùt inter Angelos primus Gabriel, ſic illa

illa prima inter homines, Christum quem nondum viderat, nihilque de illo audiverat, verum esse DEUM mundo promulgat. *Exclamavit voce magnâ:* tam magnâ, ut eam deinde orbis terrarum, & cœlum & inferi exaudiverint. *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Matris tantæ visitatione se indignam agnoscit; Filium ejus Dominum suum vocat, id est DEUM altissimum: cujus unius Dominatus est super cœlum & terram; quem solum Dominum absolutè suum, nominant animæ Spiritu Sancto repletæ. *Nobis unus Dominus, JESUS Christus; per quem omnia, & nos per ipsum.* 1. Cor. 8. 6. *Benedicta tu &c. & benedictus fructus ventris tui.* dixit Elizabeth. *Et ait MARIA: Magnificat anima mea Dominum; & exultavit spiritus meus in DEO salutari meo:* id est, in DEO JESU meo. *Fecit potentiam in brabio suo:* id est in Filio suo Christo. *Brachium Domini cui revelatum est?* Isa. 53. 1. Ubi brachium Domini dici Christum, est certum Sanctis Patribus, & ipsi etiam Tertulliano lib. 1. contr. Praxeam c. 13. qui à Patre suo, quasi brachium corpori consubstantiale descendit. Canticum illud totum, omnium quæ Bibliis continentur canticorum facilè Princeps, sanè non congruit, nisi Matri non purum hominem, sed DEUM Incarnatum in visceribus suis portanti. Sequitur Nativitas Joannis Baptistæ: circumciditur is, & vocatur nomen ejus, miraculo singulari Joannes; ut præludat in omnibus Domino suo. *Apertum est autem illico os, Patris ejus Zachariæ;* qui erat factus mutus, pro eo quòd non credidit hæc eventura: & repletus Spiritu Sancto prophetavit dicens: *Benedictus Dominus DEUS Israël &c.* Canticum hoc Zachariæ, Mariani cantici præfati parallelum, documentis veræ Christi Divinitatis plenum esse, jam suprà non semel docui. *Et factus est timor: & super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.* En quantopere celebrabatur Dominus JESUS utero Matris clausus, in Præcursore suo concepto & nato! Adjice missionem Angeli

geli ad Joſeph virum MARIÆ: qui dicat ei, neutiquam intelligenti, undenam prægnans Virgo, benedicta in mulieribus: *Joſeph fili David! noli timere accipere MARIAM conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Luc. 1. Hæc ultima præ cæteris verba ſingula conſidera: nonnè clarè cernis in illis Chriſtum non eſſe puram creaturam? quæ ſalvos nos facere à peccatis, lytrum ſalutis noſtræ perſolvere, aperire librum ſignatum ſigillis ſeptem, ùt habetur Apoc. 5. minimè poterat? Quis es tu ô Chriſte JESU! qui genus hominum univerſum vocare poſſis, populum tuum proprium? An purus homo? brutum ſit, non homo, neceſsè eſt, qui hoc ſibi perſuadeat; qui credat poſſe à DEO Maximo populum ſuum, ſeu Angelos, ſeu homines, ullius alterius dominio contradi. Vos in Chriſti veſtri viſceribus Matris concluſi tabula, myſteria ejus talia, ut & quæ notabimus in tota ipſius reliqua vita, quàm perfidè cuncta ſilentio præteriviſtis?

6. Secunda Domini ſtatio in terris, fuit, in ſtabulo Betlemitico. Si tam dives radiánſque Divinitatis ſuæ ſignis, erat utero Genitricis occultus; qualis cùm prodivit in lucem? cùm in carne viſibilis nobis apparuit? Mitto quòd natus vulvam Matris non aperuerit, ſed prodigiosè penetrârit: quæ Patrum omnium doctrina eſt, ex verbo DEI ſcripto traditóque deſumpta; ùt in ſymbolo Apoſtolico declaravi. Scandalizatnè te, nati paupertas inenarrabilis? *Non ſapis ea, quæ DEI ſunt, ſed ea, quæ hominum:* ùt in ſimili argumento dixerat Petro Chriſtus Matth. 16. 23. Attende quod narrat Joannes cap. 7. Apprehendere volentibus eum Pontificibus & Phariſæis, nemo miniſtrorum eo Nomine miſſorum miſit ſuper eum manum: venerunt ergò ad ſuos dominos; & hi dixerunt eis: *Quare non adduxiſtis illum?* *Reſponderunt Miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Reſponderunt*

ergò eis Phariſæi: Nunquid & vos ſeducti eſtis? Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti ſunt. Ovum an ovo ſimilius, quàm hæc Phariſæorum oratio ſapientiæ adverſariorum noſtrorum? cur hi miniſtri, qui eadem quæ Pontifices & Phariſæi quoque loquentem Dominum audiêrant; tantò aliter de illo judicaverunt? ſinè dubio, quia Spiritu Sancto ipſos illuminante, verba Chriſti adeò divina eſſe, intellexerunt; ut ea non ab homine puro proficiſci crediderint. *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Nunquam verè ſic conceptus eſt homo; nunquam ſic in utero Matris geſtatus, nunquam ſic natus eſt homo; ſicut hic homo. Qui aliquid habet ex Chriſti, Spirituſque Sancti lumine; de omnibus idem non verbis tantùm, ſed etiam operibus illius, ac myſteriis in carne mortali, à primo uſq; ad ultimum exclamabit. Primum inter illa & ultimum, Nativitas jacentis in præſepio, & Mors pendentis in ligno, longè omnium maxima ſunt. Hæ duæ nimirùm ſcholæ, libri, Magiſtríq; duo, Principes illi duo fuêre Chriſtianorum fontes; unde virtutem, ſapientiámq; omnem, unde aquã eam, quam qui bibit non ſitiet in æternum, hauſerunt; quotquot erant inter eos ſani, & Sancti. Chriſtus infans & crucifixus, natus & mortuus, quem non impellit ad eum adorandum atque imitandum; Chriſtianus non eſt. Tu DEO, ac Rege Dominóque Cœli & terræ, myſterium utrumque cenſes indigniſſimum? cur? quia paupertatem & calamitatem, poſt natos homines ſupremam, exhibet naſcens, moriénſque. At ſi verè ſaperes, inde venerari eum ac timere, inde cum præfatis miniſtris colligere deberes; aliquid humano multò ampliùs eſſe in illo: nunquam enim tam pauper, tam à mundo contemptus, tam extra omnem rerum caſuúmque humanorum ordinem, natus & mortuus eſt homo; quàm hic homo: quem non perſonæ vilitas & infirmitas; ſed myſterium admirandum quod operabatur, liberum ſpontéque ſuâ con-

conjecit in has miſerias. Si DEUS incarnandus, & habitaturus in nobis erat : ſi lux erat vera, quæ venit in mundum ad illuminandos nos ; qui ambulabamus in tenebris ſuperbiæ ac divitiarum, cupiditatum carnis, deſideriorum ſecularium: poteratnè, veſtram appello Cælites, & mundi Salomones ſapientiam ! poteratnè primum hujus ſuæ diſciplinæ Divinæ, ac lucis paradigma ponere aptius; quàm eſt in Betlehem poſitum ? Si Rex, ſummúſque Dominator Iſraël, naſci voluit in te, ô ſola magnarum urbium major Betlehem ! poteratnè, quò regnum ſuum non eſſe de hoc mundo demonſtraret, locum in tota regione tua, modúmque nativitatis, reperire is ſibi, finíque ſuo accomodatiorem ? *Prædicamus*, inquit Apoſtolus, *Chriſtum Crucifixum*: (idem eſt de Chriſto infante nato) *Judæis quidem ſcandalum*; *gentibus autem ſtultitiam*: *ipſis autem vocatis*, *Judæis atque Græcis*, *Chriſtum DEI virtutem*, & *DEI ſapientiam*. 1. Cor. 1. 23. hoc eſt, Chriſtus quem prædicamus crucifixus (paritérque natus in ſtabulo) judæis ſcandalum, gentilibus ſtultitia eſt ; nobis autem Chriſtianis, ſeu vocatis, eſt DEI virtus & ſapientia, ſive Filius DEI, Deúſque verus eſt : cujus virtute ac ſapientiâ digniſſimam hanc Nativitatem mortémque cenſentes, obſtupeſcimus. Hoc enimverò pacto debellanda erat rebellio, illuminanda & erudienda mundi pereuntis amentia. Nunc ex vobis quæro Antitrinitarii, mavultiſne judæi & gentiles eſſe, quàm Chriſtiani & vocati? ſcandalum, quò minùs DEUM eum credatis ; ſtultitia, quòd in hiſce rebus regnum in vita ſuum conſtituerit ; eritne vobis Chriſtus infans, & crucifixus ? recuſabitis adorare puerum ?

7. Non recusârunt Angeli : natum annunciant paſtoribus Paſtorem bonum mortalium omnium: hoc eſt DEUM altiſſimum. *Dixit illis Angelus : Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum ; quod erit omni populo : quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in Civitate Da-*

vid. Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium DEUM & dicentium: Gloria in altiſſimis DEO; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Neque obſtat, hæc paſtoribus foris, non Chriſto eſſe in ſtabulo dicta: Nam id totum ad glorificandum adorandúmque Dominum eſt ab ipſis factitatum. Non adorârunt inquies Chriſtum, ſed ſolum Patrem. Mentiri te Paulus teſtatur. Heb. 1. memoratus jam ſæpiùs; & ante illum citatus ab eo David Pſal. 96. ubi præcipitur, *adorate eum omnes Angeli ejus*: quod illi juſſi facere Chriſto; *cùm iterum introductus eſt primogenitus in orbem terræ*; Interprete Apoſtolo. Quem licèt, ùt & Pſalmum 96. de ſecundo Chriſti ad judicandum adventu loqui putent multi; alii tamen haud pauci exponunt de adventu ejus in terras primo, in ſecunda ſua & humana nativitate: feciſſe id Angelos & iſthic colligimus ex Evangelio allato; & in die judicii facturos, indubium eſt. Vobis Chriſtomachi, Chriſtus infans, pannis involutus & poſitus in præſepio, ſpectaculum eſt non magis vos, imò minùs quàm pecudes, ad pietatem & venerationem illius accendens: ſcriptum quippe novimus Iſa. 1. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſraël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Vos Phariſæi & ſcribæ novi, vultis ex hoc ſigno, quòd infans ſit, poſitúſque in præſepio, eripere illi Divinitatem, tanquàm homini notæ infimæ: Angeli de Cœlo deſcendunt ut eum in ſtabulo jacentem adorent; ſed & paſtores monentur mittuntúrque ab ipſis ad idem agendum. *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Prov. 3.

8. Jam Circumciſionem octavo die quid proferam? ſignum eſt illa peccatoris inquies: Quid nî? *Iniquitates eorum ipſe portabit.* Iſa. 53. Nunquam ſic circumciſus eſt homo, ſicut hic homo. Quamobrem? *Vocatum eſt Nomen ejus JESUS.* Hoc Nomen ſcimus eſſe ſuper omne Nomen, in quo curvandum

vandum eſt omne genu; eſt igitur adorandum ab omni creatura: quale Nomen nemo vel barbarorum credet, poſſe ulli, nisi DEO altiſſimo tribui. Datum hoc illi Nomen in Circumciſione ab hominibus; ab Angelis priuſquam in utero conciperetur: exaltatum verò eſt præcipuè poſt illius mortem: eâ re ſcriptum eſt, propter humilitatem crucis donatum eſſe, illi Nomen, ſuper omne nomen; id eſt donatam exaltationem Nominis publicam & univerſalem, in cœlo, terra, inferis. His enim præmiſſis meritis exaltare Pater eum; & ille ipſe voluit exaltari: ad quod jus aliunde ſummum habebat, & quà DEUS ab æterno; & quà DEUS homo factus, à primo Conceptionis, ſuæquè Incarnationis momento. Proinde immenſas fuiſſe Chriſti pauperis divitias, in ipſa etiam Circumciſione, nondum vides?

9. Aperi oculos, & proſpice adventum Magorum, à Prophetis prænunciatum. Erant hi tres ſapientes, & ùt prædicamus Reges, ab Oriente venientes, duce ſtellâ & Angelo DEI, ad Chriſtum puerum adorandum; quem jam adoraverant paſtores: Hi primitiæ Judæorum; illi gentium, ſive noſtrûm omnium ex gentibus ad Chriſtum vocatorum. Quærunt Jeroſolymis, *ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Nolite illum ibi, nolite in urbis illius regiæ quærere palatio: locus ubi eſt, divinitatem ipſius quàm maximè oſtendit. At Jeroſolymis doceri debebant ab omnibus Principibus ſacerdotum, & ſcribis populi, ubi Chriſtus promiſſus naſceretur: ſic erat per omnem Judæam promulganda Nativitas illius. Cur nullum adhuc Regem Judæorum natum, adoraturos veniſſe gentium exterarum Regulos audivimus? Profectò non caſu, ſed hujus ipſius pueri, & Patris ejus diſpenſatione, cuncta hæc evenerunt. Nunquam ſic natus eſt Rex ullus mortalium, ſic adoratus in cunis; ſicut Rex iſte. *Et invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus; &*

procidentes adoraverunt eum : & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum thus & myrrham : Regi aurum, thus DEO, myrrham homini mortali, ùt explicat concentus Sanctorum, & sapientum. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem ; per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Quid vis amplius, ad hujus pueri gloriam & Majestatem Divinam agnoscendam ?

10. Concludat stationem ejus in Betlehem, transitus inde in templum Jerosolimitanum. *Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.* O Templum veritatis quàm præfigurabas præsentiâ, multò sanctius, quàm unquam antea extiteris ! Recordare Synagoga verborum Malachiæ cap. 3. 1. *Veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis ; & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus Exercituum.* Ecce venit in Templum suum Dominus Templi. O felicissimum Simëonem, expectantem consolationem Israël ! hoc est DEUM Incarnandum : nec enim apud alium ulla, nedum *copiosa redemptio*, seu consolatio. Venit Simëon in spiritu in Templum, cùm induceretur puer JESUS ; quem quæsivit, & desideravit, statim agnovit : *accepit eum in ulnas suas ; (senex puerum portabat ; puer autem senem regebat* : canit Mater nostra Ecclesia) *& benedixit DEUM* &c. *Viderunt*, ait, *oculi mei salutare tuum ; quod parâsti ante faciem omnium populorum : Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Subjungitur : *Et erat Pater ejus & Mater, mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Christomachi nihil mirabile credunt latere, in istis dictis ; sed humana purè omnia. Mirabantur Parentes ejus, non tam quòd ignoraverint mysterium ; quàm quòd à Simëone, & Anna prædicari, quòd celebrari tantopere audiverint : vel mirabantur non tanquam tum primò ; sed tanquàm nunquam satis cognitum, & admirandum. Quidam Sanctorum Interpretum in catena Græcorum in hæc verba *transcendentium*, inquiunt, *rerum notitia, quoties in memoriam venerit*

nerit; *toties renovat in mente miraculum*, id est admirationem ciet. *Et benedixit illis Simëon*: & prophetizavit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël; & in signum, cui contradicetur. &c.* Eadem prophetaverat de Domino exercituum Isaias cap. 8. 14. id est de Christo: secùs hîc non repeteret de ipso Simëon; nec exponeret Petrus 1. Petr. 2. Paulus Rom. 9. Hæc Propheta senecio de puero: quid Anna Prophetissa Vidua sancta, & 84. annos nata? Ut sexûs utriusque senectus suum ferat testimonium: *Hæc ipsâ horâ superveniens, confitebatur Domino; & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël.* Quid loquebatur? venisse redemptionem Israël: hoc est Emmanuelem adesse; qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Quæ dicta sunt, brevi omnia complexus esse videtur, S. Ambrosius in Lucam commentans: *Non solùm ab Angelis, & Prophetis, & à pastoribus; sed etiam à senioribus & justis, generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, & uterque sexus, eventorúmque miracula, fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus expectat.*

11. Tertia pueri Divini statio est remotior, ac penè mirabilior, in Ægypto. Nunquam sic fugit, nunquam furorem tantum hostis persequentis, tam securus effugit puer; quàm hic puer. Turbatus est Herodes Rex Nativitatem illius à Magis inaudiens, & omnis Jerosolyma cum illo. Videns mox vulpes dolosa, quoniam illusus esset à Cœlo; *iratus est valdè*: *& mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu, & infra.* Macrobius lib. 2. Saturnalium cap. 10. de Augusto Imperatore scribit: *Cùm audîsset, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum, intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum; ait*: *Melius est Herodis porcum esse, quàm filium*: Judæi siquidem porcos non mactabant, Infantis Christi necem incertam, certâ

certâ tot millium infantium, filiíque ſui cæde, quorum vel nullus ùt evenit; vel non nisì unicus poterat eſſe Chriſtus; quærendam emendámque ſibi cenſuit, hoc portentum crudelitatis. Ergò Chriſtum in quolibet puerorum eorum-, corde ac voluntate ſuâ interficiebat: ſunt ii occiſi omnes pro Chriſto, & ſimul in ejus loco; ſunt primi Chriſti Martyres; quas primitias poſt mortem Domini ſequetur Sanctus Stephanus, cum myriadibus, & myridiabus SS. Chriſti Martyrum: cujus eſſe Martyrem, argumentum eſt Divinitatis ejusdem, multò maximum. O beatiſſimi pueri! ô agnelli ſydere ſub fauſto editi! victimæ oblatæ Agno DEI, pro nobis poſt aliquot annos in ſua propria carne immolando! Quàm meritò diem veſtrum feſtum colit à plurimis ſeculis Eccleſia! Origenes non longè poſt Apoſtolos in Matthæum homil. 2. *Bene*, ait, *& ſecundùm voluntatem DEI, eorum memoriam SS. PP. celebrari mandârunt ſempiternam in Eccleſiis; veluti pro Domino morientium.* Quàm meritò prædicere tantò antè mortem veſtram dignatus eſt Altiſſimus! cui enarratæ Matthæus ſubjicit: *Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita eſt; ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos; & noluit conſolari, quia non ſunt.* Audet impius Enyedinus, ùt Inſtit. 1. n. 2. dixi, Matthæi caput 1. examinans, Evangeliſtam ſugillare; quòd hunc locum Jeremiæ, malè applicuit Sanctis hiſce infantibus Martyribus: per quos advertebat pueri Chriſti Deitatem prædicari magnoperè. *Prophetа nec de Betlehem*, ait, *nec de Matribus infantium occiſorum illa ſcripſerat: aliud eſt Rama, aliud Betlehem; alia Rachel, & aliæ Matres hæ orbæ.* Mentiris in-, caput tuum. Sanctum Matthæum defendere pluribus, hîc non vacat adversùs illum; qui ſe non Julianum Apoſtatam, ſed Chriſtianum habendum cupiebat. Videantur Interpretes utriúſque loci, docentes non allegoricè tantùm, ſed ad literam

teram etiam huic fuiſſe alluſum ab Jeremia. Quid ? quòd ſenſus ipſi allegorici, ſunt non rarò literales ?

12. Cæterùm, quid interea puer JESUS, & Parentes ejus? Herodem, & omnem Jeroſolymam cum eo turbatam, ignorare non poterant; ſciebant infantem Divinum per Angelos, & paſtores in Betlehem, per Magos, poſtea Regulos, multò magis, per Simëonem & Annam denique, in templo Jeroſolymitano, vel maximè, ubique promulgatum : timuerint nè? an in latebras ſe abdiderint ? vel de fuga cogitaverint ? non lego : ſuaviter in ſinu DEI providentis, quem ſinu ſuo fovebant, quieſcentibus : *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens : Surge & accipe puerum, & Matrem ejus ; & fuge in Ægyptum ; & eſto ibi, uſque dum dicam tibi : futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Cur fugit, ſi fuit DEUS ? non quòd ab eo liberari ſecùs non potuit ; quem quinto ab infanticidio die, ùt Joſephus tradit, & ex illo Euſebius lib. 1. hiſt. cap. 8. Morte miſerrimâ interemit : ſed fugit, quia ſic omnem ſuam juſtitiam implere voluit : quomodo etiam de cruce non deſcendit, quia noluit. Cur in Ægyptum fugit ? *ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Oſe. 11. 2. Exulaverat populus ejus in Ægypto ; nonnè ipſe quoque ut impleret figuram, ibidem exulare debebat? Viſitaverat Natus plebem ſuam ; viſitandæ fuerunt à puero, gentiles etiam, plebs ipſius potiſſima futura. Jam famâ ubique inclaruerat in Judæa ; inclareſcere volebat & in Ægypto. Adoratus eſt in cunis ſuis à Magis, è gentibus ad eum venientibus ; venit & ipſe ad gentes, ut adoraretur ab ipſis in terra ſua propria. Prædixerat id Iſaias 19. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum ; & commovebuntur ſimulacra à facie ejus.* Quod expletum ſcribit Hieron. in eum locum, idola reverâ corruiſſe narrans in Ægypto,

ad ingreſſum Chriſti ; cui plures alii, ùt Palladius, & Ruffinus &c. ſubſcribunt. Manſio illius in Ægypto, quàm huic fructuoſa fuerit; veterum traditionibus docere prætermitto: poſt mortem Domini, vix alia in terris regio ſanctior, per aliquot æræ Chriſtianæ ſecula. Cogita hîc poſtremò, Majeſtatem Divinam pueri, cui Angeli tantopere geſtiebant famulari. Dixerat Angelus de itinere in Ægyptum admonito Joſeph : *Eſto ibi uſque dum dicam tibi.* Ergò avet redire iterùm, avet Regi ſuo ſervire ſæpiùs : tempore igitur à Domino conſtituto, apparet eidem in Ægypto in ſomnis rurſum ; jubet in terram Iſraël deportari puerum. Intelligens iſthic Joſeph, regnare Archelaum pro Herode Patre ſuo defuncto, cùm hunc etiam timeret ; *admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ ; & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetas : quoniam Nazaræus vocabitur.* Tota Spiritûs Sancti per Prophetas loquentis, tota Cælitum occupatio, eſt Chriſtus JESUS.

13. Quarta proinde Chriſti, ultimáque in Adoleſcentia & Juventute ſua ſtatio, ſit in Nazareth : unde Nazaræus & Galilæus vocatus eſt. Itabant Parentes ejus ſecundùm legem. Exod. 23. Deut. 16. in Templum die ſolemni Paſchæ. *Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, conſummatisque diebus, cùm redirent ; remanſit puer JESUS in Jeruſalem : & non cognoverunt Parentes ejus.* Perdi Parentibus innocnetibus, puer DEUS, neque ſtatim voluit reperiri ; ſed cum dolore illorum ſingulari, quæri per triduum : quò repræſentaretur luctus Matris ac diſcipulorum, per triduum olim ſuper ipſo mortuo lamentaturorum. Juvat audire, quemadmodum loquatur Origenes, tantò Conciliis Chriſtomachorum Maſtygibus, Nicæno & reliquis anterior, exponens dolorem hunc & ſollicitudinem Parentum Filium inquirentium. *Quare anxiè adeò quære-*

quærebant? nunquam fieri poterat, ut perditum putarent infantem; quem Divinum esse cognoverant: verùm quærebant eum; nè quo pacto ab iis abiisset: quod magis puto ne revertisset ad Cœlos; cùm illi placuisset, iterum descensurus. Dolebat quia Mater erat; & Filii Mater immenso amore digni &c. Hactenus ille. *Et factum est post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos, stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus: Et videntes admirati sunt. Et dixit Mater ejus ad illum; Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt Verbum, quod locutus est ad eos.* Nunc ipse per se revelare incipit mysterium suum. Invenitur in Templo sedens in medio Doctorum: quæ authoritas pueri duodennis? Audit & interrogat eos: quo de argumento? Euthymius aliíq; credunt, de Messia: quem utpote translato jam à Juda sceptro ad Herodem alienigenam, expletísque 70. Danielis hebdomadibus, ac reliquis Prophetarum Oraculis, adveniſſe oportebat. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant,* (Doctores & Populus) *super prudentia, & responsis ejus.* Non dubito intra se dicentes: Quis est hic puer? nunquam sic locutus est homo, sicut hic duodeñis homo. Traduntur aliquot dierum infantes Divinô miraculô respondisse, locutíq; sapienter; sed non viribus suis, sapientiâq; innatâ: doctrinam hanc Dominus prudentiámque suam, esse propriam sibíque ordinariam, tum isthic, tum totâ reliquâ vitâ, ostendit omni sermonum suarum circumstantiâ. *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram* 1. Reg. 3. 19. dictum erat de Samuele Christi figura: quid de veritate ipsa existimandum? Expendamus porrò primum, quod scimus ab Evangelistis expresè relatum, verbum illius in vita, Doctores in templo docentis, Matrémque suam alloquentis. *Quid est,*

quòd

quòd me quærebatis ? Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe ? Prima puerorum ad magna natorum notantur verba diligentiſſimè. Cur, etſi plura priùs, eo ipſo etiam in loco dixerit; hoc tamen primum, Spiritus Sanctus per Evangeliſtas exarandum verbum ejus judicavit ? Primò nimirum ſuo à nobis legendo verbo, generationem ſuam æternam à Patre ſinè Matre, promulgare ; DEUM Patrem ſuum, ſe Filium DEI & eſſe DEUM, voluit annunciare. Quoties hanc Patris ſui appellationem repetet, hoc eſt centies, & centies, in curſu reliquo vitæ ſuæ ; in ipſa cruce, ultimóque verbo ſuo, ut illud huic primo reſpondeat : toties ſe verum eſſe DEUM proclamabit. Verè nunquam Patrem ſuum DEUM, ſic vocavit homo, nec ulla pura creatura ; ſicut hic homo. Nisì fuiſſet aliqua in illo, alia eſſentia naturáque inviſibilis ; quam à Virgine MARIA non accepiſſet, & quâ longè ſuperior muliere illa benedicta extitiſſet ; credimúſne, quòd pientiſſimus JESUS Matri ſuæ dilectiſſimæ, tum hîc, tum in Canæ Galilææ nuptiis, ea quæ legimus dixiſſet ? *Quid mihi & tibi eſt mulier ?* Eſt igitur is, præter humanitatem ſuam, aliquid etiam aliud homine puro majus ; cujus origo minimè pertineat ad mulierem. Si enim ſe toto fuiſſet ex illa ; *quid mihi & tibi eſt*, dicere in ea rerum periſtaſi Matri Sanctiſſimæ, Sanctus Sanctorum quomodo potuiſſet ? Nam quòd miraculô Divinô ex Virgine ſinè viri ſemine conceptus eſt ; ideò Genitrici dicendum ab eo non erat, *quid mihi & tibi eſt ?* prout nec Elizabethæ dicere potuit Joannes Baptiſta, quid mihi & tibi eſt Mater mea ?

14. Finit vitam illius quam tractamus privatam, verbis his Evangeliſta. *Et deſcendit cum eis* (hoc eſt cum Parentibus ſuis) *& venit Nazareth : & erat ſubditus illis. Et Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et JESUS proficiebat ſapientiâ & ætate, & gratiâ apud DEUM & homines.*

Horum

Horum ſingulorum myſteria non explico. Sapientiâ & gratiâ non eâ, quam infuſam in Incarnatione à Verbo accepit, & quam in Cœlo nunc habet; creviſſe ipſum in humana ſua natura, jam ſatis docui: ſed aliâ, quæ per experientiam & actus proprios habetur: vel intelligendus eſt creviſſe in pluribus, majoribúſque gratiæ ac ſapientiæ ſuæ indiciis externis depromendis. O quàm dives fuiſti Domine per totam Incarnationis tuæ diſpenſationem, in dictis factíſque tuis! quantis in quolibet myſteriis cæleſtibus prodigioſus! quæ Mater tua, ſapientior ſanctiórque omnibus hominibus & Angelis, conſervabat, conferens in corde ſuo, toto vitæ ſuæ tempore. Meditatio iſta, Chriſtianorum bonorum vita eſt & occupatio: Chriſtomachi nihil in te, nisi miſerias, dolores, perſecutiones, calamitates, humanas obſervare, intelligeréque volunt: nullum in verbis operibúſque tuis conſideratis, fidei ac pietatis Chriſtianæ ſenſum præſeferentes.

§. II.

De Prædicatione Chriſti.

15. PRoducamus eum è latebris in lucem hominum publicam, trium poſtremorum annorum; quibus prædicavit, promulgavit legem ſuam, Eccleſiam fundavit, ea quæ Patris ſui erant operatus, palàm, & apertè. Itaque ſtatio illius in terris quinta, fuit Judæa omnis. Infinita eſſent dicenda, totúmque meritò enarrandum Evangelium; ſi divitias ejus per hoc tempus; hoc eſt Divinitatis argumenta cuncta colligere vellem: quæ licèt adverſarium pertinacem ſingula plenè non convincerent; quodlibet tamen magnoperè ſuaderet: denique junctim accepta flectere deberent unumquemque rationis compotem, & Evangelio credere volentem, ad confitendum, Chriſtum eſſe DEUM altiſſimum. Punctis pau-

paucis circumscribemus hoc Mare Dominicum immensum; historiam eorum, quæ cœpit JESUS facere ac docere, incipiens à baptismate Joannis usque in diem, quâ passus & mortuus & glorificatus est.

16. Punctum ergò Primum sit Baptismus & Jejunium ejus. Præcedit armiger illius Joannes Baptista, Pœnitentiam prædicans, & baptizans in Jordane. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne; nè fortè ipse esset Christus: respondit Joannes dicens omnibus: Ego quidem aquâ baptizo vos; venit autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calcèamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni: cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Luc. 3. Matth. 3. Fatuus est, qui hæc elogia sustineri, qui baptismum in Spiritu Sancto institui, qui triticum istuc in horreum suum congregari, & paleas igni inextinguibili comburi, qui mundum hunc aream suam vocari, à pura creatura posse judicabit His præmissis. *Venit JESUS à Galilæa in Jordanem, ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Joannes, quem oculis carnis suæ nunquam antea, quod legimus, viderat; Christum continuò, lumine divino agnovit: quid enim id mirum, si ante annos triginta infantem in utero, infans in utero ipse, cognoverat? Divinam in illo reveritus Majestatem, recusat baptizare, à quo debebat baptizari: jubetur agere. *Baptizatus autem JESUS confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei Cœli: & vidit Spiritum DEI descendentem sicut columbam; & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Patrem, qui nunquam per se apparuit, non cernis; sed vocem illius audis: Filium cernis in carne sua baptizatum; Spiritum Sanctum in columba. Quid est hoc ô Christiani! aliud, nisi baptismi nostri, à quo vita incipit Christiana, præludium mirabile? cujus baptizamur in Nomine? Patris, Filii, Spiritus Sancti.

17. *Tunc*

17. *Tunc JESUS*, inquit Matthæus, addit Lucas, *plenus Spiritu Sancto: ductus eſt in deſertum à ſpiritu; ut tentaretur à diabolo. Et cum jejunâſſet* 40. *diebus*, & 40. *noctibus; poſtea eſuriit.* Lucas ſic habet: *Et nihil manducavit in diebus illis: & conſummatis iis eſuriit.* Qui eſurit quando vult, quando non vult, abſque cibo etiam & potu quamdiu vult non eſurit; de illo verè dixeris: nunquam ſic jejunavit, ſic eſuriit homo; ſicut hic homo. Tentatur eſuriens à diabolo ter: myſteriis tentationum ſcrutandis inhærere nolo. Primò & ſecundò tentans eum præmittit illud ſuum diabolus: *Si Filius DEI es.* Audiêrat Patris cæleſtis Oraculo, Filium eum ſuum à DEO in baptiſmo nominatum; multa de illo quæ præceſſerant, teſtimonia mira probè noverat: explorare vult, num verè Filius DEI naturalis, Verbúmque ſit æternum; an ùt apparebat, homo Sanctus, Filiúſque DEI non per naturam, ſed per gratiam tantùm adoptivus. Probabilis eſt multorum gravium Theologorum ſententia inquit Suarez, Luciferi peccatum hoc fuiſſe; quòd cùm revelata ipſis fuiſſet futura Incarnatio Filii DEI; ſpiritus ſuperbus invidens humanæ naturæ conferendam præ Angelo unionem hypoſtaticam cum Verbo, & indignatus DEUM hominem à ſe adorandum, rebellaverit Altiſſimo. Quocirca Chriſtum modis nondum auditis vocari Filium DEI advertens, an hic ſit ille, cui ſe olim ſubdere nolens propter eum contemptum damnatus eſſet; ſcire furens appetebat. Victus ter *reliquit eum diabolus*; & *ecce Angeli acceſſerunt*, & *miniſtrabant ei*: Angeli fideles, pulſo perduelle, miniſtrant illi; repetentes illud ſuum vetus: *Quis ùt DEUS?* Concilium Conſtantinopolitanum Oecumenicum V. in Conſtitutione Vigilii Papæ pertinente ad collationem 5am. hæreticis iis, qui verba hæc, *miniſtrabant ei* exponunt; quaſi Angeli miniſtrâſſent Chriſto ùt aliis Sanctis, tanquam amico & domeſtico DEI, & non tanquam Creatori, Dominóque ſuo;

ſuo; dicit ſolenne anathema. Fulmen hoc ſcio rideri ab adverſariis; ſed rideant etiam Davidem, Paulúmque, mandatum Altiſſimi de Chriſto referentem: *Et adorent eum omnes Angeli DEI.* O verè ridiculi, quibus Spiritus Sanctus, & Sanctorum ſapientia ridicula eſt! Cæterùm anathema præfatum Concilii generalis, cadit profectò in alios quoque, argumentorum noſtrorum pro Chriſti Divinitate allatorum contemptores: ut exemp. causâ in eos, qui miracula facta eſſe à Chriſto reſpondent, ùt à Sanctis, & non ùt à DEO.

18. Punctum Secundum, Apoſtolorum vocatio. Iſti ſunt illi Duodecem-Viri, Eccleſiæ DEI Principes ſummi; quorum rudium quippe ac Piſcatorum vilitatem Chriſto exprobrant cum Judæis, Miniſtri Sarmatiæ, ac Tranſylvaniæ conſentientes. Non animadvertitis, ô impietatis, an rudiatis majora monſtra! per hos 12. debellatum à Domino inermi orbem terrarum? domitam idololatriam, ubique à ſeculis omnibus extra Judæam, atque adeò in illa etiam non modicè dominantem? Neſcitis hos 12. ſeſſuros in judicio ſuper ſedes 12. & judicaturos, 12. tribus Iſraël? Non legiſtis tot Prophetarum de illis oracula, déque numero eorum duodenario? ne plura memorem, duriſſimos lapides illos 12. juſſu DEI à Josüe in memoriam ſempiternam poſitos, in Galgalis caſtrorum locò, dum Populus & Arca per Jordanem prodigiosè tranſiret? rursúmque 12. alios in medio Jordanis alveo? Joſue 4. Attende quemadmodum colligat hos ſuos 12. lapides Chriſtus; & in illis Chriſtianos univerſos: *Qui ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipsô ſummô angulari Lapide Chriſtô JESU.* Epheſ. 2. Creaverat mundum, dicens verbum unum; *fiat, & facta ſunt omnia:* ille idem reparans, recreánſque nos perditos, dixit his duodecim piſcatoribus, fundamentis primitiſſque noſtris, verbum unum *ſequere me*: *at illi continuò relictis retibus & Patre, ſecuti ſunt eum.* Nunquam ſic ſocios, diſcipulos, milites ſuos

colligit

collegit homo; ſicut hic homo. *Arguit in hoc loco*, velitis nolitis audiendum vobis Hieronymum obtrudo; ut eum ſi derideatis, veſtram populus omnis Chriſtianus, derideat tantò magis amentiam: *Arguit*, inquit is in Matth. cap. 9. *in hoc loco Porphyrius, & Julianus Auguſtus, vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſint Salvatorem; quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti: cùm tantæ virtutes, tantáque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos antequam crederent, vidiſſe non dubium eſt. Certè fulgor ipſe & Majeſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat; ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in Magnete lapide & ſuccinis, hæc eſſe vis dicitur, ùt annulos & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulent: quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos vocabat.* Hactenus ille.

19. Sunt præterea verba ipſa vocantis piſcatores, cumprimis obſervanda. *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Homonè purus, aut Angelus aliquis, facere propriâ ſuâ poſſit authoritate, piſcatores hominum? impellere liberas hominum mentes abſque omni eſca humana, in retia Chriſti, naturæ noſtræ adeò contraria; DEI unius opus eſt. Repetite memoriâ quod Lucæ 5. ſcriptum eſt. Sedens in navicula Simonis Dominus dixit ad eum. *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete: & cùm hoc feciſſent; concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum &c. Et impleverunt ambas naviculas; ita ut penè mergerentur. Quòd cùm videret Simon Petrus; procidit ad genua JESU dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum Domine! ſtupor enim circumderat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant: ſimiliter autem Jacobum & Joannem filios Zabedæi &c. Et ait ad Simonem JESUS: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.* Ea piſcium materialium verbô Chriſti captura

ſtupenda, exemplum fuit piſcium ſpiritualium, hoc eſt animarum humanarum capturæ per eoſdem Apoſtolos in toto mundo, multò majori miraculo ſecuturæ. Prophetæ veteres quid ceperant per aliquot annorum millia, totâ nocte laborantes? penè nihil: nocte abſcedente, die autem appropinquante, Apoſtoli 12. paucis annis in omnem ſe orbis terrarum partem penetrantes, uno Magiſtri nomine verbóque armati, concluſerunt piſcium multitudinem ubique tam copioſam támque obſtupeſcendam; ut ex illa ſola captura, Chriſtum, procidentes ad ejus genua univerſi, Dominum ſuum Deúmque confiteri debuerint; quicunque ſanæ mentis, piſcatorum horum geſta viderunt, vel inaudiverunt.

20. Punctum Tertium, Miracula Chriſti: quibus is Divinitatem ſuam luculenter planè demonſtravit. Fecerunt inquis ea, & viri alii Sancti. At nullus tot ac tanta; nullus taliter; nullus, quod eſt ante omnia obſervandum, dedit aliis quoque penè infinitis poteſtatem illa faciendi: nullius in Nomine, ac virtute facta ſunt ea; quæ in Nomine, virtutéque Chriſti JESU. Divide Sanctos homines aut Angelos etiam thaumaturgos in duos ordines, qui ante Chriſtum, & qui poſt illum fuêre. Ante Dominum ad nos venientem, multò minora & pauciora ſigna ejuſmodi; quàm ab illo ùt ipſe teſtabatur; & vel maximè quàm poſt illum, in univerſo mundo facta, fiunt, facienda ſunt uſque ad conſummationem ſeculorum. Creatura pura nulla miraculum verum operari poteſt; nisì datum ſit ei deſuper: Chriſtus ea operatus eſt virtute ſuâ propriâ ſibíque naturali; nimirum virtute ſuæ Divinitatis, aut etiam humanitatis virtute, à propria ſua Divinitate illi communicatâ: Omnes pariter qui poſt Chriſtum hæc ſigna edunt, ediderunt, edituri ſunt; Chriſti virtute illa fecerunt, Chriſto invocato & in Chriſti nomine ſunt, fuerunt, futuri thaumaturgi. Si igitur miracula

cula Christianorum, sive Christi unius attendas; exclamandum tibi est cum Thoma, post signum tale visum credente, dicendúmque Salvatori: *Dominus meus! & DEUS meus!* Si copiam signorum ipsius consideras; ea duntaxat quæ scripta sunt, numera si potes: quæ autem scripta non sunt ex Joanne conjice, ita Evangelium suum concludente. *Multa quidem & alia signa fecit JESUS, in conspectu Discipulorum suorum; quæ non sunt scripta in libro hoc* Joan. 20. *sunt autem & alia multa quæ fecit JESUS; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Joan. 21. *De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit; nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Joan. 7. 31. Si spectas prodigiorum ejus magnitudinem, virtutem ea patrantis, facilitatem, Majestatem; nisi cum Judæis perfidis facere malis, DEUM illum esse altissimum nunquam negabis. *Si opera non feciſſem in eis*, inquiebat ipse Joan. 15. 24. & 22. *quæ nemo alius fecit; peccatum non haberent: nunc autem & viderunt &c. excusationem non habent de peccato suo.* Audi quod narratur Matth. 17. *Cùm veniſſet Capharnaum; accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma. Et cùm intrâſſet in domum; prævenit eum JESUS dicens:* (sciens ùt DEUS, quod erat Petro clàm ab exactore tributi dictum) *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis. Dixit illi JESUS: ergò liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* In hac historia vide, non solùm quemadmodum naturali suo quod in res omnes habebat dominatu, operetur prodigium; sed etiam ausculta quæ præmittit, Majestatem suam divinam Petro explicans: argumento à minori ad majus (ùt S. Chrysostomus, aliique Patrum

notârunt) uſus, ſi enim Reges terræ filios ſuos eximunt à tributis populo indictis; quomodo non ſit ab iis eximendus Filius DEI? Ingreſſurus ante paſſionem ſuam cum triumpho Jeroſolymam, *miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in Caſtellum quod contra vos eſt; & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolvite, & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit; dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos.* Matth. 21. 2. Plura ejuſmodi afferri poſſent miracula ejus; quibus DEUM ſe omnia ſcientem, & Omnipotentem, Dominúmque rerum omnium, verbo & opere probavit. Quod ſcriptum eſt de doctrina, idem de ſignis quoque illius omninò ſentiendum. *Admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus: erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens; & non ſicut ſcribæ eorum, & Phariſæi.* Matth. 7. Marc. 1. Luc. 4. Erat ſigna faciens, ſicut poteſtatem habens; & non ſicut Prophetæ, Sanctíque cæteri. Exclama igitur. Nunquam ſic miracula fecit homo, ſicut hic homo.

21. Ceſſa proinde obteſtor te; à blaſphemis his reſponſis tuis: non ſuâ propriâ, ſed Patris tantùm virtute faciebat ſigna: Patrem orabat ut ea facere poſſet; Patri eorum Nomine agebat gratias &c. Hæc ſiquidem omnia jam ſatis exploſa ſint. *Pater meus uſque modo operatur; & ego operor. Quæcunque ille fecerit; hæc & Filius ſimiliter facit. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & Filius quos vult vivificat.* Joan. 5. Rogabat quâ homo Patrem; gratiáſque illi agebat: quod ſoli appropriat Patri; re nihilominus verâ, & ſeipſum quà DEUM, & Patrem, totámque ſimul Sanctiſſimam Trinitatem humanitas illius orabat: gratias ei agens pro poteſtate illa, quæ nulli puræ creaturæ dari à DEO potuiſſet. *Pater* inquit, *venit hora: clarifica Filium tuum; ut Filius tuus clarificet te; ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis; ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Joan. 17. 2. Pater, totáque Sanctiſſima Trinitas, dedit humanæ Chriſti naturæ, uniendo eam cum Verbô,

Verbo, poteſtatem dotéſque omnes, quas ùt homo habuit, dedit inquam à primo Incarnationis momento: Pater ab æterno ſolus communicavit Filio ſuo Chriſto quà DEO, Divinitatem ſuam totam, per generationem ipſius æternam: propterea dicebat, *omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*; *& nemo novit Filium nisì Pater &c.* Matth. 11. 27. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Joan. 16. 15. *Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Joan. 17. 10. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*; *& quia à DEO exivit, & ad DEUM vadit.* Joan. 13. 3. Cur autem interdum; & quomodo ſignum edens oraverit Patrem; exprompſit Lazarum reſuſcitaturus: *Elevatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audîſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*; *ſed propter populum qui circumſtat dixi, ut credant quia tu me miſiſti.* Joan. 11. Quòd ſi verò præfractè negare vis confici ex his veram ipſius Divinitatem; ſupremum invictúmque robur, huic à miraculis argumento imponat, ratiocinatio certiſſima quam ſubjungo. Inficiari nequis ullô modô, quin evidentiſſimè concludatur ex tot tantíſque ſignis cæleſtibus, tum à Domino, tum à Chriſtianis in ejus nomine patratis; fuiſſe illum hominem, juſtum ſaltèm, Sanctum, DEO charum, veracem, viámque DEI in veritate docentem: At ſi DEUS non fuiſſet; næ ille, nec homo juſtus, veráxque: ſed bipedum omnium peſſimus & mendaciſſimus extitiſſet: quippe qui ſe DEUM eſſe omni vita oſtentâſſet. Ad falſam doctrinam confirmandam, nullum ſignum divinum fieri poſſe, cenſet lumen rationis, omníſque ſana Theologia. Itaque dico Chriſti doctrinam, cujus confirmandæ causâ operabatur is, & operatur miracula tanta, fuiſſe neceſſariò veram: ſed ipſius doctrina princeps ac potiſſima, eò tota tendebat, per ſe ſuóſque; ut credat mundus in Patrem, & Filium ejus unigenitum: credat in DEUM de DEO, lumen de lumine; credat, quòd utì clamabat, *ego in Patre, & Pater in me eſt*; *ego & Pater unum ſumus*:

sumus: credat illi Patris æterni oraculo apud Davidem: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Veritatis hujus inscrutabilis exponendæ confirmandæque causâ se venisse in mundum; prædicâsse, signáque fecisse innumerabilia, passim profitebatur: ùt paulò pòst fusiùs, manifestiúsque docebimus. Hæc igitur doctrina, si vera non est; si ùt Judæi blasphemantes redarguebant eum, se DEO æqualem, Deíque vivi Filium finxit iniquè: non is homo justus, sanctus, DEO charus; sed impostorum & impiorum omnium alpha, terræque filiorum scelestissimus fuit: jactationem hanc illius turpissimam, non tot prodigiis approbare Altissimus; at suppliciis mulctare sempiternis debuisset. Quapropter esto hæc una per se ratio, quòd prodigia quæ nemo alius ediderit; eum pro DEO vero adorandum tibi non satis persuaderet: si tamen accedat; quòd miracula ea universa sint ad suam veram Divinitatem docendam, ab illo patrata: quis te non mortalium omnium stultissimum judicabit; qui Christum & justum, veracem, sanctum ais, & DEUM esse Altissimum negas?

22. Punctum Quartum, Mortalium in DEUM peccata Christus authoritate propriâ remisit, eósque justificavit; sed id homini puro nulli, at necessariò personæ tali, quæ DEUS est altissimus, competere potest: Christus igitur homo simul, Deúsque sit verus oportet. Nescit quò se in hoc syllogismo vertat miser Enyedinus; jam majorem, jam minorem propositionem in dubium revocare conatus: sed evidenter certa est utraque. Nam imprimis habere per se potestatem remittendi peccata, quòd sit DEI solius; est tam ratione naturali, quàm verbo DEI omninò indubitatum. Injuriam in me commissam, nemo potest authoritate suâ condonare; nisi quis habeat in me, meáque jura potestatem: At in DEUM juráqua DEI, nulla fingi potest in ullo, extra DEUM potestas: nulla igitur authoritas in ullo alio, injurias in DEUM commissas dimittendi. Remissis peccatis suis,

homo

homo qui DEUM offenderat, liberatur à debito ſubeundi pœnam æternam; Deúsque jus vindicandi ſe adversùs illum, & puniendi eum remittit: hòc debitum peccatoris, hoc jus Divinum condonari per ſe poſſe ab aliquo, præterquam ab illo ipſo qui offenſus eſt, DEO altiſſimo; nulla barbaries concedet. Juri alterius hominis proprio, nos homines ejus æquales cedere non poſſumus; juri DEI pura creatura cedere poſſit? *DEUS qui juſtificat*: inquit Apoſtolus Rom. 8. 33. Apud Iſaiam cap. 43. ℣. 24. & 25. inquit DEUS ad Iſraëlem: *Servire me feciſti in peccatis tuis; præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me; & peccatorum tuorum non recordabor.* Ubi Chriſtum Filium DEI eſſe illum DEUM Iſraëlis exprobrantem populo ſuo peccata eorum, & converſionem gentium promittentem (quæ à Chriſto, & Apoſtolis in Chriſti Nomine peracta eſt) liquet ex Sanctis Patribus, totóque illo contextu. Ille, ille ipſe fuit DEUS is; cui præbuerunt propriè laborem iniquitates noſtræ: quem peccata noſtra impulerunt ad formam ſervi accipiendam; Patríque pro iis in ea forma ſatisfaciendum. Quid? quòd gentes etiam barbaræ, Judæi & Chriſtiani omnes, remiſſionem peccatorum ſuorum, à DEO uno petendam & expectandam, crediderunt ſemper? Unde cùm audiſſent dictum à Domino paralytico: *Fili dimittuntur tibi peccata tua; quidam de ſcribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis*, ajebant: *Quid hic ſic loquitur? blaſphemat: quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus DEUS?* Marc. 2. 7.

23. Jam verò Chriſtum etiam authoritate ſuâ propriâ dimiſiſſe peccata hominum, quid probem? Dixit ad Simonem Phariſæum de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: Mox ad mulierem: *Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant dicere intrà ſe: quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Luc. 7. Dixit ad Zachæum:

Hodie salus domui huic facta est ; eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Luc. 19. Dixit cruci affixus, ad latronem de cruce item pendentem, & orantem, *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, & dixit illi JESUS: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Ne plura : Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. *Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto ; & videns JESUS fidem illorum dixit paralytico : Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se : hic blasphemat : Et cùm vidisset JESUS cogitationes eorum,* (notà benè, non dicitur cùm revelatæ à Patre fuissent ei cogitationes eorum) *dixit : ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere ? dimittuntur tibi peccata tua ; an dicere, surge, & ambula ? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ; tunc ait paralytico : surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit & abiit in domum suam. Videntes autem turba timuerunt, & glorificaverunt DEUM, qui dedit potestatem talem hominibus.* In hoc exemplo advertens Enyedinus elabi se non posse, audet impudentissimè negare, peccata paralytici à Christo esse dimissa; sed morbum ejus duntaxat sanatum : peccatum inquit accipi pro effectu suo, qui paralysis fuit ; proinde verbis illis, *remittuntur tibi peccata*, significatum à Domino, ægritudine corporali esse illum, & non spirituali solutum. O insania! ô blasphema somnia cogitantium mala in cordibus suis! Nonnè primùm ei remisit peccata ipsius ? Deinde in documentum authoritatis divinæ, quam habebat ad peccata dimittenda dixit, *surge, & ambula ?* Nonnè duplicem hîc potestatem suam, & sanandi spiritualem, & sanandi corporalem morbum hominum, distinguit Christus ipse clarissimè, per antithesin componens utramque inter se? *Quid est facilius dicere?* quasi quidem hominibus certò facilius est, ægro à quo læsi sunt remittere injuriam ; quàm eum à morbo prodigiosè liberare.

24. Ali

24. Alii reſpondent ad hæc omnia, Chriſtum non propriâ, ſed à Patre tantùm delegatâ poteſtate remiſiſſe peccata : verùm & hoc in auribus Chriſtianorum eſt inſipientiſſimum commentum. Quotquot enim habuerunt in mundo poteſtatem remittendi peccata ; eam à Chriſto delegatam acceperunt : ùt Apoſtoli Matth. 18. Joan. 20. & eorum ſucceſſores Sacerdotes. His dedit ille juriſdictionem eam mirabilem, tum ad remittenda, tum ad retinenda mortalium crimina : in veteri Teſtamento nulli ea conceſſa facultas. Chriſtus igitur fons fuit in terris primus poteſtatis iſtius ; ùt & poteſtatis patrandi miracula, quæ à Chriſtianis facta ſunt : Chriſtus per ſe, ſuâque propriâ virtute fecit & ſigna, & hominum peccata dimiſit. Fuit is ſinè dubio delegatus à Patre, miſsúſque in mundum, ut eum ſalvaret ; ſed ut per ſe ; ſuámque virtutem Divinam ſalvaret. Nunquam ſic remiſit, remitteréque purus homo potuit delicta ; ſicut hic homo. Ab Apoſtolo, ùt jam meminimus, dicitur Heb. 1. 3. *Purgationem peccatorum faciens* : ubi adjicit græcus textus, *per ſemetipſum* : qui textus ab adverſariis magni fit, exponitúrque à græcis Sanctis Patribus. In Iſaia quoque modò citato, *ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas*, additur *propter me*. An Joannis Baptiſtæ celeberrimum de Chriſto teſtimonium ignoras? *Ecce Agnus DEI! ecce qui tollit peccatum mundi !* Joan. 1. 29. Ignoras quod Iſa. 53. 11. ſcriptum eſt de illo? *Juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos* ; & *iniquitates eorum ipſe portabit* : paulò antè ℣. 5. *Livore ejus ſanati ſumus*. Quoties juſtitia, pax, reconciliatio noſtra nominatur? Vide quæ de Nomine JESU, de Officio Salvatoris, ac Redemptoris attulimus. Hæc teſtimonia de Apoſtolis, qui delegatâ poteſtate remittebant peccata, ubi legis? Denique Chriſti verba, modúmque omnem quô peccata remittebat, Judæi ſpectantes & obſervantes, id ab eo fieri propriâ & principali virtute, eámque ſibi arrogari

arrogari authoritatem, crediderunt omnes ; ac propterea dixerunt: *Hic blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus DEUS* ? delegatâ ſanè authoritate, ſi velit Altiſſimus, quilibet hominum ea dimittere poteſt. At hanc Judæorum ſuſpicionem & cogitationem, Dominus cùm facillimè refutare potuiſſet; imò ſi falſa fuiſſet, debuiſſet, dicendo: erratis, non meo in Nomine, meáque poteſtate, ſed Patris peccata remitto : ille tantum abeſt ut hoc reſponderit; ut potius in ea ipſos opinione plurimùm confirmaverit ; poteſtatem eam ſuam miraculo paralytici ſanati comprobando. *Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem* (qualem ſcilicet vos intelligitis) *in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico, ſurge &c.* Petrus cum Joanne Actor. 3. claudum ex utero Matris ſuæ ſanans prodigiosè, cùm ad factum populus univerſus ſtuperet, reſpondit : *Viri Iſraëlitæ ! quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtrâ virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? &c.* Longa oratione oſtendit, id eſſe in Chriſti nomine, virtutéque perfectum. Ecce, qui delegatâ poteſtate operantur miracula, vel etiam remittunt peccata; qualiter agunt! Chriſtusnè arrogantior diſcipulis ſuis, & falsò ſibi attribuendæ Divinitatis fuerit cupidior ? O blaſphemiam inter Chriſtianos inauditam !

25. Punctum Quintum , Reſponſa Chriſti quibus ſe defendit, Sabbati violati accuſatus. Criminabantur eum ſæpiùs hoc nomine Judæi ; reprehendit illos non ſemel Dominus, de ſuperſtitioſa Sabbati obſervandi cura : ùt Luc. 13. & aliàs. Verùm præ omnibus notandum, pectoríque noſtro altè infigendum, quod ipſis Matth. 12. & Joan. 5. reſpondit. Apud Matthæum, (quod Marcus etiam & Lucas refert) *Abiit JESUS per ſata Sabbato; diſcipuli autem ejus eſurientes, cœperunt vellere ſpicas, & manducare : Phariſæi autem videntes dixerunt ei: Ecce Diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis. At ille dixit eis &c.* excuſat primùm ſuos exemplo Davidis, panes propo-

propoſitionis in neceſſitate cum ſuis comendentis : iterum exemplo Templi, ac Sacerdotum qui Sabbato jugulabant, excoriabant, diſſecabant, comburebant victimas in Templo; ſtatímque ſubjungit : *Dico autem vobis, quia Templo major eſt, hic*; id eſt ego, qui vellere ſpicas diſcipulos meos in Sabbato permitto ; major ſum Templô, imò Dominus ſum Templi; & is, cui victimæ illæ omnes & ſacrificia immolantur. mox etenim addit : *Dominus enim eſt Filius hominis etiam Sabbati.* Ego qui factus ſum per dignationem meam Filius hominis, Filiúſque ſum DEI, dignitate meâ naturali & æternâ ; Dominus ſum Sabbati, ac proinde auctor legis Moſaicæ Sabbatíque : in eo diſpenſare cum Diſcipulis meis poſſum. Adjungitur Luc. 6. Intrante JESU in alio Sabbato in Synagogam, ac docente : *Obſervabant ſcribæ & Phariſæi, ſi in Sabbato curaret ; ut invenirent, unde accuſarent eum. Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum :* quid igitur facit ? *Circumſpectis omnibus, dixit homini*, (habenti manum dexteram aridam) *extende manum tuam. Et extendit : & reſtituta eſt manus ejus. Ipſi autem repleti ſunt inſipientiâ, & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent JESU.* Chriſtomachi noſtri acta & dicta Chriſti, quæ referunt Evangeliſtæ, ad abjudicandam ei ſi poſſint Divinitatem examinantes, prorſus his iiſdem impelluntur affectibus.

26. Veniamus nunc ad Joannis Caput 5. Curaverat ibi JESUS Sabbato 38. annos languentem : dicens illi : *Tolle grabatum tuum, & ambula. Propterea perſequebantur Judæi JESUM ; quia hæc faciebat in Sabbato. JESUS autem reſpondit eis : Pater meus uſque modò operabatur ; & ego operor.* Hîc jam oculis quaſi ſpectandam demonſtravit ſuam ipſis Divinitatem ; ſi videntes videre, audientes audire voluiſſent. Rectè notavit Chryſoſtomus apud Matth. modò allegatum, à Chriſto diſcipulos ſuos, homines hominum exemplis defenſos ; nempe Davidis & Sacerdotum allatis operibus in Sabbato factis: iſthic verò ſe defendit, & verum æternúmque DEUM docuit exem-

exemplo DEI Patris operantis in Sabbato. *Pater meus usque modò operatur* : id est ab initio mundi usque modò creans, conservans, gubernans mundum perpetuò, immunis à Lege Sabbati operatur : & *ego*, Filius ejus naturalis, *operor* cum eo usque modò, súmque operatus ab æterno semper : nec enim ego sinè Patre, nec Pater sinè me, aut esse, aut operari potest. Ita S. August. Cyril. Chrysost. & quis non Patrum? Sequitur: *Propterea ergò magis quærebant eum Judæi interficere ; quia non solùm solvebat Sabbatum ; sed & Patrem suum dicebat DEUM, æqualem se faciens DEO. Patrem suum* in græco est, πατέρα ἴδιον · : id est Patrem proprium, sive naturalem, non uti Angeli & homines Sancti sunt, asciti duntaxat, & adoptati à DEO Filii. Verùm quod in hoc loco cumprimis animadvertendum est ; verba hæc sunt propria Evangelistæ, non autem Judæorum : si verò sunt Evangelistæ ; verba sunt Spiritûs Sancti, & veritatis infallibilis. Verissimum est igitur, quòd Christus Patrem suum proprium dicebat DEUM ; æqualem se faciens DEO : ergò vel is est æqualis DEO, Patríque suo ùt Concilium Nicænum loqui nos jubet, ὁμόσιος, seu consubstantialis ; vel est æqualitate illâ sibi pessimè arrogatâ, non minùs detestandus, quàm Lucifer, dicens ; *similis ero Altissimo* ; quam blasphemiam, nè tu quidem evincere audebis hæretice.

27. Argumentum hoc ab Ambros. Chrisostom. Hilar. Athanas. multísque aliis propugnatum, patet esse insolubile, ac plenè convincens. Quid enim respondebitis? verba illa non esse Joannis Evangelistæ, sed Judæorum ? Attende contextum omnem : dicit Evangelista primò ℣. 16. *propterea persequebantur Judæi JESUM ; quia hæc faciebat in Sabbato.* Cùm Dominus rationem facti sui adjecisset, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor &c.* Evangelista dicit rursùm, *propterea ergò magis quærebant eum Judæi interficere ; quia non solùm solvebat Sabbatum ; sed & Patrem suum dicebat DEUM, æqualem se*

faciens

faciens DEO. Si priora ſunt propria Evangeliſtæ ; ſint propria neceſſe eſt poſteriora item verba : ſtylus enim eſt idem utrobique. Proinde ſi primò relati Judæorum in Chriſtum odii, ſcilicet quòd *hæc faciebat in Sabbato*, cauſa, quam hiſtoricus ſacer affert, vera fuit ; odii majoris ſecundò allati cauſa, nimirum quòd proprium ſe DEI Filium, æqualem ſe faciens DEO, appellaverit, vera pariter fuerit oportet. Itaque veriſſimum eſt, ſicut quòd hæc fecerit in Sabbato ; ita quòd Patrem ſuum proprium, DEUM nominaverit, atque adeò æqualem ſe DEO fecerit. Spiritus Sanctus per Evangeliſtam loquens, imò & Judæi audientes Dominum, quid ſit eſſe Filium DEI proprium, operantem omnia æqualiter cum Patre, melius intellexerunt, quàm adverſarii noſtri velint intelligere. Unde auditis verbis Chriſti, Judæi, & Evangeliſta concluſit : dicit Patrem ſuum proprium eſſe DEUM; ſe igitur facit æqualem DEO : nec Judæi ſunt in eo mentiti ; multóque minùs Sanctus Joannes : ſed illi falsò, & per blaſphemiam hoc à Chriſto aſſeri exiſtimârunt ; iſte autem veritatem infallibilem ab eo prædicari ſanctè credidit, & mundo promulgavit. Tu cætera omnia juxta tuam impiam interpretationem, putares in hoc textu diſſimulanda ; id unum è verbis Evangeliſtæ, omnimodis expungendum velles, ſi poſſes : *æqualem ſe faciens DEO* : quod tamen legis etiam apud S. Paulum Phil. 26. quaſi pro defenſione Chriſti ſcribentem : *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO.* Nunquam hæc ab eo verba expreſsè dicta eſſe ſcio, *ſum æqualis DEO* ; ſed *Filium ſe DEI* proprium affirmavit, & probavit ; unde advertebant & Judæi, & aſſeveravit S. Joannes, ſequi neceſſariò, eſſe illum æqualem DEO.

28. At inquis, dici etiam ab Evangeliſta ; *quia non ſolùm ſolvebat Sabbatum* : hoc autem verum eſſe non poteſt ; cùm legem ille non violaverit : Ergò refert Joannes calumniam

niam tantummodo, & impoſturam Judæorum; neque ſuo proprio ex ſenſu loquitur. Reſpondeo, verè ſolvebat Sabbatum, ſed abſque peccato, & *materialiter* ùt ajunt; id eſt, *operabatur* Chriſtus in Sabbato curans prodigiosè infirmos: non autem ſolvebat *formaliter*; id eſt, contra legem opus ſervile vetitúmque agens, ac peccans, ùt calumniabantur Judæi: prior illa ſolutio Sabbati, eſt ex Evangeliſtæ mente: poſterior ex Judæorum calumnia. Nunquid calumnia falsúmque fuit, quòd Patrem ſuum proprium dixerit DEUM? quòd reſponderit, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor?* Eſtnè ab Evangeliſta ſcriptum? *Propterea quærebant eum interficere, quia exiſtimabant eum ſolvere Sabbatum*, & Patrem ſuum appellare DEUM, æqualémque illi ſe facere? certè non; *Sed quia hæc faciebat in Sabbato, & Patrem ſuum dicebat DEUM, æqualem ſe faciens DEO.* Quòd ſi ex ſenſu Judæorum loqui voluiſſet Joannes; dicere debuiſſet: propterea perſequebantur Judæi JESUM; quia peccabat hæc faciens in Sabbato: & magis quærebant eum interficere; quia non ſolùm peccabat in Sabbati legem, ſed etiam Patrem ſuum dicebat DEUM, æqualem ſe faciens DEO: cur ita nec ſcripſit, nec ſcribere potuit? quia videlicet nec ex ſenſu, nec in Judæorum perſona, ſed in ſua, & ex ſuo Spiritûſque Sancti ſenſu loquebatur. Ergò nisi Chriſtus fuiſſet Dominus Sabbati, & Filius Patri ſuo æterno æqualis; Evangeliſta de illo abſque omni dubio aliter loqui, errorémque Judæorum verba ejus audientium, ùt & iſta lecturorum Chriſtianorum, detegere clarè debuiſſet: neque Dominus potuiſſet, quod nihilominus fecit, opiniones has in hominum mentibus etiam atque etiam imprimendas, tantoperè promovere. Nam ùt patet ex Luc. 6. plurimíſque aliis textibus, hôc magis patrabat miracula in Sabbato; probabat hôc magis ſe DEI Patris Filium proprium, & Patri æqualem eſſe; quò Judæi magis ob id eum blaſphemum proclamabant. Dixitnè aliquando? *nè ſcandalizemus eos*, non facia-

faciamus ſigna in Sabbato ? prout dixit, cùm tributum illud de quo ſuprà egimus ſolvit ; cujus lege ſe non teneri Petrum docuerat. Dixerat Joan. 2. 19. *Solvite Templum hoc ; & in tribus diebus excitabo illud* ; ſed verba ejus in ſenſum accipientibus alium auditoribus, hîc idem Evangeliſta continuò ſubjecit : *ipſe autem dicebat de Templo corporis ſui.* De Joanne iſto dixerat : *ſic eum volo manere donec veniam. Exiit ſermo iſte inter fratres ; quia diſcipulus ille non moritur :* Quid Evangeliſtæ calamus ? ad ſermonem verborúmque Dominicorum intellectum illum cohibendum, addit : *& non dixit ei JESUS, non moritur ; ſed ſic eum volo manere donec veniam.* Joan. 21. 23. Exiit ſermo iſte ô Domine ! inter omnes fratres tuos per orbem univerſum, ex innumeris verbis actiſque tuis, nobis intimè infixus ; quia tu DEUS de DEO, Patri tuo æqualis ſis, fueriſque ab æterno : & tamen nec tu, nec Evangeliſtæ tui, ea verba & acta tua, diverſum in ſenſum eſſe interpretanda nos unquam monuerunt ; imò in ea nos fide confirmârunt ſemper mirificè. Nam hoc ipſo in loco verbis his ſuis, *Patrem ſuum dicebat DEUM, æqualem ſe faciens DEO*, adjungit hæc tua Diſcipulus quem dilexiſti : *Reſpondit itaque JESUS, & dixit eis ; Amen, amen dico vobis : Non poteſt Filius à ſe facere quidquam ; niſi quod viderit Patrem facientem : quæcunque enim ille fecerit ; hæc & Filius ſimiliter facit. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat ; ſic & Filius quos vult vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam ; ſed omne judicium dedit Filio : ut omnes honorificent Filium ; ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium ; non honorificat Patrem :* & reliqua. Totum ſiquidem illud Caput 5tum. ùt & Evangelium S. Joannis totum, eſt veræ Chriſti Divinitatis certiſſima demonſtratio. Si æqualis Patri ſuo, id eſt DEUS Altiſſimus non fuit ; infinitè minor eo, & inæqualis eſſe debuit, ùt eſt evidentiſſimum : poſtulatus igitur criminis tanti, æqualitatis ni mirùm hujus affectatæ, ac blaſphemus eô titulô judicatus, cur tacet ?

cet? cur nusquam negat? non purgat se? qui alapâ percussus, quasi Pontificem inurbanè allocutus, respondit ministro percutienti: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis?* Joan. 18. Patrísne sui gloriam, præ Pontificis honore, indefensam relinquet? cur Evangelistæ saltèm, non ea, unde blasphemiam hanc ipsius colligebant Judæi, aliter interpretantur? non defendunt Magistrum suum? quin imò æqualem Patri se facientem, magis magisque repræsentant mundo studiosè? Quare quemadmodum scripserat titulum mortis ejus Pilatus, & posuerat supra crucem: *JESUS Nazarenus Rex Judæorum*: Pontifices autem dicebant Pilato: *Noli scribere Rex Judæorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum*: ita mihi videntur Chrisostomachi legentes Joannem scribentem; *magis quærebant eum Judæi interficere, quia & Patrem suum dicebat DEUM, æqualem se faciens DEO*: videntur inquam Evangelistam rogare: noli scribere *æqualem se faciens DEO*; sed quia Judæi putârunt æqualem se fecisse DEO: at quod Pilatum Judæis, idem Joannem ipsis respondentem audire mihi videor: *Quod scripsi, scripsi.* Sed de his istóque argumento sit satis; cujus & suprà occurrit, & infrà recurret uberiùs explanandi occasio.

29. Punctum Sextum. Christus toto prædicationis, suæque nobiscum conversationis tempore, se aut Filium DEI, aut Filium hominis nominabat semper: vel quod erat ab æterno; vel quod in tempore fieri dignatus est pro nobis, mundo inculcans. O admirabile duplicis in eo naturæ, ac generationis documentum! quam utramque tot ille argumentis exhibuit; ut omnis ipsius historia & œconomia, nihil repræsentare videatur aliud; quàm veram Domini Nostri Divinitatem, & veram pariter humanitatem. Diabolus, qui nec Divinam Majestatem, à qua deturbatus in infernum; nec humanitatem humilem Christi, per quam victus est, æquô ferre animô poterat: excitavit Marcionitas, & alios

hære-

hæreticorum veterum, qui non fuiſſe verum eum hominem, ſed apparentem tantùm prædicarent; argumentis id aſtruentes, quibus DEUM ſe, Filiúmque DEI eſſe docebat: excitavit Ebionitas, & Arianos, noſtróſque adverſarios, qui negarent veram in eo Deitatem; per argumenta, quæ carnem & humanitatem illius toti mundo palàm exhibebant. A prioribus illis, omnia, quæ ſunt humana in Chriſto; ab his, quæ Divina ſunt, cenſebantur eſſe phantaſtica, impropria, metaphorica. Virtus, & veritas conſiſtit in medio. Sancta & Catholica Eccleſia, inde uſque ab ortu ſuo, id eſt ab adventu Spiritûs Sancti credidit, credit, creditura eſt uſque ad finem ſæculorum, in Chriſtum Dominum noſtrum, & verum DEUM, & verum hominem; duas has naturas, in unitate Perſonæ ſuæ Divinæ ſubſiſtentes, complectentem; quâ fide tam ea, quæ carnem & humanitatem, quàm, quæ Divinitatem Domini, toto in volumine Bibliorum commendant, in proprio veróque ſenſu accipit: humana de illo DEO, de homine illo divina, cum Magiſtro ſuo Spiritu Sancto prædicans, utramque componit rectiſſimè Dominicam naturam. Ab hac duplice inferorum phalange, invicem tantopere oppoſita, oppugnandi eramus ſæpiſſimè, ut duplicem hanc in una Perſona Sponſi noſtri naturam, incomprehenſibili myſterio copulatam, cordi noſtro penitùs inciderem, crederemus firmiùs, coleremus religioſiùs. Verè beati, juxta illud Domini, *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me!* qui nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinaverit, à veritate, quæ Chriſtus eſt. Itaque jure ſummo poſſumus hæreſim præfatam utrámque percontari: cur tu ô Marcion! ea ſola quæ Filium hominis? tu ô Ariane! quæ Filium DEI ſonant in hiſtoria Chriſti, perturbas incredibili audaciâ, diſtortis, ſumméque violentis interpretationibus? procul dubio, quia eſtis ambo Chriſtomachi, & in Chriſto ſcandalizati,

vel potiùs ſcandalizari vol ntes ; alii veſtrûm dignitatem ejus æternam, alii dignationem infinitam in tempore ſecutam, tollere impiè contendentes. Utrùm ſe Dominus Filium hominis, an Filium DEI nominaverit ſæpiùs, penè ambigere poſſumus : quid eſt tamen, quòd Filii hominis titulum minorem, multò pauciores hæreticorum, & ii quoque ſolis ferè in primordiis Eccleſiæ ; quàm eminentiam Filii DEI oppugnaverint ? quòd veram ei Divinitatem furioſiùs, quàm humanitatem eripere diabolus contenderit ? Deitas inquis latebat oculos hominum ; humanitas patebat ; ſed nec illa intellectum noſtrum latuit ; qui ex iis quæ videmus atque audimus, argumentamur, ad ea, quæ nec videmus, nec ullo ſenſu percipimus, credenda. Nullum foret in Chriſto myſterium ; ſi nihil is in ſe, nisi quod videbatur, & ſenſibus uſurpabatur, abſconditum à conſtitutione mundi continuiſſet. Adverſarii noſtri cum Ario, & Ebione, inducere, aboleréque penitùs titulum Filii DEI, præ omnibus Domino ſolennem, ſtudent : ut ex iis, quæ ſuprà Inſtit. 4. de hoc ejus Nomine attuli, nec hîc repeto, liquet evidentiſſimè.

30. Punctum Septimum. Sint alia innumera, verba & opera Chriſti ; quibus divitias ille ſuas in paupertate ; id eſt, in carne mortali, Deitatem veram, æternam, immutabilem, trienniô ſuô ultimô paſſim ubique oſtendebat. Nulla pars Evangelii, pagina nulla, in qua id non leges ; nisi cor tuum ſit excæcatum, & adeò congelatum, ut videns non videas, audiens non audias, legens non legas. Carptim quædam perſtringamus : quò Chriſtum DEUM Altiſſimum, in hiſtoria Evangelica contemplari docêare. 1mò. propè Paſcha Judæorum, è templo vendentes flagello ejicit, authoritate majore ; quàm hominis puri eſſe potuerit. Id videntes diſcipuli, recordati ſunt, quia ſcriptum erat de illo Pſal. 68. qui totus eſt de Chriſto. *Zelus domûs tuæ comedit me.* Judæi verò interrogarunt eum : *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?*

cis ? *Solvite*, reſpondet, *Templum hoc*; & *in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de Templo corporis ſui.* Joan. 2. Corpus ſuum Divinitatis Templum vocat; *in quo inhabitabat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Coloſſ. 2. 9. Ergò poteſtatis ejus, quâ vendentes, réſque venales ejecit è Templo, nummulariorum æs effudit, menſas ſubvertit ; quâ dixit, *nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis* : ſignum oſtendet ; cùm corpus ſuum à Judæis occidendum in tribus diebus excitabit: quæ profectò, ùt in loco probabimus, non potuit nisì DEI Altiſſimi eſſe poteſtas. Repetit actum eundem ſub finem vitæ Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. dicítque iis, quos è Templo ejicit : *Scriptum eſt : quia Domus mea, domus orationis vocabitur ; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Quô auditô*, inquit Marcus & 18. *Principes Sacerdotum, & ſcribæ quærebant, quomodo eum perderent.* Quamobrem? nisì quòd verba de DEO Iſraëlis & exercituum ſcripta Iſa. 56. Jer. 7. ſibi applicuit. 2dò. Colloquium Chriſti cum Nicodemo. Joan. 3. attende : num purus homo ita loqui potuerit, mente ſanâ oro perpende. Similiter & verba, quibus eum ibidem paulò pòſt Joannes Baptiſta deprædicat. Colloquium Chriſti cum Samaritana. Joan. 4. quid eſt totum, nisì clara & elegantiſſima Incarnati DEI, Meſſiæ advenientis, Salvatoris mundi deſcriptio ? 3tiò. Dœmones. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. in regione Geraſenorum pellit. Quid illi ex homine, qui dœmonium habebat, agunt, dicúntque Chriſto? *Adoravit eum ; & clamans voce magnâ dixit : Quid mihi & tibi JESU Fili DEI Altiſſimi? Adjuro te per DEUM, ne me torqueas. Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extra regionem.* &c. Marc. 5. Ex quibus verbis concludunt Interpretes, Divinitatem Chriſti à dœmone agnitam ; de qua is dum eundem tentabat, dubitabat ; excæcatum tamen à ſuperbia ſua & odio Domini, hæſitâſſe in eo ipſo, & ægrè credidiſſe ; quòd Filius DEI ad carnem ſe aſſumendam humiliârit: multóque minùs,

quòd per illius mortem genus sit redimendum humanum: quia ùt ait D. Thomas, ne id certò resciscceret, multis à DEO modis impediebatur. Observa demum, quæ liberato à dæmonibus homini dixit Christus. *Vade in domum tuam ad tuos; & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset JESUS.* Lucas cap. 8. id sic refert: *redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit DEUS.* Quis DEUS? quis Dominus? citra dubium, quem homo curatus prædicabat JESUS.

31. Meditare 4to. Sermonem illius celeberrimum in monte. Matth. 5. 6. 7. capite. Luc. 6. Authorem & promulgatorem beatitudinum, paritérque legis novæ, antiquâ tantò perfectioris considera: spectà docentem, sicut qui potestatem habuit; & non sicut scribæ eorum, & Pharisæi: dicentem inter cætera; *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine! intrabit in regnum Cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est. Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in Nomine tuo Prophetavimus? & in Nomine tuo dæmonia ejecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos:* & quæ sequuntur reliqua, quid significant aliud; quàm ego & Pater unum sumus? mea & Patris mei voluntas, ac Majestas una est. 5to. Meditare Centurionis gentilis, cujus puerum paralyticum sanavit, fidem verbis illis explicatam, *Domine non sum dignus &c.* à Domino majorem in modum laudatam Matth. 8. Luc. 7. *Non inveni*, ajebat, *tantam fidem in Israël! Dico autem vobis: quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno Cœlorum; Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Si Centurio iste nihil aliud esse Christum existimâsset; quàm quòd passim in Israël à turba credebatur: eum scilicet esse unum ex Prophetis: poteratnè dici à Christo, *non inveni tantam fidem in Israël?* Quis est hic fidei nostræ arbiter? in quem credere sit salvari? qui Magdalenæ, plù-

pluribúsque aliis dixit, *fides tua te ſalvam fecit, vade in pace?* Verba Centurionis hujus Eccleſia in Euchariſtiæ communione non immeritò uſurpat. 6tò. Auſculta, Chriſti ad Judæos orationem Matth. 12. Luc. 11. poſtquam dœmoniô cæcô & mutô curatô, dixerant ei Phariſæi: *in Belzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*: cùm iterùm ſignum ab illo videndum popoſciſſent, eiſque reſpondiſſet; ſignum eis non eſſe dandum, nisì ſignum Jonæ Prophetæ, id eſt, nisì reſurrectionem ſuam à mortuis: quæ luculentum planè Divinitatis Chriſti fuit ſignum: poſt hæc inquam ſubjungit: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: & ecce plus, quam Jonas hic! Regina auſtri ſurget &c. & ecce plùs, quàm Salomon hic!* Quomodo plus tua, ô Domine! prædicatio, quàm Jonæ? plùs ſapientia tua, quàm Salomonis! ſi tu non nisì ſanctitate creatâ major Propheta, quàm Jonas; ſapientiâ creatâ doctior Salomone fuiſſes: quô nec fuiſſe; nec futurum eſſe ſapientiorem legebamus in ſacris literis? Næ tu nunquam cum tanta emphaſi pronunciâſſes de te; *ecce plus quàm Jonas hic! ecce plus quàm Salomon hic! ſi purus homo fuiſſes.* Nunquam ſic locuti fuerunt homines puri, & Sancti, & Prophetæ; ſicut hic homo, & Propheta. Dicebat Joan. 8. 50. *Ego non quæro gloriam meam; eſt qui quærat.* Et infrà, *ſi ego glorifico me ipſum; gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me &c.* Chriſtus enimverò non ſui, quà Filii hominis, ſed quà Filii DEI gloriam, ſive gloriam Patris ſui, ſuæquè propriæ Divinitatis quærebat, factis, dictiſque ſuis; Pater Chriſtum Filium hominis glorificabat. 7mò. Meditare parabolam zizaniorum; in qua ille Judex omnium ſupremus eſt, qui nequit non eſſe DEUS Altiſſimus; & Regnum Cœlorum, horreum eſt illius. Idem habet parabola etiam Sagenæ miſſæ in mare: utraque Matth. 13.

32. Meditare 8vò. Dominum Apoſtolos mittentem & inſtruentem Matth. 10. quibus inter cætera: *Nolite*, inquit, *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in Jehennam.* Marc. 12. 4. id hoc modô refertur: *Dico autem vobis amicis meis; ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit; habet poteſtatem mittere in Gehennam &c.* Quaſi dixiſſet, nolite timere purum ullum hominem vel creaturam; ſed me DEUM timete: qui & poſt hanc vitam, mortémque veſtram, habeo amplius quid faciam; qui poſtquam occidi, tanquam author vitæ ac mortis, poteſtatem habeo mittere in Gehennam Pergit enim Dominus: *Omnis ergò qui confitebitur me coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo.* id eſt, qui pro mei Nominis confeſſione, paſſus, aut mortuus fuerit: ùt fecêre omnes Chriſtiani Martyres; quorum ſanguis hâc voce Dominicâ inflammatus, Divinitatem Chriſti teſtatur, & clamat voce contentiſſimâ. Subjicitur etiam: *Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquam me; non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me; non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam &c.* Expende verba iſta, mundo planè paradoxa: & præcipuè, *pluſquam me, ſuper me, propter me, non eſt me dignus, confitebitur me, &c.* Chriſtúmque verum DEUM confitere atque adora; ſi eo vis eſſe dignus, hoc eſt ſi vis eſſe ſalvus. 9nò. De Pane cœleſti à ſe dando differens. Joan. c. 6. Chriſtus, quàm evidenter pandit Divinitatem ſuam! 10mò. Transfiguratio ejus Matth. 17. Luc. 9. quàm lucida eſt Patris & Filii, & Spiritûs Sancti expoſitio! In officio illius feſti cantat Eccleſia: *In ſplendente nube Spiritus Sanctus viſus; Paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite.* 11mò. Evangelium Joannis univerſum

ſum Chriſtomachorum malleus eſt. Caput illius ſeptimum, caput 8vum. caput 9num. caput 10mum. plenum eſt hujus Sacro-Sancti Myſterii documentis pulcherrimis. Ille qui dicebat: *Solus non ſum; ſed ego, & qui miſit me Pater. Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis; forſitan & Patrem meum ſciretis.* Ubi τὸ *forſitan* non dubitantis; ſed Judæos incredulos increpantis vox eſt, ùt ajunt SS. PP. prout & Apoſtolus ſcribebat, *puto autem quòd & ego Spiritum DEI habeam.* 1. Cor. 7. 40. Ille qui rogatus, *tu quis es?* reſpondit: *Principium, qui & loquor vobis*, ejuſdem Evangeliſtæ phraſi convenienter: *In principio erat Verbum. Et non cognoverunt* (pergit Joannes) *quia Patrem ejus dicebat DEUM:* hoc eſt dicebat ſe DEUM eſſe Altiſſimum. *Dixit ergò eis JESUS: Cùm exaltaveritis Filium hominis; tunc cognoſcetis, quia ego ſum.* Nam à mortè illius Judæi & gentes omnes cognoverunt, quia ille eſt: quid eſt? non purus homo; ſed Filius DEI, & Filius hominis, homo & DEUS, DEUS idem cum Patre ſuo. Ille qui cæco à nativitate quem curaverat, è Synagoga ejecto dicebat: *Tu credis in Filium DEI? At ille ait: credo Domine! & procidens adoravit eum. Et dixit ei JESUS: In judicium ego in hunc mundum veni; ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Ille Paſtor bonus, qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis; & cujus oves ſunt propriæ: & alias oves habet, quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet eum adducere: & fiet unum ovile, & unus Paſtor. Quid perſequar cætera? ſcrutari ſingula foret infinitum. Ille qui ſe in his locis ſermone, operéque Filium Patris Unigenitum ac naturalem eſſe; tam clarè docebat; poteſtnè Patri non eſſe consubſtantialis DEUS? in quo Pater ſit, & ille in Patre? 12mo. *Confiteor* ajebat Dominus, exultans Spiritu Sancto, *tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus: & reveláſti ea parvulis.* Quæ illa? ſubjungit: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo ſcit quis ſit Filius, nisi Pater; & quis*

ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Et converſus ad Diſcipulos ſuos dixit: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. &c. Matth. 11. Luc. 10. His tu ſi non perſuaderis; ut agnoſcas, credáſque cum Diſcipulis Chriſtum Filium DEI vivi, DEUM cum Patre unum: facis apertiſſimè cum Judæis, eum videntibus, & audientibus; quorum cæcitas & obduratio Iſa. 6. prophetizata eſt.

33. Cœnam 13tiò. magnam, cujus parabola Luc. 14. proponitur attendamus; in qua, ùt alia mittam, obſerva conclufionem parabolæ: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum guſtabit cœnam meam*: ergò beatitudo noſtra, & vita æterna Chriſtus eſt. Proximè dixerat: *ut impleatur domus mea*: ergò Regnum Cœlorum, & Eccleſia tam militans quàm triumphans, Domus eſt Chriſti. 14tò. Petro quærente Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergò erit nobis?* Duo pauperibus his Evangelicis miranda promittit Dominus. Primum eſt, quòd in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ; ſedebunt & illi ſuper ſedes duodecim, judicantes 12. tribus Iſraël. Alterum eſt, quòd centuplum eorum, quæ reliquerunt, in hoc ſeculo; & in futuro vitam æternam poſſidebunt. Nota præcipuè, cur debeant relinquere omnia; ut hoc tantum adipiſcantur præmium? apud Matthæum ait, *propter Nomen meum*, Luc. autem 10. 29. *propter me & propter Evangelium*. An verò propter puram aliquam creaturam, & in ejus Nomine, ſit apex, iſte Chriſtianæ perfectionis exercendus; ut corona beeris, hîc & in æternum inæſtimabili? purus homo & creatura ſit ille, qui judices in die illo judicaturos 12. tribus Iſraël conſtituat? 15tò. Lazarus in vitam revocatus, totúmque caput Joannis 11. hiſtoriam eam deſcribens, Divinitati Chriſti teſtimonium perhibet. Ægrotante illô dixit JESUS: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem; ſed pro gloria DEI*: cujus DEI: *ut glorificetur Filius DEI per eam.* Dixit Marthæ JESUS: *Ego ſum reſur-*

resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: utique Domine, ego credidi; quia tu es Christus Filius DEI vivi, qui in hunc mundum venisti &c. Miraculô peractô, Pontifices, & Pharisæi Concilium colligunt, quidque factô sit opus consultant. Caiphas inquit: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd JESUS moriturus erat pro gente; & non tantùm pro gente, sed ut filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Mors hominis puri num potuisset esse adeò efficax.

34. Specta Decimo sexto triumphalem Christi antè passionem suam ingressum in Jerusalem, Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Joan. 12. narratum. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quòd dictum est per Prophetam dicentem &c.* Zachariæ citati verba cap. 9. V. 9. sunt. *Exulta satis filia Sion: jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi, Justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum, filium asinæ.* Mysteria horum, ùt & sequentium non explano. Describit Propheta deinceps prædicationem, victorias, Majestatem Regis hujus: *loquetur pacem gentibus; & potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sanguine Testamenti tui, emisisti vinctos tuos, de lacu, in quo non est aqua.* Christum prædicit in sanguine Testamenti sui liberaturum Patres è Lymbo, descendentem ad inferos; ac postea missis per totum mundum Apostolis, eum per hos subacturum. *Et salvabit eos Dominus DEUS eorum in die illa; ut gregem populi sui; quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.* Concludit Zacharias, virtuti Eucharistiæ novellum gregem Christianorum pascentis, adscribens hæc omnia: *Quid enim bonum ejus est? & quid pulchrum ejus? nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines.* Utinam saperetis, & intelligeretis ista Christomachi! Legite obsecro

in

in quatuor Evangeliſtis citatis; ſed legite cum Spiritu Sancto, ſermones & acta poſtrema Domini, antequam caperetur; ſpirant mirificè cuncta, vel maximè apud Joannem, Divinitatem ejus: qui ℣. 37. *Cùm autem tanta*, inquit, *ſigna feciſſet coram eis; non credebant in eum: ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur &c.* Subjicit demum: *JESUS autem clamavit, & dixit: Qui credit in me; non credit in me, ſed in eum, qui miſit me. Et qui videt me; videt eum qui miſit me. Ego lux in mundum veni; ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat &c.* 17mò. Conſidera parabolas Chriſti reſiduas. Vix eſt aliqua earum, ac præſertim ultimarum; unde veritatem hanc ſublimiſſimam non intelligas; ſi cum Chriſtianis ſapias. In parabola vineæ Matth. 21. Luc. 20. poſt alios & alios ſervos, mittit Paterfamilias ad agricolas Filium ſuum; certò non adoptivum, ſed naturalem: *verebuntur* ait, *Filium meum.* Marc. 12. ſic eſt poſitum: *Unum habens Filium chariſſimum, & illum miſit ad eos.* Quid illi? *Hic eſt hæres, venite occidamus eum* inquiunt. *Cùm ergò venerit Dominus vineæ*, quærit JESUS, *quid faciet agricolis illis?* reſpondent Judæi: *malos, malè perdet; & vineam ſuam locabit aliis agricolis. Dicit illis JESUS: Nunquam legiſtis in ſcripturis? Lapidem quem reprobaverunt ædificantes; hic factus eſt in caput anguli: à Domino factum eſt illud; & eſt mirabile in oculis noſtris. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum DEI; & dabitur genti facienti fructus ejus. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Citat Pſalmum 117. quem de Chriſto loqui Scribis erat probè notum. *Cadunt ſuper eum* inquit S. Auguſtinus, *qui modò contemnunt, vel injuriis afficiunt: cadet verò ſuper eos, cùm veniet in judicium perditurus; ùt ſint impii, tanquam pulvis, quem proicit ventus.* Si dicas, nihil iſthic contra te: nam Dominus vineæ, qui mittit ad agricolas; qui eos perdet; qui vineam ſuam locabit aliis, eſt Pater: unde non ſequitur Filium eſſe DEUM. Reſpondeo per duos homines perſonâ

perſonâ & naturâ diſtinctos, hîc & ſæpius in parabolis, repræſentari unum DEUM, in duabus diſtinctis perſonis: quoniam nulla pura creatura poterat pluribus in perſonis, unam numerô naturam habere. Quare Dominus eſt vineæ Filius item, cùm ſit hæres; perdet æquè ac Pater agricolas, locabit vineam ſuam aliis, erit à Judæis reprobatus lapis angularis, duos parietes Domûs (Judæos & Gentes) conjungens. Patri Filius æqualis ſit naturæ neceſſe eſt, ſi Filius eſt ejus naturalis; & conſequenter, cùm natura Divina multiplicari nequeat, unius numerô cum Patre naturæ, unus cum eo DEUS. Qui Teſtamenti utriúſque caput eſt; qui vetus reſcidit, novo initium poſuit authoritate ſuâ; non erit tibi DEUS Altiſſimus? Parabola Regis, nuptias Filio ſuo facientis, & mittentis ſervos vocare ad illas. Matth. 22. an non exhibet oculis tuis Divinitatem Filii Regii Chriſti? Ad has nuptias, hoc eſt conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, vocabantur omnes ab exordio mundi; cujus in unius prævíſi meritis, Agni ab origine mundi occiſi, poterant filii Adæ ſalvari: qui diſcubuit non habens veſtem nuptialem; ligatis manibus & pedibus mittitur in tenebras exteriores. O admirandas nuptias! ô Filium Regis Patri ſuo verè conſubſtantialem, & æqualem! Parabola de talentis, & homine nobili decem mnas, decem ſervis ſuis dante, veritatem eandem demonſtrat perſpicuè. Quis dat nobis talenta, & mnas tam naturales, quàm ſupernaturales? quis ponit rationem nobiſcum? quis præcipit, *negotiamini dum venio*? quis dicere poteſt, *intra in gaudium Domini tui*, præterquam DEUS Altiſſimus? Idem exhibet parabola decem Virginum, parabola judicii extremi, & quæ non alia?

35. Docet hoc poſtremò, aliis plurimis prætermiſſis, Cœna Chriſti ultima cum ſuis; & præ omnibus inſtitutio Euchariſtiæ in illa: de qua exclamare poſſumus cum Judæis; Manna figuram ipſius colligentibus, dicentibúſque ad invicem:

cem : *Manbu ? quid eſt hoc ?* O diviniſſimum ! ô incomprehenſibile ! ô maximum poſt Sacro-Sanctam Trinitatem, & Incarnationem Dominicam, Fidei Chriſtianæ Myſterium ! quô renovatur quaſi aſſiduè uſque ad finem ſeculorum Incarnatio illa ; præſénſque redditur orbi terrarum is, quem Judæa 33. annos vidit : quô, ſicut in uterum Virginis deſcendit, séque carni noſtræ univit DEUS ; ita Chriſtus idem ſub ſpecie panis & vini de Cœlo deſcendens, offert ſe unicuique noſtrûm uniendum, & manducandum ac bibendum : in quo renovandum eſt ſemper ſacrificium cruentum crucis in ſalutem noſtram, modo incruento. Manna figuram & umbram pluit de Cœlo DEUS ; veritatem ejus & ſpiritum an pura creatura nobis dederit ? Nihil vos de hoc myſterio tanto ſingulare intelligere vultis ? Amen dico vobis, non guſtabitis cœnam illius æternam. Sermonem Domini longiſſimum, dulciſſimum, diviniſſimum, poſt cœnam, non recenſeo ; quem Joannes cap. 13. cap. 14. cap. 15. cap. 16. cap. 17. denarrat : pleniſſimus eſt Divinitatis Chriſti documentis clariſſimis.

§. III.

De Paſſione, Mortéque Domini.

36. STatio Chriſti ſexta in carne mortali, fuit Jeroſolyma ubi paſſus eſt, fuit crux in qua mortuus, ſepulchrum in quo corpus ejus poſitum eſt. In hac parte ultima vitæ ſuæ, ſe quidem ſuper omnia oſtendit hominem mortalem ; ſed etiam vel maximè oſtendit DEUM immortalem. Nunquam triumphâſſe viſi ſunt ſibi magis contra illum Judæi, & diabolus ; ſed nunquam etiam ab eo victi ſunt magis. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, inquiebat in paſſione ſua ; ſed ajebat item ſæpius antea, *nondum venit hora mea, tempus meum*

meum nondum advenit: paulò antequam caperetur *sciens quia venit hora ejus.* Joan. 13. Ergò fuit ea, & hora Judæorum, & hora Christi: tempus nimirùm & hora, de qua per Prophetam prænunciaverat: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*: *ero mors tua ô mors! morsus tuus ero inferne!* Ose. 13. 14. *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* 1. Cor. 15. 55. *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxii erant servituti.* Hebr. 2. 14. Ergò passio mórsque Salvatoris, infinitis humanam, infinitis divinam illius naturam, exhibuit in argumentis. Adversarii nostri, quia eum hominem purum ajunt; DEUM fuisse isto potissimùm ex capite negant: demonstremus nos contra illos, patientis, morientísque veram Deitatem; duabus summatim, innumera quæ dicenda essent, constricturi propositionibus.

37. Prima est: Christus passus, & mortuus est, in testimonium Divinitatis suæ. Occisus à Judæis fuit; quia se Filium DEI, Deúmque verum prædicabat, ac docebat: fuit proinde morte suâ Martyr, seu testis hujus suæ prædicationis: imò caput Martyrum. Quæro igitur ex te, utrùm fuerit verè, an non fuerit DEUS? Si fuit; per summam iniquitatem & impietatem tradiderunt eum Pontio Pilato Judæi, ac per manus illius occiderunt; ac tua pariter (qui negas Deitatem ejus veram) doctrina, est incredibilis blasphemia: Si non fuit, justissimé interemptus est; & opprobriis suppliciísque inauditis excruciatus: utpote qui fuisset impudentissimus, & conscelerati ssimus seductor; quod & tu horrebis dicere. Judæi perfidi, nè cogantur ejus Deitatem confiteri; admittere debent, justè à parentibus suis occisum Christum: hoc tu non audes apertè concedere; ne orbis terrarum Christianus te de blasphemia lapidet; & ut credere te illum; eiséque Christianus, tibi saltem videâre. Quid igitur reliqvum est, quod pro te afferre queas? nihil prorsus:

nisi

nisì dicas non fuisse à Christo prædicatam Divinitatem suam; neque titulo eo traditum eum Pilato à Judæis, & crucifixum: quod ego si luce meridianâ clariùs probavero; Argumentum istud Divinitatis Christi, est longè omnium maximum, & evidentissimum: est profectò adeò convincens; ut te omninò; Judæum autem (si jure mactatum Dominum is fateri vereatur) penitùs obmutescentem efficiat. Quare unicum hoc tuum effugium, ut obstruamus; basímque ac firmamentum argumenti solidemus; ita rem explico.

38. Christus prædicabat semper Patrem suum, DEUM esse Altissimum; séque Filium DEI vivi: quid certiùs? quid evidentiùs credentibus Evangelio? prædicabat porrò tam frequenter, modóque tam nunquam antè audito, tot hanc suam doctrinam scripturarum testimoniis, tot miraculis eum in finem factis comprobans: ut Judæi clarè intelligere potuerint, & intellexerint; quòd non Filium DEI adoptivum, vel unum tantùm è Prophetis, neque purum hominem, sed æqualem se DEO Patri, DEÚMque verum facere velit: in quo licèt illi non credentes in eum, scandalizati fuerint vehementer; Dominus tamen, non ut monuerit illos, aut discipulos suos, ne sint in eo errore; neve de se aliquid ampliùs, quam de creatura DEO chara sit sentiendum, existiment: sed contrà opinionem hanc ipsis, magis semper ac magis ingessit; mentibúsque illorum impressit; signa faciendo innumera, & quidem interdum de industria in Sabbato; suam cum Patre unitatem ineffabilem; & æqualem se illi esse majoribus semper ac majoribus documentis declarando quæ sunt ex toto vitæ Dominicæ à nobis explicato cursu manifestissima. Lege duo sola capita Joannis, sed attentè oro, animóque sincero, quintum; & decimum: in hoc decimo, ℣. 30. verba illa Christi: *Ego, & Pater unum sumus*: in quinto verò, ℣. 18. verba illa Evangelistæ p opria, id est, Spiritûs Sancti: *propterea ergò magìs quærebant eum Judæi*

dæi interficere; *quia non solùm solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat DEUM, æqualem se faciens DEO.* Repete memoriâ, quæ suprà prædicationem Christi tractans de his attuli. Hinc illa indignatio, & persecutio inexplicabilis Judæorum adversus illum. Messiam venturum esse Israëlis Salvatorem, sciebant: istum qui missum se à Patre ajebat, esse illum credere nolebant; paupertate illius & ratione agendi docendíque prorsus aliâ quàm expectabant, valdè scandalizati: ad hæc se ab illo crebrò increpitos acerrimè, superbi & iniqui ægerrimè ferebant; agi omnia non humanâ, sed superiore aliquâ potestate ab eo; & homine puro majora longè de se prædicari, audiebant, videbántque: Ne reprobaret ipsos, eorúmque sacerdotium; nè legem ipsam mutaret, testamentúmque, rescisso veteri, novum, inter DEUM & gentes omnes, (noto adhuc in sola Judæa DEO) conderet, scripturas volventibus erat suprà modum suspectum. Hunc ii nihilominus, non ùt debebant, DEUM cum humilitate adorârunt; sed ùt furor superbus, & obduratio impellebat eos, amentiâ correpti tartareâ, vias omnes quas metus populi permittebat, illius perdendi quæsiverunt. Hinc illa Caiphæ sententia: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo; ne tota gens pereat.*

39. Si quæras, cur non clarè dixit ipsis: Ego sum DEUS Altissimus? respondeo satis id clarè dictum; quando ea fecit ac dixit, quæ legimus: iterum quando, eum id dixisse intelligebatur; in eo intellectu, audientes amplius & amplius semper roborare voluit: denique visnè phrases DEO præscribere, Sanctóque Spiritui, quibus loquatur? Suffecerunt Judæis quibuscum loquebatur, ea verba quæ dixit; ut concluderent: *tu homo cùm sis, facis teipsum DEUM.* Joan. 30. 33. Visnè ut descendat rursus de cœlo, & phrasibus tibi tuis contradicat? Quæstio hæc tua, fuit ipsissima Judæorum

Joan.

Joan. 10. 24. Circumdederunt eum in Templo, in porticu Salomonis ambulantem, & dicebant ei: *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis JESUS: loquor vobis, & non creditis; opera quæ ego facio in Nomine Patris mei; hæc testimonium perhibent de me. &c.* At inquis, in Nomine Patris sui dixit, & non in Nomine virtutéque suâ propriâ, se opera illa facere. O insipientiam! ô cæcitatem duritatémque plusquam judaicam! isti enim verbis his prædicari colligebant, non ùt à Prophetis signa in Nomine DEI fieri ab ipso; verùm in Nomine Patris, cujus nomen & virtus sit eadem etiam in Filio: ideóque mox ùt sensum orationis suæ, quem Judæi optimè advertebant, pluribus in eandem sententiam adjectis, Christus confirmavit; *sustulerunt lapides, ut lapidarent eum:* quia utì dicebant, *tu homo cùm sis, facis teipsum DEUM.* At saltèm diabolus, ùt intelligentissimus, hanc ejus Deitatem scire, impediréque debuisset; nè morte suâ salvaret hominem perditum. Respondeo satis id quidem ab eo animadversum; sed impeditum divinâ virtute, nè id sibi penitus persuaderet: prout SS. Patres notârunt, & nos suprà meminimus. Hæc universa, duabus potissimùm interrogationibus Domini, manifesta & indubitata evadunt. Alterâ quâ scisitabatur Discipulos: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* rursus, *vos autem quem me esse dicitis?* ubi responsio Petri, *Tu es Christus Filius DEI vivi!* tantâ laude, tantóque præmio decorata est à Christo; ut non possit colligi ab homine sano, fuisse aliud à Petro dictum; quàm, Tu es idem cum Patre tuo DEO, DEUS. Alterâ, quâ Judæos rogabat, *quid vobis videtur de Christo, cujus Filius est?* ubi quæ mox ipsis objecit, erant ad ejus Divinitatem intelligendam, adeò clara & efficacia; ut subjungat Evangelista: *Et nemo poterat ei respondere verbum; neque ausus fuit quisquam ex illa die, eum amplius interogare.* Matth. 22. Nè

forte

fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum. Iſa. 6.

40. Jam verò præmiſſis his, veniamus ad ultimam, omniúmque maximam & evidentiſſimam eorum, quæ dicimus, confirmationem ; veniamus cum Filio DEI, comprehenſo & ligato, in domum Caiphæ principis Sacerdotum : in Synedrion Judæorum, omnium graviſſimum ; ubi *convenerunt omnes Sacerdotes, & ſcribæ, & ſeniores.* Nunquam ô Judæa ! ô genus hominum ! poſt mundum conditum Concilium tale tenuiſti. Nunquam ſic accuſatus, ſic judicatus, ſic eſt homo condemnatus ; ſicut tunc hic homo. *Principes autem Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contra JESUM; ut eum morti traderent: & non invenerunt; cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent.* Matth. 26. Marc. verò cap. 14. *Et ſurgens Princeps Sacerdotum ait illi : Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adversùm te teſtificantur ? JESUS autem tacebat. Et Princeps Sacerdotum ait illi : Adjuro te per DEUM vivum ! ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius DEI?* Hîc Rhodus, hîc ſalta, ô Domine JESU ! Qui priùs tacebas ; nunc ad hanc tam ſolennem, ſummi Pontificis, in Concilio ſupremo quæſtionem, aperi os tuum. *Dicit illi JESUS : tu dixiſti :* Marcus habet, *Ego ſum :* addit Chriſtus : *verùm tamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cœli. Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens : blaſphemavit ! quid adhuc egemus teſtibus ? ecce nunc audiſtis blaſphemiam. Quid vobis videtur ? at illi reſpondentes dixerunt : Reus eſt mortis.* Apud Lucam interrogatus, ſi tu es Chriſtus dic nobis, reſpondet : *Si vobis dixero, non credetis mihi ; ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis, ſedens à dextris DEI. Dixerunt autem omnes : Tu ergò es Filius DEI ? Qui ait : vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt : quid adhuc deſideramus teſtimonium ? ipſi enim audivimus de ore ejus.* Ergò convictum

de blaſphemia, quòd homo cùm ſit, fecerit, séque faſſus ſit ipſe DEUM, ſive quòd pro eodem habebatur, Filium DEI eſſe; ac propterea reum eſſe mortis; judicio Concilii ſummi condemnatum, tradunt Pontio Pilato crucifigendum. In hujus, ùt gentilis & ſupremi Romanorum in Judæa Magiſtratûs tribunali, urgent illius mortem potiſſimùm; quòd ſe Regem Judæorum appellavit; in ſummum nempe Cæſaris Romani præjudicium. Pilatus examinato reo proclamat: *ego nullam invenio in eo cauſam: ſciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum ſummi Sacerdotes.* Qualem invidiam? profectò non regiæ dignitatis ſibi arrogatæ; ſed quòd homo cùm ſit, facit ſe DEUM; ídque innumeris, antehac nec viſis, nec auditis probat miraculis. Poſt plurimas & acerbiſſimas correptiones illius, quibus exſaturari furorem hoſtium dimitteréque Chriſtum Pilatus cupiebat; flagellatum, & ſpinis coronatum, producit demum Judæis dicens: *Ecce adduco vobis eum foras; ut cognoſcatis, quia nullam invenio in eo cauſam.* Judæi clamant: *Crucifige, crucifige eum: Accipite eum vos*, inquit Pilatus: *& crucifigite; ego enim non invenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Judæi: nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori; quia Filium DEI ſe fecit.* Joan. 19. Non vides ulcus maximum, quod exaſperabat Judæorum animos? non audis cauſam principem, mortis Domino illatæ? Pilato quærenti, *unde es tu?* non dedit reſponſum JESUS: ſuam in eum poteſtatem axaggeranti, cùm intrepidè cæleſtíque ſapientiâ reſpondiſſet: *exinde quærebat Pilatus dimittere eum*: illi autem miris & inconditis clamoribus, ac terroribus, compulerunt infelicem; ut traderet ipſis juſtum, & Filium DEI crucifigendum. Crucifixo imponitur ſuper caput ejus cauſa ejus ſcripta, hebraicè, græcè, latinè: *JESUS Nazarenus Rex Judæorum.* Dicunt Pilato Pontifices Judæorum: *noli ſcribere Rex Judæorum; ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Judæorum: reſpondit Pilatus: quod ſcripſi, ſcripſi.* Erat enimvero adimplendum, quod

ceci-

cecinerat de illo David. Psal. 95. 9. *Commoveatur à facie ejus universa terra; dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*: adde, vel subaudi, ùt suprà monuimus, *in ligno*. Suspensô in Cruce Dominô, insultant Principes Sacerdotum, cum scribis, & senioribus: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce; & credimus ei*: *dixit enim, quia Filius DEI sum.* Mortuô eô *videns Centurio, quod factum fuerat; glorificavit DEUM dicens: verè hic homo justus erat.* Luc. 23. Marcus cap. 15. habet: *videns quia sic clamans exspirâsset; ait: Verè hic homo Filius DEI erat.* Matth. cap. 27. Additur: *Centurio, & qui cum eo erant custodientes JESUM, visô terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes: Verè Filius DEI erat iste.* Sicut verè Christus homo justus; sic verè Filius DEI, Deúsque Altissimus erat.

41. Ex hac historia liquet longè clarissimè, Christum esse occisum, quia se Filium DEI, cùm aliàs sæpissimè prædicabat, & comprobabat; tum vel maximè novissimè in Concilio supremo interrogatus à Pontifice: quô suô titulô, à nemine intellectus est, voluisse Filium se DEI appellare adoptivum; quales fuêre Moyses, Abraham, David &c. sed generationis, ordinísque alterius, hoc est Filium DEI naturalem, ac Patri suo æqualem: quæ fuit & Evangelistæ Spiritûsque Sancti. Joan. 5. 18. & Judæorum Joan. 10. 33. sententia: quam Christus tum Joan. 5. *&* 25. ac seqv: tum hîc in responso Caiphæ dato, confirmavit mirificè, documentô illô; quòd ipse mundum esset judicaturus: quæ gloria creaturæ puræ dari à DEO minimè poterat; siquidem eâ majorem coram mundo universo, DEUS nunquam habuit, nec habiturus est. *Ego sum*, vel quod idem est, *tu dicis*, ajebat ad Caipham: *veruntamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis, sedentem à dextris virtutis DEI; & venientem in nubibus cæli.* Quasi dixisset: quem nunc cernitis Filium hominis, & judicatis condemnantes eum, & interficientes; veniet aliquando ille in Majestate sua Filius DEI, judicaturus, con-

demnaturus, perditurus vos. Alludit ad duas de ſe prophetias: Pſalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos &c.* Et Dan. 7. 13. *Ecce cum nubibus cœli, quaſi Filius hominis veniebat: &c.* quæ certè utraque Chriſtum Dominum, Domino & Patri æqualem, Deúmque Altiſſimum deſcribit. Hæc illius confeſſio, extorſit verba illa ſolennia Caiphæ: *Blaſphemavit.* Num blaſphemâſſe illum, ſcindens veſtimenta ſua pronunciâſſet; ſi ſe Dominus purum hominem, ùt ùt ſanctiſſimum affirmâſſet? vel affirmâſſe creditus fuiſſet? num conclamâſſent omnes in Concilio, & extra illud? *Reus eſt mortis. Crucifige, crucifige eum;* quia cùm homo ſit, Filium DEI, Deúmque ſe fecit. Pilatus cauſam quidem mortis ejus ſcripſit, *JESUS Rex Judæorum*; ſed hæc cauſa Pilati magìs, quàm Judæorum erat, *authorem vitæ interficientium, volente illo dimitti.* At adverte titulô utroque, admirandâ DEI providentiâ, eandem Chriſti Divinitatem ſignificari; & quòd Filius DEI ſit, & quòd Rex Iſraël, cujus regnum non eſt de hoc mundo. *Domine memento mei cùm veneris in Regnum tuum:* dicebat ad eum Sanctus ille Latro. Quare certiſſimum eſt, Chriſtum propter aſſertam Divinitatem ſuam, propter prædicatum defensúmque voce, miraculis, ſanguine ſuo, Patris ac Filii, duarum Perſonarum Divinarum Myſterium, eſſe mortuum: eſſe Martyrem, teſtémque primum & ſupremum veritatis hujus, in DEO, ac Religione Chriſtiana omninò Principis. Quis tanto nondum credat Martyri, & martyrio? teſti & teſtimonio? De Chriſto JESU, *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra; Spiritus, & aqua, & ſanguis.* Pater, quando dixit ad eum: *Hic eſt Filius meus dilectus*: Verbum, quando ſuſcepit in ſe naturam ejus humanam; eámque ſuper omnia exaltavit: Spiritus Sanctus, quando deſcendit ſuper eum in ſpecie columbæ; ac potiſſimùm quando Nomen ejuſdem, à

toto

toto mundo adorandum, per Apoſtolos promulgavit. Hi tres teſtificantur in Cœlo Chriſtum eſſe verum DEUM, Filiúmque DEI. Tres pariter in terra, Spiritus, quem in manus Patris commendatum emiſit in cruce; aqua & ſanguis, qui è latere mortui exivit; quando nè fortè viveret adhuc, & ut eſſent de morte illius certiores, lanceâ ſcrutati ſunt, aperuerúntque latus ejus: hi tres teſtificantur eum eſſe verum hominem, veréque mortuum. O divina Cœli ac terræ teſtium conſenſio! & illorum, & iſtorum teſtimonio, Chriſtus JESUS eſt DEUS altiſſimus; quia pro æterna Divinitatis ſuæ veritate mortuus, hoc eſt ſpiritum, & aquam, & ſanguinem emiſit. Credis fuiſſe veracem? credis fuiſſe mortuum? ergò crede veritatem, quam morte ſuâ teſtatus eſt. O inæſtimabilis roboris argumentum! *O ſtulti, & tardi corde ad credendum*, qui nondum ei credunt! Qui ſunt, ſi non iſti ſunt, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium DEI, & oſtentui habentes?* Heb. 6. 6. Claudat hæc omnia locus elegantiſſimus Sap. 2. Chriſtum, & Chriſtomachos tantò antè vivis adumbrans coloribus: *Circumveniamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris; & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam DEI habere; & Filium DEI ſe nominat: & gloriatur Patrem ſe habere DEUM. Videamus ergò ſi ſermones illius veri ſint; & tentemus, quæ ventura ſunt illi. Si enim eſt verus Filius DEI; ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ, & tormentô interrogemus eum; ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius: Morte turpiſſimâ condemnemus eum &c.*

42. Altera propoſitio ſit hæc. In paſſione mortéque ſua, etſi oſtenderit Chriſtus humanitatem ſuam, ut cùm maximè; ſuámque Divinitatem viſus ſit quaſi occuluiſſe: non tamen minùs apparebat hæc æquè, ac illa perpetuò. Primò enim, *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Iſa. 53. 7. Præclarè Bernardus ſerm. 3. de purific. *Oblatus eſt, non quia meruit; non*

quia Judæus prævaluit : ſed quia ipſe voluit. Voluntariè ſacrificabo tibi Domine ! quia voluntariè oblatus es pro mea ſalute ; non pro tui neceſſitate &c. Non igitur oblatus eſt tantùm ; quia mortem quâ homo acceptans, Patri obedivit ; ſed quia ipſe voluit ; ſive quà DEUS unus idémque cum Patre, mandatum moriendi tulit humanitati ſuæ : ſiquidem & Patris & Filii una eſt & eadem divina & æterna voluntas. Martyrum cæteri mortem læti volentéſque oppetiverunt ; ſed non ita volentes, ut eam à ſe depellere, ut eripere ſe manibus carnificum pro libito ipſi ſuo potuerint ; ut hoſtes, & mors illis nocere nunquam, nisì aſſenſiſſent potuiſſet. Chriſtus in mundo unicus eſt, oblatus, paſſus, occiſus ; non quia Judæi & gentiles, ſed quia ipſe voluit, & hanc iis poteſtatem fecit, dicens : *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Hinc ajebat Joan. 10. ℣. 17. & ſeq. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me ; ſed ego pono eam à meipſo : & poteſtatem habeo ponendi eam ; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Purum hominem ita loqui potuiſſe, amens ſit qui cenſeat. ſubditur certè : *Diſſenſio facta eſt inter Judæos, propter ſermones hos. Dicebant autem multi ex ipſis : dæmonium habet, & inſanit. Alii dicebant : hæc verba non ſunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire ?* Veriſſimè dixiſti magne Apoſtole ! *In fide vivo Filii DEI ; qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Gal. 2. 20. Veriſſimè dixiſti Domine ! *pro eis ego ſanctifico me ipſum.* Joan. 17. 19. id eſt ſacrifico me ipſum : ùt explicat S. Leo epiſt. 83. Chryſoſt. hom. 81. Cyrillus, Auguſtin. &c. Unde patet Chriſti mortem fuiſſe verè ac propriè ſacrificium ; non item mortem Martyrum : quia Chriſtus quà homo, ſuâ Patríſque divinâ voluntate oblatus fuit, Patri, & ſibi quâ DEO ; Sacerdos unà, & ſacrificium, victima & Pontifex, & is cui offerebatur victima : Sacerdos & victima erat Chriſtus homo ; is cui oblata eſt hæc hoſtia diviniſſima ; erat Pa-

ter,

ter, Filius, Spiritus Sanctus. Christus homo dicebat: *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste; verùm tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Joan. 10. 18. Christus DEUS inquiebat; *Pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso. &c.* Quam suam divinam potestatem, antea etiam in vita sæpius, manifestè demonstraverat. Nazaretani cives ejus, prædicante illo in Synagoga, repleti omnes irâ, *surrexerunt & ejecerunt illum, extra civitatem; & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas eorum erat ædificata: ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Luc. 4. O prodigium! ô DEI & non hominis puri opus! *Ecce* ait hîc S. Ambros. *per medium illorum, mutatâ subitò, vel obstupefactâ furentium mente, descendit. Etenim quando vult capitur; quando vult elabitur; quando vult occiditur: quia nondum venerat hora ejus.* Taliter Joan. 7. 28. *Clamabat ergò JESUS in Templo docens, & dicens: & me scitis, & unde sim scitis; & à meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum; & ipse me misit. Quærebant ergò eum apprehendere: & nemo misit in illum manus; quia nondum venerat hora ejus.* Taliter iterum Joan. 8. 59. *Tulerunt ergò lapides, ut jacerent in eum: JESUS autem abscondit se; & exivit de Templo. Non abscondit autem,* inquit Augustus. *se in angulo Templi, quasi timens; aut in domunculam fugiens, aut post murum, aut columnam divertens: sed cælicâ potestate, invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit.* Si enim ad angulum se aliquem recepisset; scrutati eum ubique, procul dubio fuissent. Taliter etiam Joan 10. *postquam sustulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum;* suóque ipsos responso compescuisset: *quærebant ergò eum apprehendere; & exivit de manibus eorum.* Taliter denique in ipsa passione sua, monstrabat se DEUM, ponentem quando

vult, non ponentem quando non vult, animam humanitatis ſuæ.

43. Demus hujus rei exempla nonnulla. Judas acceptâ cohorte miniſtríſque Judæorum, venit cum laternis & facibus & armis ad comprehendendum eum. *JESUS itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum ; proceſſit & dixit eis : Quem quæritis ? reſponderunt ei : JESUM Nazarenum. Dicit eis JESUS : Ego ſum. Ut ergò dixit eis ego ſum ; abiêrunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Joan. 18. Duplex vocis tuæ miraculum Domine ! nam & fugavit eos ; & repulſos in terram proſtravit : non prônos antrorſum cadentes in pectora ſua, ùt obſervant interpretes ; ſed ſupinos retrorſum in dorſum lapſos : quò conſtaret liquidò, non eſſe vim eam ſternentem à tergo ; ſed à facie vocéque tua. Notant præterea SS. Patres à militibus & Judæis non fuiſſe reſponſum, te quærimus ; ſed *JESUM Nazarenum* : unde colligunt, divinâ ipſius virtute factum ; ut non agnoſceretur, quamvis Judæ jam oſculo manifeſtatus, & pluribus eorum aliunde notus. *Vides*, ait Chryſoſt. hom. 82. *Vim inſuperabilem : quomodo in medio exiſtens eos exœcavit.* Et Cyrillus : *Poteſtas ergò divina enituit ; qui quamvis ſe quærentibus offerret ; minimè tamen cognoſcebatur.* Huc alluſerat anteſignanus Judas, monens militiam ſuam : *Quemcunque oſculatus fuero ; ipſe eſt ; tenete eum, & ducite cautè* : Marc. 14. 44. Nè ſcilicet elabatur è manibus veſtris. Huc reſpexit Dominus ipſe dicens Petro : *Converte gladium tuum in locum ſuum. An putas quia non poſſum rogare Patrem meum ; & exhibebit modò pluſquam duodecim Legiones Angelorum* ? Matth. 26. hoc eſt, an non poſſum meâ, Patríſque virtute, nullô negotiô iſtos fugare ? Huc reſpexit dicens die altero Pilato : *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam ; nisì tibi datum eſſet deſuper :* Joan. 19. hoc eſt, nisì tibi datum eſſet à me, Patréque meo. Exhibuit rurſus hanc ſuam Divinitatem in comprehenſione ſui Chriſtus ; quando

Malchi

Malchi ſervi Principis Sacerdotis auriculam, à Petro amputatam, *tetigit*, & *ſanavit eum.* Luc. 22. Exhibuit in paſſione ſua tota, potiſſimúmque in morte. Exhibuit quando *à ſexta hora*, quâ crucifixus eſt, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*, *uſque ad horam nonam*, id eſt uſque dum moreretur: quando *inclinato capite clamans voce magnâ*, *emiſit ſpiritum*; qualiter nunquam purus homo mortuus eſt: inclinavit caput; ut facultatem daret morti vitæ ſuæ invadendæ: clamavit voce magnâ; ita ut videns Centurio, quia ſic clamans exſpirâſſet, dixerit: *verè Filius DEI erat iſte.* Exhibuit, quando ùt exſpiravit: *Ecce velum Templi ſciſſum eſt in duas partes*, *à ſummo uſque deorſum*: in teſtimonium Teſtamenti veteris morte Chriſti reſciſſi, figurarúmque revelatarum: & *terra mota eſt*, & *petræ ſciſſæ ſunt*, & *monumenta aperta ſunt*; & *omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud*, & *videbant quæ fiebant*, *percutientes pectora ſua revertebantur.* Nunquam prodigia tanta cohoneſtârunt mortem ullius hominis; quanta iſtius hominis, verè Filii DEI & hominis. Unam illam eclypſim ſolis, pluribus ex capitibus naturæ viribus ſuperiorem, in Ægypto tum Heliopoli ſpectans, ùt ſcribit ipſe Dionyſius Areopagita, gentilis adhuc, ex vetuſta traditione ferturexclamâſſe, attonitus tantô portentô: *Aut DEUS naturæ patitur*; *aut mundi machina diſſolvetur.* Quid plura memorem? ſepulcrum ejus, quod glorioſum futurum Propheta prædixit. Iſa. 11. 10. quid producam? vide quæ de his Apoſtolorum ſymbolum tractans Inſtit. 4. tradidi.

§. IV.

De Reſurrectione, Gloriáque Chriſti.

44. HIc eſt tertius, & ultimus Chriſti ſtatus, Leoni Ezechiëlis reſpondens. *Et unus de Senioribus dixit mihi*: *Nè fleveris*: *Ecce vicit Leo de tribu Juda*, *radix David*, *aperire librum*

librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus. Apoc. 5. 5. *Et Verbum Caro factum eſt, & habitabit in nobis.* Quid ſequitur? *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre.* Joan. 1. De Myſteriis hiſce Domini glorioſis, egimus fuſiùs in Symbolo Inſtit. 5. Clamant omnia voce contentiſſimâ, Chriſtum eſſe DEUM verum: & deſcenſus ad inferos, Sanctíque de Limbo per eum educti, ac reſuſcitati; & reſurrectio Dominica, & Aſcenſio in Cœlum, ſeſſióque ad dexteram Patris: & Miſſio Spiritûs Sancti; & Apoſtolorum per orbem terrarum diffuſio, Eccleſiam in gentibus omnibus Chriſtianam fundantium: & ſecundus demùm ad judicandum mundum adventus illius futurus. Admittíſne ſuâ propriâ virtute reſurrexiſſe triduanum jam mortuum? ſi admittis, & negas eſſe DEUM Altiſſimum, fatuus es, argumentis tecum non eſt diſputandum. Purus homo ſi mortuus eſt, vires proprias habere nullas poteſt; neque anima illius redire virtute ſuâ poteſt ad corpus ſuum animandum. Quòd ſi negas eum per ſe ipſum reſurrexiſſe; mendacii argueris, & blaſphemiæ convinceris clariſſimis Chriſti teſtimoniis. *Solvite Templum hoc; & in tribus diebus excitabo illud: ipſe autem dicebat de Templo corporis ſui.* Joan. 2. 19. *Ego pono animam meam à me ipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Joan. 10. 18. Alia prætereo, ſi ſuâ propriâ poteſtate, ſi à ſe ipſo ſurrexit, & excitavit ſe; vixit antequam reſurrexit, quia ſuſcitavit mortuum: ſed quà homo tunc non vixit; ergò evidentiſſimum eſt, fuiſſe illum aliquid aliud etiam præter hominem; quod vivebat ſemper, & quod reſuſcitavit hominem illum: fuiſſe nempe DEUM, qui mori nequit, & cujus eſt unius opus, virtute ſuâ excitare mortuum. Mori ſecundùm naturam humanam, & per eandem ſe reſuſcitare, tam eſt adynaton; quàm quod maximè. Si purus igitur homo is fuiſſet; mortuus ſimul vivúſque, in una & eadem natura extitiſſet: atque ita ſe mortuum vivens reſuſcitâſſet. Quæ

chy-

chymæræ? At inquis: dicitur sæpiùs à DEO excitatus esse. Quid tum? & istud & illud verum esse debet, quia Spiritûs Sancti Verbum est; at quoad diversas ejus naturas intelligendum: fuit enim DEUS & homo: quà homo, à DEO, id est à Patre séque ipso excitatus; quà DEUS excitans seipsum hominem. Tam crebrò, *resurgens*, quàm *suscitatus* à mortuis legitur. Pulcherrimè David Psal. 138. in illius persona: *Domine probâsti me, & cognovisti me; tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam*: quam sessionem & resurrectionem Christi, Passioni ejus & Resurrectioni applicat Ecclesia, in die Paschæ, Sanctos secuta Interpretes. Sessio enim situs est, corporis humilior; Resurrectio sublimior: humilitas, Passio, Mors Christi, sessio dicitur aptissimè; quia ex ea tam facilè, spontè suâ cùm voluit surrexit, suámque levavit humanitatem; quàm facilè nos sedentes exurgimus.

45. Nequè in his morari volo diutiùs; nam & adversariorum permulti, gloriam Domini ac potestatem resurgentis, nulli creaturæ puræ convenientem advertentes, fatentur post Resurrectionem, Divinitatem ei à Patre collatam. Sed quomodo id quæso? utrùm primò tum unita illi Persona Verbi? an verò natura illius humana mutata est in DEUM? O deliria! Qui purus DEUS erat, homo fieri potest; quia potest formam servi accipere, sive in se assumere, sibíque unire naturam nostram: at DEUS fieri qui purus homo erat, quî possit? non igitur primùm data est Divinitas, sapientia, potestas ejus summa, resurgenti; sed quando Verbum Caro, Deúsque factus est homo, in Conceptione, atque Incarnatione ipsius in utero Virginis: quando autem surrexit à mortuis, manifestata est tantùm palàm, universo mundo virtus ea & gloria; exaltatum est Nomen ejus, & à Cœlo, terra, inferis adoratum: Præter gloriam corporis, & hanc exaltationem Nominis sui, nihil adeptus est post Resurrectionem

rectionem ſuam Chriſtus, quà homo ; quod non habuiſſet antea : Divinitatem accepit quâ DEUS nullam ; quam non habuiſſet ab æterno. Audi orationem ejus ad Patrem, ante mortem ſuam. Joan. 17. *Pater venit hora : clarifica Filium tuum ; ut Filius tuus clarificet te : Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis ; ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Ego te clarificavi ſuper terram ; opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam : & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate quam habui, priuſquam mundus eſſet apud te &c.* Quæ ultima verba dicit de ſuæ Divinitatis claritate ; quam apud Patrem habuit æternam. Humanitatis verò ſuæ claritatem, licèt ad eam jus obtinuerit à Verbo in Incarnatione, per ipſam Unionem hypoſtaticam ; manifeſtationem tamen illius plenam, & gloriam ei competentem in mundo non habuit : verùm eam ſuâ etiam morte voluit mereri. Atque hæc eſt Chriſtiana, Orthodoxa, Catholica fides ; ſecundùm quam intelligenda ſunt verba Domini, poſt reſurrectionem : *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra* : verba illa cantantium. Apocal. 5. Canticum novum viginti quatuor Seniorum, *Et Angelorum multorum ; & animalium, & Seniorum ; & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magnâ : Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. &c.* Id eſt manifeſtationem horum. Agnus ille fuit homo ; ſecùs enim occidi non potuiſſet : ſed fuit ſimul & DEUS ; nam purus homo nec redimere nos morte ſuâ, nec excitare ſe à mortuis, neque cum tanta gloria in Cœlum aſcendere, ſedere ad dexteram Patris, mittere Spiritum nobis Sanctum, toto denique in mundo ſic exaltari, ac demum venire ad nos judicando : potuiſſet. Quæ omnia Filio DEI carne noſtrâ, in qua ſe tantoperè humiliavit veſtito, attribuenda decrevit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus : ſunt etenim & puro DEO pleráque inferiora ; & homine puro ſuperiora omnia.

46. Noto

46. Noto poſtremò, Myſterium Reſurrectionis Chriſti ſummum omninò, judicandum eſſe Divinitatis ejus teſtimonium. Unde Judæi ſcientes à Domino prædictum, ſuper omnia metuebant illud, & exhorreſcebant; cavebántque cuſtodientes mirè, mortui corpus, nè reſurgeret; nè ùt ajebant Pilato, furentur eum Diſcipuli ejus, & dicant plebi; *ſurrexit à mortuis; & erit noviſſimus error pejor priore.* Matth. 27. Quis eſt hic noviſſimus error? quô priore pejor? Prior error fuit, vita omnis, & Mors Chriſti; quæcunque dixit, fecit, paſſus eſt, Patri ſe DEUM æqualem probans: noviſſimus error pejor, hoc eſt eam, omnem ipſius doctrinam multò ampliùs roborans, eſt ejuſdem Reſurrectio. Ecquid ad vos ipſos perfidi, reliquóſque Chriſtomachos confutandos, ac Deitatem Domini veram declarandam, dicere clariùs poteratis? Id ipſum perſpicuè ſignificavit Chriſtus Matth. 12. Scribis & Phariſæis dicentibus: *Magiſter volumus à te ſignum videre*, reſpondens: *Generatio mala & adultera, ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, nisi ſignum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Nonne multa ſigna fecit JESUS poſthanc ipſam ſententiam ſuam? & tamen inquit, *ſignum non dabitur ei, nisi ſignum Jonæ Prophetæ*, id eſt reſurrectionis meæ, cujus typus erat Jonas. Quid ita? quia nimirum reliqua ſigna, quibus Divinitatem ſuam docebat, videbantur eſſe ad iſtud, præſertim apud obſtinatos Judæos, quaſi nec eſſent. Significavit clariſſimè Joan. 8. 27. ubi poſt multas illius cum Judæis diſputationes, ſcriptum eſt: *& non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat DEUM. Dixit ergò eis JESUS: Cùm exaltaveritis Filium hominis; tunc cognoſcetis quia ego ſum.* O duo invicta, & prorſus irrefragabilia, fidei Chriſtum DEUM Altiſſimum credentis argumenta! Mors & Reſurrectio Domini! Vel homo tantùm fuit qui ſuſcitatus eſt à mortuis,

ùt

ùt ipſe, tum per ſe, tum per David Patrem ſuum prædixerat, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Pſal. 15. Actor. 2. & tum, juſtus ac Sanctus fuit, quia rapinam abominandam arbitratus fuiſſet, facere ſe DEO æqualem, niſi fuiſſet; vel DEUS, etiam neceſſariò verus fuit; qui unus potuit Patri jure meritò æqualem ſe facere: unus potuit ſe, id eſt humanitatem ſuam ſuſcitare à mortuis. O increduli Judæi, quàm benè Joſephus hiſtoricus veſter ſcripſit de illo lib. antiqv. 18. cap. 4. *Eodem tempore, fuit JESUS Vir ſapiens; ſi tamen virum eum fas eſt dicere: erat enim mirabilium operum patrator; & Doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimóſque tam de Judæis, quàm de græcis ſectatores habuit. Chriſtus hic erat, quem accuſatum à noſtræ gentis Principibus, Pilatus cùm addixiſſet cruci; nihilominùs non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim illis tertia die vivus; ita ut divinitùs de eo Vates hoc, alia multa miranda prædixerunt: & uſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus, ab hoc denominatum, non defecit.* O quantò pejus ſentiunt, loqvuntur, ac ſcribunt de Chriſto adverſarii noſtri, quàm Judæus iſte; qui eum nihil præter *virum*, id eſt hominem purum, fuiſſe, blaſphemant!

47. Reliqvum eſſet, ut ex ipſius Aſcenſione in Cœlum admirabili, ex miſſione Spiritûs Sancti, ex Majeſtate venturi ad judicium, veram Chriſti Divinitatem demonſtraremus: at iſta & patent, & explicata ſunt ſatis. Quoties in Pſalmis applaudit David huic DEO Iſraëlis Altiſſimo, in Cœlum aſcendenti, & ad judicandum venturo? Unicum perbrevem Pſalmum 46. quem in Feſto Aſcenſionis uſurpat Eccleſia, relege: in verſibus illius penè ſingulis DEUS abſolutè nominatur Chriſtus. *Omnes gentes plaudite manibus; jubilate DEO. Aſcendit DEUS in jubilo; & Dominus in voce tubæ. Pſallite DEO noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite. Quoniam Rex omnis terræ DEUS. Regnabit DEUS ſuper gentes: DEUS ſedet ſuper*

ſedem

ſedem ſanctam ſuam. Principes populorum congregati ſunt cum DEO Abraham; quoniam Dii fortes terræ, vehementer elevati ſunt. Congregati ſunt hi Dii, cum DEO ſuo Abraham; quando è ſinu Abrahæ ſive Limbo Dominus Sanctos veteres liberatos, ſecum in Cœlum duxit, & vehementer elevavit. Jam Spiritûs Sancti miſſio, ſi tam Patri, quàm Filio tribuenda eſt; conſequentia eſt certiſſima, Filii Perſonam non poſſe minorem eſſe Spiritu Sancto, id eſt DEO Altiſſimo: mittens enim iſthic, nequit eſſe inferior miſſo. Atà Filio, Patréque ſimul miſſum eſſe mundo Spiritum Sanctum, quid eſt quod repetam, copioſè in ſymbolo probatum? *Si non abiêro*, ait Dominus, *Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiêro, mittam eum ad vos.* Joan. 16. 7. *Quem mittet Pater in Nomine meo.* Joan. 14. 26. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Joan. 15. 26. *Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis* inquiebat Matth. 10. 20. Apoſtolus viciſſim, *miſit DEUS Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba Pater.* Gal. 4. 6. *Si quis Spiritum Chriſti non habet; hic non eſt ejus.* Rom. 8. 9. Ad extremum, Judicis venturi Divinitatem Altiſſimam, in controverſiam vocare; ut nihil ampliùs dicam, atheiſmus eſt inſipientiſſimus.



INSTI-

INSTITUTIO VIII.

De Mysterio Sacro-Sanctæ & Individuæ Trinitatis, à Christo per totam Incarnationis suæ seriem explicato.

1. OStendimus Christum Dominum esse principale scripturarum omnium argumentum; imò & operum, quæ fecit Altissimus, finem. Ostendimus eum esse, Verbum æternum in tempore Incarnatum; DEUM esse pro nobis hominem factum: esse illum ipsum, quem Israël DEUM suum adorabat, & qui olim per Prophetas loquebatur; de Cœlo ad nos descendentem, & cum hominibus conversatum. Veram ejus Divinitatem, cum ea, quæ Patris est unam & eandem, ex Nominibus, ex officiis ipsius, ex attributtis, & operibus, ex omni vitæ cursu, & Oeconomia Incarnationis ostendimus. Nunc jactis his fundamentis inconcussis, demonstremus in Christo isto expositam, per hæc, quæ attulimus, mundo universo doctrinam in Deitate arcaniſſimam & sublimiſſimam, Sacro-Sanctæ & Individuæ Trinitatis: & quidem tam clarâ & ineffabili methodo; ut id certiùs ac mirabiliùs explicari; ut clariorem in hac vita Mysterii tanti cognitionem, mens nulla creata reperire, vel desiderare potuerit. Hoc illud est, quod ajebat, de se Dominus: *Ego sum Via, Veritas, & Vita. Ego sum lux mundi. Eructabo abscondita à constitutione mundi.* Hoc est, quod Joan. 1. dicitur: *Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. DEUM nemo vidit unquam; Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse ennarravit.*

§. I.

§. I.

Duas inprimis in uno DEO Perſonas conſubſtantiales, Patrem, & Filium dictis, factíſque ſuis univerſis explicavit Chriſtus.

2. QUid igitur eructavit? Patrem ſuum eſſe in Cœlo, à quo miſſus venit in mundum; ſe Filium ei æqualem, ejuſdémque naturæ, potentiæ, ſapientiæ; verbô, unum cum eo DEUM eſſe. Id omni ſuâ doctrinâ, Miraculis, Paſſione, Morte, ac tandem Reſurrectione, Gloriáque comprobavit. Id à veteribus prænuntiatum Prophetis, quos Judæi nolebant intelligere, ſæpiùs inculcavit: id unum ſpectabat quæſtio Diſcipulis propoſita Matth. 16. *vos autem quem me eſſe dicitis*? quæſtio Phariſæis objecta Matth. 22. *quid vobis videtur de Chriſto, cujus Filius eſt*? Primum & ultimum, quod ab Evangeliſtis expreſſum illius verbum accepimus, hoc idem ſignificabat. Primum erat ad Matrem pueri duodennis in Templo: *Quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Luc. 2. ultimum fuit morientis in cruce: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*; clamantis voce magnâ, atque adeò voce tantâ, ut inde Centurio attonitus exclamârit: *verè Filius DEI erat iſte!* Omitto primum in eadem cruce verbum ejus: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Hoc media ipſius, hoc verba ferè cuncta eructabant. Morti proximus ad Patrem: *hæc eſt*, inquiebat, *vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum DEUM, & quem miſiſti JESUM Chriſtum*: id eſt, ut cognoſcant te Patrem eſſe Filii Unigeniti, ut cognoſcant in te Filium tuum, & in nobis Spiritum Sanctum ſolum verum DEUM: ut cognoſcant & Myſterium Sacro-Sanctæ Trinitatis, & Myſterium Incarnationis Divinæ. *Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi,*

quod dediſti mihi autem, ut faciam : quale ſit opus illud, mox explicat : Manifeſtavi Nomen tuum hominibus (Nomen ſcilicet Patris æterni) *cognoverunt verè, quia à te excivi ; & crediderunt, quia tu me miſiſti.* Joan. 17. O Magiſtrum doctrinæ incomprehenſibilis incomprehenſibilem ! doctrinæ ineffabilis ineffabilem ! O Magiſtrum, ùt lucem veram, ita & lucidiſſimum ! *DEUM nemo vidit unquam* : quis videre crederéque potuiſſet, eſſe in eo generationem veram, æternam, naturæ ſuæ Divinæ competentem ? eſſe Patrem, eſſe Filium, eſſe Spiritum Sanctum, Perſonas tres in una eadémque Deitate conſubſtantiales ? Ergò Incarnatus eſt, homóque viſibilis factus Filius : hic ſe præter eum qui videbatur Filium hominis, Filium etiam eſſe Altiſſimi, naturalem & Unigenitum docuit clariſſimè, verbis, operibúſque ſuis omnibus : adeò, ut quicunque in Chriſtum crediturus eſſet, ſive ſalvus eſſe vellet ; in Patrem & in Filium, DEUM de DEO, lumen de lumine credere neceſſariò deberet.

3. Confiteor veniſſe te, ô Domine ! in terras, ut nos redimeres ; ut ſalvum faceres quod periêrat : ſed finem ſimul etiam alium adventûs tui fuiſſe video manifeſtè. Opera DEI cuncta ſpectant & utilitatem noſtram, & ante omnia Majeſtatis Divinæ gloriam. *Univerſa propter temetipſum operatus eſt Dominus.* Proverb. 16. 4. Hoc igitur opus Incarnationis tuæ, quod eſt cæteris univerſis excellentius, imò finis cæterorum præcipuus, quam gloriam tuam potiſſimùm ſpectabat ? Omnipotentiam, ſapientiam, & bonitatem manifeſtâſti ſatìs per ea, quæ feceras ; miſericordia verò tua & juſtitia in opere vel maximè Redemptionis reluxit : at hæc ipſa mundi redemptio, tuarum omnium perfectionum imago nitidiſſima, quid erat, quòd ſic à te, utì legimus, inſtituta eſt ? Nónne poterat Filius DEI venire ad nos ſalvandos, legémque ſuam docendos in carne viſibili, abſque eo quin ſe revelaret Filium eſſe DEI ? ac per conſequens, quin revelaret Patrem &

Filium

Filium Perſonas in una Deitate diſtinctas? nónne poterat incarnari, doceréque nos, ac mori pro nobis in carne DEUS, nullâ unquam à ſe factâ Patris, Filiíque DEI, & Spiritûs Sancti mentione? poteramus credere nos à DEO in humanitate aſſumpta redemptos, ignorantes Patrem ac Filium in Divinitate? Verùm non fuiſſet hoc, ô Chriſte JESU! opus integrum; quod ut faceres, dedit tibi Pater: defuiſſet ei pars divinæ gloriæ à te quærendæ nobiliſſima, vel planè maxima: quæ illa? dicere non potuiſſes ad Patrem: *Manifeſtavi Nomem tuum hominibus*; *cognoverunt*, *quia à te exivi*, *& crediderunt*, *quia tu me miſiſti*. Ergo definito conſilio DEI ſtatutum erat, ut & morereris pro nobis, & hæc eſſet vita æterna noſtra Chriſtianorum, ut cognoſceremus Patrem DEUM, & quem is genuit miſítque JESUM Chriſtum, ut in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti regenerati fieremus ac nominaremur Chriſtiani. Myſterii tanti revelatio, & explicatio univerſalis tibi Magiſtro uni reſervabatur à Diviniſſima Trinitate, veteribus te per tot ſecula expectantibus, aliquid ſub nube innotuiſſe de Perſonarum in una Deitate pluralitate non dubito; atque adeò è libris eorum ſacris intelligo, ſed clara Trinitatis hujus notitia & fides per te primum fuit, tuóſque Apoſtolos baptizantes quemlibet fidelium in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, per orbem terrarum expanſa. O Chriſtiani! utinam caperemus, quantus hic eſſe debeat ſtimulus in pectoribus noſtris ſicuti ad juſtitiam ſalutémque noſtram maximi faciendam, ita & ad credendam, colendámque ſuper omnia Trinitatem divinam: quòd nimirum ſumus pretió laboréque tantô & redempti, & in DEI trini atque unius fide inſtructi! Ecquod minerval dabimus Doctori ac Præceptori, quem oculi noſtri viderunt? nónne contendendum eſt nobis ſummopere, ut Myſterium à conſtitutione mundi abſconditum, expoſitum habentes ab illo, credamus, adoremus, colamus ardentiſſimè, tam noſtro,

quàm Patrum etiam veterum Nomine, qui tantò minùs de illo intellexerant? qui & ipsi eam, quam habuerunt veritatis hujus cognitionem, per Christum hunc præfiguratum acceperunt.

4. *Nos vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectaverunt vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* 1. Joan. 1. Vidimus, & audivimus Filium DEI, qui ut audiri cernique oculis, & auribus nostris posset, carne vestitus est. Carnem inquis ejus, non Deitatem vidimus? utique: nam ista in se ipsa oculis est corporeis invisibilis. Vidimus nihilominus hominem, & audivimus, & ex omnibus, quæ fecit, dixit, tulit, quæq; illi evenerunt, concludere necessariò debuimus: veracem, sanctum, DEO dilectum fuisse: proinde si se DEI Filium Unigenitum, æqualémque Patri actis suis omnibus, sermonibus, & eventis admirabilibus testatus est ac probavit, propter hæc, quæ oculis auribúsque usurpavimus, non potuimus de illius Divinitate invisibili dubitare: non potuimus absque enormi blasphemia vel cogitare, impostorem esse, omnium à mundo condito mendacissimum, & importunissimum. Satis igitur, & plusquam optare poteramus, vidimus Filium DEI. At Patrem non vidimus? vidimus, & hunc in Filio audivimus dicentem ad eum in Baptismo, & Transfiguratione ipsius: *Hic est Filius meus dilectus.* Posteaquam de Patre suo multa prædicâsset Christus curiositas videndi ejus corda etiam discipulorum pulsare cœperat, dicit ad eos JESUS: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei JESUS: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est &c.* Joan. 14. Ergò si vidimus, si cognovimus Filium, vidi-

vidimus & cognovimus etiam Patrem, qui sinè Filio, ùt & hic sinè Patre intelligi, aut esse non potest. Ergo non tantùm duas in Christo Divinæ Trinitatis Personas lucidissimè nobis explicatas cernimus, Patrem nempe ac Filium: sed & tertiam.

§. II.

Christus exposuit mundi oculis tertiam quoque in una Deitate Personam, Spiritum Sanctum.

5. O *Altitudo Divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! O investigabiles viæ ejus! Quis Consiliarius ejus fuit?* Rom. 11. v. 34. DEUS ille immensus & incomprehensus ita ordinavit hunc Christum suum, & œconomiam redemptionis per illum factæ, ut is quidem satisfaceret pro nobis cumulatè per adventum, vitam, mortem suam; non tamen ex hoc solo protinus, genus hominum omne salvandum esset: verùm sanctificari priùs, hoc est, fructum redemptionis mortísque Dominicæ, per gratiam ex meritis Christi profluentem, participare deberent, qui salvi fieri vellent. Dominus fuit & quà Creator, & præcipuè quà Redemptor; potuit de nobis, utì voluit, neque potuit disponere sapientiùs. Ergò applicanda nobis erat per gratiam Christi copiosissima illa Redemptio. Ad eam animabus nostris applicandam, ad harum gratiarum, donorúmque distributionem, ad fructum Passionis suæ in nos effundendum decrevit mittendum in terras post abitum suum, in forma visibili, Paracletum alium, Spiritum Sanctum, qui maneret nobiscum in æternum, doceret, regeret, sanctificaret; qui donis Christi sanguine partis repleret Ecclesiam. Quid ita? Nonnè Salvator mundi per se ipse poterat modis mille dona illa, fructúsque mortis suæ nobiscum communicare, absque visibili adventu ac præsentia Spi-

ritûs Sancti? absque tanta istius gratias suas in nobis operantis celebratione, quantam in libris Apostolicis legimus? poterat: sed qui jam Filium in carne, atque in Filio Patrem videramus, voluit Pater, & Unigenitus ejus, ut Spiritum quoque Sanctum in signis visibilibus cerneremus: voluit huic partem alteram redemptionis humanæ, divisionem nempe donorum, nostrámque sanctificationem nominatim & expressè committere, ut mundus in Patris, Filiíque Mysterio per Christum tantoperè illuminatus, per eundem Spiritum etiam Sanctum haud obscuriùs intelligeret, plenámque totius Sacro-Sanctæ & Individuæ Trinitatis revelationem acciperet. Hunc finem habuit missio visibilis Spiritûs Sancti super Apostolos tot prodigiis divinis coruscans; mansio ejusdem nobiscum, signis sæpenumerò externis, in Ecclesiæ vel maximè primordiis manifestata. Clarificaverat Patrem Filius, manifestaverat Nomen ejus hominibus, opus, quod ei Pater dedit, consummaverat; clarificare Filium quoque debebat Spiritus Sanctus, glorificare Nomen illius, opus, quod ei à Patre Filióque datum, consummare. Verum esse oportebat, quod Paulus sanctè affirmavit 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto.* Quis hinc non perspicuè intelligat verba illa tua Domine: *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat,* Joan. 8. 50. Est Pater, est Spiritus Sanctus, qui tuam quærat quærentis eorum gloriam.

6. In hac admirabili Spiritûs Sancti revelatione animadvertenda est differentia inter Filii DEI Christi, & Spiritûs Sancti ad nos adventum. Filius venit similis per omnia factus fratribus, humanam in se naturam taliter assumens, ut eam Personæ suæ Divinæ re ipsâ intimè uniret: ut verus simul DEUS, & verus homo in una Persona esset; ut quod semel ita assumpsit, nunquam dimitteret: neque solùm in terris haberet in nobis, sed carnem etiam nostram in Cœ-

lum

lum evectam ad dexteram Patris collocaret, regnaturam in æternum. Spiritus Sanctus advenit in forma non una, ſed jam flaminis, ſpiritûſque vehementis, jam linguarum, jam ignis, jam columbæ, jam in aliis ſignis viſibilibus, quas ſibi ſpecies hypoſtaticè minimè univit; nec enim jam vel ad redemptionem, vel ad exemplum nobis præbendum, vel ad amorem divinum erga nos declarandum tali ejus cum aliqua natura creata unione opus habebamus: neque formas illas cum ipſo uniri conveniebat. Quare Spiritus Sanctus nec ventus, nec linguæ, nec ignis, aut columba eſt, veréque prædicari poteſt; ſed tantùm apparuit nobis in his ſignis viſibilibus: quæ ipſa ſigna, præſentiam ejus indicantia; licèt præſens eſſet re verâ ſemper, & habitaret, operaretúrque in nobis; non voluit tamen apparere omnibus, & ubique, ac perpetuò: ſed interdum tantùm, & quaſi ad momentum: ſcilicet quibus, & quantùm ſatis eſſe ad id noverat; ut de ipſius veritate ac præſentia, de manſione nobiſcum, & operationibus in nobis, viſu etiam oculorum, & auditu certiores redderemur omnes. Itaque apparitiones hæ Spiritûs Sancti, ſimiliores erant iis, quibus DEUS in veteri Teſtamento videbatur, & audiebatur ab hominibus; quàm Incarnationi Filii DEI. Nam ſicut à Patriarchis viſus DEUS, non fuit verè ambulans in Paradiſo, ad auram poſt meridiem; non fuit vir, non Angelus, non rubus ardens & non combuſtus, non columna nubis, aut ignis: non ea ſpecies fuit, quæ oculis cernebatur; & ex qua loquens audiebatur: ita nec Spiritus Sanctus erat ignis, aut flamen, aut columba; quales præſeferebat formas. Verùm quemadmodum viſiones illæ Sanctæ, Patribus noſtris manifeſtârunt, revelatione certiſſimâ DEUM præſentem, loquentémque ad ipſos; ita etiam hæ Apoſtolis, & Eccleſiæ Chriſtianæ, Spiritum Sanctum, & ejus præſentiam atque operationes.

7. Quid igitur, quæres, ſingulare contulit nobis Chriſtianis in miſſione adventúque Spiritûs Sancti Dominus ac Magiſter noſter ? Primum id, quòd tertiam in Divinitate Perſonam clariſſimè manifeſtatam orbi terrarum expanderit. Apparuerat DEUS Abrahamo in convalle Mambre Gen. 18. vidit tres viros : ſed in iis tres Perſonas Divinas eſſe deſignatas, Synagoga univerſa ſcire non poterat. Apparuit Iſaiæ ſedens ſuper ſolium excelſum, audienti Seraphim clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS exercituum.* Iſa. 6. Sed tribus id Perſonis Divinis concini, non fuit Iſraëli revelatum. Legimus DEUM ; at Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum clarè illis apparuiſſe non legimus : nobis à Patre miſſum Filium, & ab utroque deinde Paracletum alium, nempe Spiritum Sanctum, Perſonam à Patris, Filiíque Perſona diſtinctam ; oculorum etiam, ſenſuúmque noſtrorum (in ſignis manifeſtis) experimento ſcimus. Alterum, quòd in hoc adventu Spiritûs Sancti conſecuti ſumus per Chriſtum, eſt, quòd licèt hic idem Divinus Auſter, fuerit in veteri quoque lege gratiarum ex Domini venturi meritis profluentium diſpenſator ; id tamen Nomine ſuo proprio tacito faciebat ſemper, & guttatim quaſi ſtillans in perpaucos rorem cæleſtem : poſt Chriſti autem Mortem, & Aſcenſionem adveniens, apertè, videntibúſque nobis, ac ſcientibus Nomen ejus in iſta die, ſcripturam quæ prædixerat implevit : *Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus : effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem ; & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt : & quidem ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo, & prophetabunt &c.* Joël. 2. Actor. 2. Actus Apoſtolorum conſule ; contemplare totam primitivam Eccleſiam, quantum effuderit gratiarum oceanum Spiritus Sanctus nobis apparens ; in illa videbis. Verbô unô, paucos intra annos dicere potuit orbis

bis terrarum : *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. 5.

S. Age verò ea, quæ diximus, ex ipso Evangeliorum fonte delibemus. Erat quidem in ipso etiam fœderis antiqui volumine mentio sæpiùs Spiritûs Sancti facta ; sed in nube, figura, caligine, neque cum clara illius expressione. Christus habitans in corpore mortali nobiscum, in Patre Filióque totus, in sua Patríque Divinitate una, demonstranda & inculcanda occupatus, cœpit sensim tertiam simul in Deitate Personam, Spiritum videlicet Sanctum à se mittendum manifestare clariùs; vel maximè apud Sanctum Joannem, quem inter Evangelistas proprium Divinissimæ Trinitatis historicum, meritò appellaveris. Ad Nicodemum Joan. 3. 5. *Amen amen*, ait, *dico tibi : nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto ; non potest introire in regnum DEI. Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis ; sed nescis unde veniat, aut quò vadat : sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Ad Samaritanam Joan. 4. 24. *Spiritus est DEUS, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. autem cap. 7. ℣. 37. & seqv. *In novissimo autem die magno Festivitatis, stabat JESUS & clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat spiritus datus ; quia JESUS nondum erat glorificatus.* O clamorem Domini Mysterio plenissimum ! In fluminis & aquæ vivæ symbolo, cum Joële Propheta, quem citat, & qui, ùt modo audivimus, explicatur à Petro Actor. 2. producit Spiritum Sanctum; congruenter ei, quod sedens supra fontem dixerat Joan. 4. Samaritanæ : *Si scires donum DEI, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere ; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Infrà : *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei ; non sitiet in æternum : sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis*

in vitam æternam. Aqua, ignis, aër, imò & terra. Actor. 4. 31. elementa omnia debebant esse Spiritûs hujus divinissimi signa, & symbola. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut accendatur?* Luc. 12. 49. Quem ignem cum plurimis Sanctorum Patrum, Spiritum esse Sanctum aptissimè interpretaberis. Mitto cætera. Omnium clarissimè revelavit hanc Spiritûs Sancti missionem, ante mortem suam Dominus. Joan. 14. ℣. 16. & seqv. *Ego rogabo Patrem, & alium Paræclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit. Apud vos manebit,* hoc est apud Ecclesiam universam; quam reget, docebit, sanctificabit: *in vobis erit,* hoc est in uno quoque vestrûm, & justorum omnium habitabit; eritis Templa Spiritûs Sancti. Subjicit: *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos.* Veniet proximè per Spiritum Sanctum suum; veniet ultimò ad judicandos nos: venit & adest assiduè in Eucharistiæ Sacramento. Paulò infrà: *Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in Nomine meo;* (quia unà mecum mittet, quia mittet ad complendum opus redemptionis, id est ad gratias fructúmque sanguinis mei dispertiendum) *ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia; quæcunque dixero vobis.* O ineffabilis unitas Trinitatis istius! quæcunque Filius. Verbum Patris dicet; suggeret flatus item amoris, qui est Patrem inter ac Filium: quæcunque Spiritus iste Sanctus suggeret; dicet etiam Christus. Joan. 15. 26. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre; Spiritum veritatis, qui à Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me.* Joan. cap. 16. ℣. 7. & seqv. *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiêro; Paraclitus non veniet ad vos: Si autem abiêro, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille; arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio &c. Adhuc multa habeo vobis dice-*

dicere ; *ſed non poteſtis portare modò : Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis ; docebit vos omnem veritatem : Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis.* Hæc poſt Cœnam ultimam ad ſuos ſeorſim Dominus JESUS, de Spiritu Sancto à ſe Patréque ſuo mittendo, in ſermone illo ; quô nunquam ſublimiùs, dulciúſque locutus eſt, DEUS homo. Verba ſingula myſteriis refertiſſima examinare non vacat.

9. Reſurgens, ipsâque illâ primâ die, quam fecit Dominus, apparens Diſcipulis ſerò, abſente Thomâ congregatis, cùm fores eſſent clauſæ, propter metum Judæorum, ſtetit in medio eorum JESUS, & dixit eis Joan. 20. *Pax vobis : & cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Dixit ergò eis iterum. Pax vobis : ſicut miſit me Pater ; & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata &c.* Præoccupare voluit ſecretò, quod cum omni plenitudine facturus erat palàm in Pentecoſte iiſdem, & Eccleſiæ ſuæ univerſæ. Poſt plures demum ſui manifeſtationes apparuit illis in Galilæa in monte viſione ſolenniſſimâ : *Et accedens JESUS locutus eſt eis dicens : Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Matth. ult. Lucæ verò ult. ſcribitur etiam dixiſſe ad ipſos : *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos : vos autem ſedete in civitate ; quoad uſque induamini virtute ex alto.* Rurſus Actor. 1. *præcipit eis ab Jeruſalem ne diſcederent ; ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum : quia Joannes quidem baptizavit aquâ ; vos autem baptizabimini, Spiritu Sancto non poſt multos hos dies. Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritûs Sancti in vos ; & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Denique abiit, & aſcendit in Cœlum ſpectantibus ſuis, qui ſcientes haud relictos ſe orphanos, non ut inde contriſtarentur ;

tur ; *ſed & ipſi adorantes egreſſi ſunt in Jeruſalem, cum gaudio magno : & erant ſemper in Templo laudantes & benedicentes DEUM. Amen.* Luc. ult. Ergo diebus illis decem ab Aſcenſione Chriſti uſque ad Pentecoſten, *omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & MARIA Matre JESU & fratribus ejus* : Actor. 1. 14. Hæc erat expectatio Adventûs Spiritûs Sancti.

10. Venientis in Pentecoſte myſteria quid explicem? Factum repentè de Cœlo ſonum, tanquam advenientis ſpiritûs vehementis, & replentem totam domum ubi erant ſedentes: & apparentes illis diſpertitas linguas tanquam ignem, ſedentem ſupra ſingulos eorum ; & repletos omnes Spiritu Sancto : & incipientes loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Lege caput 2. Actuum Apoſtolorum. Quid enarrem viſibilia & inviſibilia ejuſdem Spiritûs Sancti opera ; utraque nobis per Apoſtolos revelata? Lege omnem Actuum eorumdem hiſtoriam ; lege Literas Apoſtolicas : nihil in his aliud, quàm Acta Spiritûs Sancti, Chriſtum JESUM glorificantis leges. In cuſtodiam dati Act. 4. à Principibus Sacerdotum, & examinati, ac ſubinde dimiſſi Apoſtoli : *Cùm orâſſent ; motus eſt locus in quo erant congregati : & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto ; & loquebantur Verbum DEI cum fiducia.* ℣. 31. Mittuntur rurſus Actor. 5. in carcerem publicum ; quia prædicare non ceſſabant JESUM, eſto ſeverè vetiti. Liberantur ab Angelo ; jubenturque in Templo plebi omni verba vitæ hujus dicere. Iterum comprehenſi & ad Magiſtratum deducti ; *reſpondens Petrus, & Apoſtoli dixerunt: Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus. DEUS Patrum noſtrorum ſuſcitavit JESUM: hunc Principem & Salvatorem DEUS exaltavit dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum : & nos ſumus teſtes horum verborum ; & Spiritus Sanctus, quem dedit DEUS omnibus obedientibus ſibi.* ℣. 32. Spiritum hunc Sanctum Stephanus ; hunc

reliqui

reliqui assiduè buccinabant, huic nuncupabant vota sua evangelica; paupertatis & castitatis: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?* dictum est votum illud violantibus Actor. 5. 3. Hunc per impositionem manuum dabant credentibus. Cùm audîssent, Actor. 8. quòd Samaria recepissèt verbum DEI; venit ad eos Petrus & Joannes: *qui oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in Nomine Domini JESU: tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Videns autem Simon Magus, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus Sanctus; obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum. &c.* Hæc impositio manûs Apostolorum erat Confirmationis Sacramentum, quod confertur ab Episcopo post Baptismum: ùt Catholica & certissima docet Theologia. In ea Confirmatione, solebat ferè illabi, signô tunc visibili fidelibus Spiritus Sanctus. Receperat eum jam in Baptismo, & illius gratiam Samaria: sed invisibiliter: in ea verò manuum Apostolicarum impositione, accepit eum visibiliter: quòd vel inde satis colligitur, ùt Chrysostomus, aliíque observant; quòd Simon ille positus *in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis*, nunquam potestatem illam exambivissèt; nisì prodigio visibili, puta ignis, linguarum &c. Cælitus fuissèt insignita. Ananias Actor. 9. 17. dicit Saulo converso: *Dominus misit me JESUS, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.* Quòd etiam baptizato eô factum est visibiliter; ut illa ipsa phrasis indicat, docéntque Interpretes. Cornelio aliísque gentilium prædicante Petro. Actor. 10. *adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum:* Obstupescentibus ex circumcisione fidelibus, *quia & in Nationes gratia Spiritûs Sancti effusa est.* Antiochenis Christianis.

Actor.

Actor. 13. 2. *ministrantibus Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus : segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Et ipsi quidem missi à Spiritu Sancto abierunt Seleuciam, & inde navigârunt Cyprum &c.* Post multas peragratas evangelizando regiones; Actor. 16. 6. *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum DEI, in Asia : Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam; & non permisit eos Spiritus JESU.* E Concilio suo Actor. 15. rescribunt Apostoli Antiochenis Christianis, decretum quod statuerant sic exorsi: *visum est Spiritui Sancto & nobis.* ℣. 28. Quibusdam Ephesi discipulis Joannis, postquam eos baptizâssent, *cùm imposuisset manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Actor. 19. 6. Idem Paulus valedicens. Actor. 20. Ephesiis suis : *Spiritus Sanctus*, inquit, *per omnes civitates mihi protestatur, dicens : quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent. Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo.* Agabus Propheta. Actor. 21. 11. *tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes, & manus, dixit : Hæc dicit Spiritus Sanctus : Virum cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, & tradent in manus Gentium.*

11. Num plura requiris? hæc sufficiant ad comprobandum, quòd Spiritus Sanctus à Patre Filióque distincta Persona, siquidem Paraclitus alius, venerit super primordia Ecclesiæ nostræ, visibilibus in signis; eámque sanctificaverit, gubernaverit, donis omnibus cælestibus cumulaverit, mansurus nobiscum in æternum : quòd impletum fuerit carmen Davidis : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem ; dedit dona hominibus.* Ephes. 4. 8. Psal. 67. 19. Attende quales ante adventum Spiritûs Sancti ; quales post illum fuerint discipuli. *Brachium Domini erat Filius :* & tamen ita moderatus

tus eſt, diſpoſuítque operationes ſuas in terris ; ut non niſi poſt illius abitum, *digitô DEI*, hoc eſt Spiritu Sancto apparente venientéque ad nos, perficerentur ſupra modum credentes in Dominum. Qui præſente Chriſto timidiores lepore ; Spiritu Sancto repleti terribiliores Leone : ad Præſides & ad Reges ducti *non cogitant quomodo, aut quid loquantur ; datur enim iis in illa hora, quid loquantur ; non enim illi ſunt qui loquuntur ; ſed Spiritus Patris eorum, qui loquitur in ipſis.* Matth. 10. Qui ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ reprehendebantur à Magiſtro ſuo reſurgente ; jam Moyſem, Prophetas, Pſalmos, in Concionibus, ſcriptíſque ſuis explicant, videntúrque intelligere clariùs eorum libros, quàm ii ipſi, qui ſcripſerant : jam eorum ſententias citantes, addunt ſolenne illud ſuum : *Dixit Spiritus Sanctus*, vel *locutus eſt* per hunc aut illum Prophetam : quam phraſim in nullo veterum Sacrorum Scriptorum reperio. Infinita foret oratio mea, ſi omnia proſequerer. Quid igitur vultis hiſcere contra nos gentiles, & hæretici, & quicunque adverſarii noſtri ? Filius, & Spiritus Sanctus eſt fundator ; eſt Dominus, Caput, Rector, Sponſus hujus Eccleſiæ : à Filio Pater, à Spiritu Sancto Spirator ſeparari non poteſt. *Si DEUS* trinus & unus *pro nobis, quis contra nos* ?

Ecquid horum omnium infirmare poteſtis Antitrinitarii ? Negabitis Patrem, Filium, Spiritum Sanctum tres eſſe Perſonas diſtinctas ? Patet oculis mundi, fidem aliquam habentis Evangelio ; quod nec Mahometus repudiavit in Alcorano ſuo. Negabitis Spiritum Sanctum eſſe DEUM Altiſſimum ? paulò poſt fuſiùs ex inſtituto docebo. Negabitis veram Chriſti Divinitatem ? docui copioſiſſimè. Chriſti vos quam vidimus humanitas ſcandalizat ? non eam negamus ; ſed cum Deitate admirabili myſterio in unam Perſonam unitam credimus, cum Eccleſia ſeculorum omnium, cum Scriptura univerſa. Filium dicetis quà DEUM etiam, Patre mi-

no-

norem? quia misit eum Pater; quia ùt inquiebat, *non potest Filius à se facere quidquam; nisi quòd viderit Patrem facientem. Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Joan. 5. *Mea doctrina, non est mea; sed ejus, qui misit me &c.* Joan. 7. At hæc similiáque verba ejus, humanô modô Divinissimis Mysteriis, quò faciliùs caperemus ea loquentis; non sunt humanô prorsus accipienda modô; ac si de duobus *natura*, & *personâ* distinctis loqueremur. A se nihil facit Filius; sed sola, quæ Pater ei demonstrat: hoc est, Filius non est ùt Pater, persona *ingenita*; sed accipit à Patre sua omnia, potentiam, sapientiam, Divinitatem, per *generationem* æternam: Eô autem titulô nequit illô esse re verâ minor; nam secùs genuisset Pater Filium monstrosum, suâ videlicet naturâ infinitè inferiorem. Missus est Filius DEI à Patre in mundum, non ut inferior à superiore; sed ut æqualis ab æquali, unâ eâdémque utriusque voluntate. Nolite propter unum alterúmque verbum arcanissimum, putidè intellectum, alia infinita Spiritûs Sancti verba clarissima, imò seriem omnem Bibliorum, operúmque DEI & Christi Domini, obliterare. Dicit Filius, doctrinam suam non esse suam, sed Patris; se non posse à seipso facere quidquam: en idem etiam de Spiritu Sancto dixit: *non enim loquetur à semetipso; sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis.* Joan. 16. Cur Filius, & Spiritus Sanctus audiunt; Pater audire, quod scit, non scribitur? quia Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab utroque *procedit*; Pater verò est *ingenitus*, nec ab alia ulla Persona Divina procedens: illi accipiunt ab alia Persona Divina, quòd sunt, quod habent, quod agunt; iste à nulla. *Audit* Filius, quia *generando* communicat ei Pater, *audit* Spiritus Sanctus, quia *spirando* eum communicat illi Pater & Filius sapientiam, omnémque Divinitatem. *Quæcunque audiet*, inquit in futuro; non, quia priùs non audivit, sed quia *generatio* & *spiratio* illa, utpote æterna utì nunquam cœpit,

pit, ita nec unquam ceſſabit. Dixerat Chriſtus: *nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joan. 14. 6. at viciſſim, *nemo*, ait, *poteſt venire ad me, nisi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Joan. 6. 44. Innumera ſunt ejuſmodi Chriſti Spiritûſque Sancti Oracula quibus, benè attentis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tres eſſe Perſonas extra ordinem rerum omnium creatarum; eſſe conſubſtantiales, & æquales; veritatem, unitatémque Deitatis in Perſonis tribus, qui habet aures audiendi, facilè audiet, & exclamabit cum univerſo Sanctorum in Cœlo & terra exercitu: O incomprehenſibilis in Trinitate unitas! O inenarrabilis in unitate Trinitas!

13. Concludat, quæ dicta ſunt, hæc minimè prætereunda notatio: Patrem Creatorem, Filium Redemptorem, Spiritum Sanctum Sanctificatorem credere, vocaréque unà nobiſcum volunt adverſarii; DEUM verò Altiſſimum ſolum Patrem exiſtimare. O amentiam incredibilem! Si Filio, ſi Spiritui Sancto DEUM ſe conteſtantibus credere non vultis, *operibus eorum credite*: *ex operibus cognoſcetis eos.* Creari, quod minùs eſt, non poteras nisi à DEO Altiſſimo; redimi ac ſanctificari, quæ majora DEI opera ſunt, an ab aliquo minore potuiſti? Creatio naturalia DEI erga te beneficia complectitur; redemptio & ſanctificatio ſupernaturalia: Supernaturalium author erítne inferior authore naturalium? In ſtatum elevatus es multò ſublimiorem, magíſque quodammodo obſtrictus es Redemptori ac Sanctificatori, quàm per creationem Conditori: ergò plus debes, titulóque arctiore obligatus es redimenti & ſanctificanti te Creaturæ, quàm creanti DEO vero? nam ſi minor eſt iſto (utì blaſphemas) Redemptor Filius, & Sanctificator Spiritus Sanctus, neceſsè eſt, quòd uterq; ſit pura creatura. Sanam & Chriſtianam Theologiam accipe. Fides & Eccleſia Catholica credit, nos tantundem uni, quantum alteri trium harum Perſonarum Divinarum, totíque Sacro-Sanctæ Trinitati debere. Creavit nos

tota Sanctiſſima Trinitas dicens : *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Sanctificavit nos, doníſque per Chriſtum obtentis replevit eadem tota ; tametſi Spiritum Sanctum ſolum apparuiſſe nobis in ea gratiarum diſpenſatione legimus : huic quippe judicavit trinus & unus DEUS appropriandam ſanctificationem noſtram, ut Perſonam etiam Divinam tertiam clarè ac diſtinctè noſceremus : quomodo redemptionem, per quam & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus erat mundo in Chriſto revelandus, à Perſona Filii exequendam ordinavit. Quòd ſi opera quidem DEI ad extrà, ùt vocamus, omnia, & conſequenter creationem, ac ſanctificationem noſtram toti Sanctiſſimæ Trinitati ùt authori uni adſcribendam non dubitas ; redemptionis autem opus quæris, quô pactô Patri, & Spiritui Sancto poſſimus aſſignare ; ſiquidem nec Pater, nec Spiritus Sanctus ſit pro nobis Incarnatus & mortuus, ſed ſolus Filius ? unde Filius nos ſolus redemiſſe, plúſque illi, quàm Patri, & Spiritui Sancto eſſe obligati videamur. Reſpondeo, DEUM Altiſſimum duplici modo influxiſſe in redemptionem noſtram, actúſque Chriſti Domini mundum ſalvantis in genere cauſæ *efficientis*, & in genere cauſæ quaſi *formalis* : quà cauſa *efficiens* decrevit Incarnationem Verbi, & omnem illius œconomiam, univit hypoſtaticè naturam humanam cum Verbo, concurrit ad omnes humanitatis Chriſti actus, quibus redempti ſumus, quæ cuncta totius Sanctiſſimæ Trinitatis opera erant communia. Quidquid igitur DEUS in Chriſto, & per Chriſtum Incarnatum egit, totum id & Pater & Spiritus Sanctus, perinde ac Filius præſtitit in genere cauſæ *efficientis*. Porrò quia ſola Perſona Filii eſt incarnata, naturámque aſſumpſit humanam, ab illa ſola præſtitum eſt in genere cauſæ, ut ita dicam, *formalis*, ut humanitatis Chriſti opera dicerentur per communicationem idiomatum opera DEI, valorémque ad redimendos nos, ac merendum pro nobis, haberent

à Verbo, in quo subsistebat humana illa natura, *infinitum*: at hanc ipsam Unionem hypostaticam fecit & conservat tota Sanctissima Trinitas. Quare cùm nos beneficia collata efficienti, & non causæ formali, quæ pars ipsa intrinseca est beneficii, adscribamus omnia, cùm in Christo Redemptore Persona Filii, & natura Divina nihil effecerit, quod non à Patre item Spiritúque Sancto effectum sit, liquet manifestò, quemadmodum opus Redemtionis nostræ sit opus totius Sanctissimæ Trinitatis; quemadmodum non plus uni Personarum harum Divinarum debeamus, quàm alteri. At Pater, inquies, & Spiritus Sanctus nos redemisse dici nequit. Si per τὸ *nos redemisse* intelligas Incarnatum, passum, mortuum esse DEUM trinum & unum, id nequit dici, concedo: si verò intelligas, hos ipsos actus, quibus redemit nos Christus, Divinam Trinitatem cum humana illius natura effecisse, nego dici non posse propositionem illam. Unde liquet perspicuè, quô sensu dici possit, nos revera esse ab omnibus tribus Personis Divinis redemptos, licèt unica earum fuerit Incarnata. Liquet pariter, cur redemptionem appropriemus Filio; quia nimirum solus ille fuit homo factus, & consequenter dici potuit solus passus mortuúsque in carne sua: cur sanctificationem, gratiarúmque cælestium in nos per Christum effusionem appropriemus Spiritui Sancto; quia nimirum is in hac operatione mundo universo apparuit: cur Patri creationem; quia nempe in opere DEI primo, Persona Divina prima nominatim erat à nobis glorificanda: cæterùm hæc tria, ùt & alia cuncta, uni eidémque DEO trino & uni verè accepta ferimus. Eôdem planè modô credimus Spiritum Sanctum supervenisse in Virginem, & Christum ex Spiritu Sancto conceptum, non nisi appropriantes Spiritui Sancto, quod tres peræquè fecerunt Divinæ Personæ: volebat quippe DEUS totam Divinissimam Trinitatem, per dispensationem Christi revelandam, nobis statim in prima ejus conceptione manifesta-

re, & opera ſui erga nos amoris maxima Perſonæ illi, quæ amor eſt Patris, ac Filii, volebat appropriare. Plura de his partim jam dicta ſunt, partim in ſequentibus dicentur.

§. III.

De Miſſione Filii, & Spiritûs Sancti.

14. OPeræ pretium erit, in hac phraſi miſſionis Filii, & Spiritûs Sancti nonnihil inhærere, quæ potiſſimam Chriſti, & Evangelii complectitur hiſtoriam. O admirabile! ô nunquam ſatis perſcrutandum myſterium! Pater mittit, mitti nunquam ſcribitur: Filius mittitur à Patre ſolo, Spiritus Sanctus ab utroque, à Patre, atque à Filio. Evolve totum Evangelium, & rem ita ſe habere comperies. Non cadet ex omnibus verbis tuis Domine quidquam in terram! Adverſarii noſtri ſumere conantur ex hoc ipſo evangelico loquendi modo argumentum, quòd Pater ſolus ſit verus DEUS, qui tantùm *mittit*, & à nemine *mittitur*: Filius autem, & Spiritus Sanctus, quòd ſint minores Dii, vel potiùs, ùt coguntur ex conſequenti admittere, quòd ſint puræ creaturæ. At, ut quid cogitatis vana, & blaſphema in cordibus veſtris? an unicum hoc verbum *mittentis* & *miſſi*, aure nimiùm humanâ & materiali acceptum, lumen omne Scripturarum, & Chriſtianæ veræque rationis in vobis extinguet? Omnia, quæ tres hæ Perſonæ Altiſſimæ de ſeipſis locutæ ſunt; ſunt arcaniſſima, ſublimiſſima, Diviniſſima: vos quod eorum eſt momenti maximi, adeò levi, & in terram defixo intellectu tractare vultis; ùt ſi Sanctum canibus daretur, & margaritæ projicerentur ante porcos. Ergò *mittere* ac *mitti* accipitur in his locis primùm pro *generare* ac *generari*, vel *producere* ac *produci*; pro miſſione nimirum naturali. Sic dicitur: *Et in electis meis mitte radices.* Eccl. 24. 13. *Tanquam imbres mittet*

tet eloquia sapientiæ suæ. Eccl. 39. 9. Sic vocem mittere dicimur; sic arbores folia, fructus, corticem, radicem mittere; sol radios, lucem, calorem mittere dicitur &c. Atque in hunc sensum Filii à Patre, Spiritûs Sancti ab utroque *missi*, seu *procedentis*, & *orti* ratio est fundamentum, & origo phrasium omnium, quas tractamus Evangelicarum. Quòd si cùm nascimur, *venire* dicimur in mundum, profectò & *mitti*. Accipitur præterea hæc *missio* Personæ unius Divinæ ab alia in hoc sensu, quòd aliqua Personarum in terris appareat, operetúrque in nobis, manifestans per id se, suúmque principium, à quo *processit*, & à quo est ab æterno *producta*: quæ maximè propria est duarum harum missionum significatio. Cur Pater (ùt observavit lib. 2. de Trinit. cap. 5. Augustin. plurimíque cum eo Sancti, ac Theologi) *mitti* nusquam legitur? quia videlicet ad Personæ Divinæ *missionem* propriam necessè est non solùm, ut illa veniat ad nos; sed etiam, ùt à Persona ea *mittatur*, à qua *procedit*: Pater autem *ingenitus* est, solúsque ab alia nulla Persona procedens. Venit quidem & Pater, & tota Sanctissima Trinitas invisibili modo ad nos, habitátque in nobis juxta illud Christi: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Joan. 14. Venire scribitur igitur & Pater; sed non mitti, non apparere visibilis; nam hujusmodi missio & novum modum, quô Persona una nobis appareat, & processionem illius æternam à Persona mittente denotat. Cur Filius non mittitur à Spiritu Sancto? cur Spiritus Sanctus nec Filium, nec Patrem mittit? cur idem mittitur à Patre, ac Filio? cur Pater nunquam mittitur? Omnes Personæ Divinæ veniunt ad nos, quia effectus ad extra communes sunt omnibus: sed Filius, & Spiritus Sanctus solus ad nos mittitur, quia illi soli procedunt ab alia Persona Divina: quod etiam Athanas. epist. ad Serapionem notavit. Tota Sanctissima Trinitas decrevit

Miſſionem Filii, & Spiritûs Sancti ; effecit Unionem hypoſtaticam carnis cum Verbo ; effecit ſigna illa, in quibus viſus eſt Spiritus Sanctus : ſed ſolus Filius eſt Incarnatus, ſolus Spiritus Sanctus viſus in ſignis illis : hæ ſolæ duæ Perſonæ Divinæ apparuerunt nobis, súntque miſſæ ad nos hac maximè propriâ miſſione ; quia hæ ſolæ duæ proceſſerunt ab alia Perſona.

15. Duo erant maxima in Diviniſſima Trinitate Myſteria à conſtitutione mundi abſcondita : Perſonarum in uno DEO Trinitas, & proceſſionum dualitas. En utrumque ô Domine ac Magiſter magne mundo perſpicuè revelâſti ! Tres perſonas, cùm te Filium DEI Patris, cùm Spiritum Sanctum manifeſtâſti, ac docuiſti : proceſſiones duas, cùm à Patre primò te Filium miſſum, deinde Spiritum Sanctum jam Patris, jam tuum Spiritum vocatum ab illo & à te prædicâſti mittendum. Intelligimus, credimúſque nunc omnes fideles tui Diſcipuli, te nos docente utrumque arcaniſſimum Myſterium : credimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe tres Perſonas, at unum DEUM ; credimus te à Patre per generationem, Spiritum Sanctum ab utroque per ſpirationem æternam procedere. Intelligimus, credimúſque unam eſſe Perſonam mittentem & non miſſam, alteram miſſam & mittentem, tertiam miſſam, & non mittentem : quia una eſt Perſona ingenita, & quæ non producitur ab alia, qui eſt Pater ; altera eſt genita & producens aliam, qui eſt Filius : tertia eſt procedens à Patre ſimul ac Filio, ùt unô ſuô principiô, qui eſt Spiritus Sanctus, à quo nulla nova producitur Perſona, ſed proceſſiones Divinæ in eo terminantur. Si dicas ſcriptum eſſe Iſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde &c.* utì citat Prophetam, ac de ſe ſolenniſſimè interpretatur Chriſtus Luc. 4. Legimus igitur eum non à ſolo Patre, ſed & à Spiritu Sancto miſſum eſſe. Reſpondeo, pro-

ut

ut in Symbolo Apoſtolorum hanc ipſam miſſionem explicans dixi, Chriſtum in hoc textu intelligendum eſſe *miſſum ſecundùm humanam ſuam naturam*, ſecundùm quam evangelizabat, éſtque unctus à Spiritu Sancto, atque adeò à tota Trinitate Divina: quæ miſſio fuit verè inferioris & minoris à majore ac ſuperiore, illíque ſimilior, quâ mittebantur Prophetæ, quàm huic, de qua loquimur. Unde in hanc ſententiam admiſit Auguſt. citatus dici poſſe, Filium & à ſe, & à Spiritu Sancto, Patréque miſſum: ſed hæc non eſt ea propria Divinæ Perſonæ miſſio, quam exponimus.

16. Quid igitur huic Evangelii, Fideíque Chriſtianæ veritati principi opponetis Antitrinitarii? quòd Pater producens aliam Perſonam Divinam, & ſolus non productus major vobis perſonis duabus reliquis eſſe videatur? at & Filius producit, ſpirátque unà cum Patre Spiritum Sanctum: quòd Spiritus Sanctus nullam aliam Perſonam producat? at hoc fit non ex defectu perfectionis alicujus Divinæ in ipſo, ſed quia per ſecundam proceſſionem ſatisfactum eſt jam infinitæ fœcunditati Divinæ quoad utrumque fontem productionum DEO intrinſecarum, hoc eſt, quoad intellectum & voluntatem; Filio per illum, Spiritu Sancto per hanc procedente, poſt quem nihil increatum, ac divinum produci poteſt. In Divinis hiſce ad intrà productionibus non eſt perfectius generare, quàm generari; ſpirare ac producere, quàm produci, ac ſpirari. Perſona prima Pater non priùs exiſtebat, nec eſſe intelligíque poterat, quàm generaret, hoc eſt intelligeretur, & eſſet Filius: neque Pater ac Filius priùs ſpirator, ſive Perſona Divina prima, & ſecunda erat, quàm eſſet Spiritus Sanctus: nulla inter eos prioritas temporis, nulla naturæ, nisì unicè originis: nulla diverſitas dignitatis, & virtutis; nisì unicè ordinis: quid ergò prohibet, quin æquales inter ſe atque conſubſtantiales credatis, teſtimoniis divinis infinitis id aſtruentibus? Eſſentia, & na-

tura DEI unica requirebat, ut una Perſonarum ſuarum generaret, eſsétque Pater; altera generaretur, & eſſet Filius: tertia procederet ab utraque, & eſſet Spiritus Sanctus. Non eſt Filius ille, ùt hominum Filii, qui juniores ſunt patribus ſuis, & quos Pater producere, aut non producere potuit. Dedit Pater æternus Filio ſuo æterno generando eum Divinitatem, & quæ habuit omnia, præter ſolam relationem Paternitatis; ſed nihil novi, neque aliam Divinitatem, verùm eandem, eadémque omnia, quæ habuit, dedit, & communicavit. Non liberè dedit, ùt beneficium, quod potuiſſet non conferri; verùm communicavit ex natura & eſſentia ſua Divina, Filii æquè ac Patris ſua & propria: idémque eſt de proceſſione Spiritûs Sancti dicendum. Quare ſi mittere, mittíque Filium, ùt certum eſt, repræſentat nobis generationem hujus; mittere, mittíque Spiritum Sanctum, proceſſionem ejus æternam: quid certiùs, quàm quòd in Miſſionibus his duabus mittens miſsô major, miſſus mittente minor haberi minimè poſſit? Non modò Trinitatem per totam Incarnationis ſuæ ſeriem, ſed etiam proceſſiones duas Perſonarum Divinarum per has duas miſſiones exhibuit nobis Chriſtus, humanâ ſimilitudine uſus, quâ is, qui miſſus eſt, quaſi à fonte principióque ſuo profluit à mittente, ut oculis quaſi videremus ſecreta intimæ Divinitatis, ſi oculos auréſque Chriſtianas habere, ſi myſteria Diviniſſima Divinô & non humanô, terreóque intellectu contemplari vellemus.

17. Quæres, quid de illa ſit hæreſi, ùt nonnulli vocant, vel errore ùt alii putant, Autotheanorum exiſtimandum, de quibus Bellarm. lib. 2. de Chriſto cap. 19. diſputat? Dicebant hi Filium eſſe Autotheon, & conſequenter etiam Spiritum Sanctum: hoc eſt, eſſe DEUM à ſe ipſo. Sententiam eam alii Calvino & Bezæ, alii Franciſco Stankaro authori primo

primo tribuunt. Videntur isti credidisse, veram Christi Divinitatem defendi minùs posse, nisi faterentur eum Autotheon, sive DEUM à se ipso esse. At oppositionem unam evitare volentes, in alios duos scopulos gravissimos incidunt. Nam si Filius non accepit à Patre Divinitatem suam, si non est DEUS de DEO, lumen de lumine, ingenitus est, prout & Pater, nec distinguitur à Patre, tollitúrque personarum Trinitas, quæ fuit hæresis Sabellii: vel habet naturam & essentiam distinctam à natura Patris, quô pactô non esset Filius DEI, aut plures ponerentur DEI veri, quæ utraque summa est blasphemia. Bellarminus putat, Calvinum in modo quidem loquendi errâsse graviter, ab hac tamen hæresi videri alienum; Valentinum enim Gentilem oppugnabat, qui solum Patrem esse Autotheon jactans, solum illum inferebat esse verum DEUM; Filium verò, & Spiritum Sanctum habere aliam essentiam & naturam à Patre productam: hunc ut Calvinus refelleret, admisit Filium etiam esse Autotheon quoad essentiam suam. Cæterùm ùt pluribus ejus testimoniis docet eruditissimus Cardinalis, satis Orthodoxè locutum eum puto de Mysterio isto. Quidquid sit, hæreticorum Theologiam contradictionum talium esse parentem, nihil est novi.

18. Itaque Respondeo primò, Filium, & Spiritum Sanctum non esse Autotheon in hoc sensu, quòd sint ingeniti & improducti, & quòd sint aut habeant aliquid non ab alia Persona, principióque suo Divino acceptum. Probatur: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Joan. 5. 26. *Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.* Joan. 6. 58. Si vitam dedit Filio Pater, certò & essentiam; DEO enim idem est esse ac vivere. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Matth. 11. 27. *Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Joan. 7. 29. *Ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Joan. 8. 26. subjicítque Evan-

 gelista:

geliſta : *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat DEUM*, id eſt, DEUM dicebat Patrem ſuum. Mox rurſus : *Sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Unde colligit Auguſtinus, & quis non Doctorum Orthodoxorum ? docere Patrem, audire Filium, non eſſe aliud, quàm quòd Pater generando Filium dederit ei ſcientiam, & eſſentiam Divinam omnem. Calvinum ad perperam hac in re loquendum induxit ſuperbia intolerabilis, quâ nolebat cum Eccleſia, Symbolóque Nicæno ab omnibus ſequentibus Synodis recepto profiteri, Filium eſſe *DEUM de DEO, Lumen de Lumine.* Nunquam ab eo extorqueri potuiſſe in Concilio Lauſanenſi, ut Filium eſſe DEUM de DEO confiteretur, refert Petrus Carolus, qui Concilio interfuit, in Epiſt. ad Cardinalem Lotharingiæ. Taliter & Ambroſius olim, cùm Arianorum duos urgeret in Concilio Aquilienſi, ut dicerent Filium eſſe DEUM verum de DEO vero, reſpondentibus illis ſemper, etiam ſi fortè centies interrogarentur, Filium eſſe verum, Unigenitum, veri DEI Filium, & ſimilia, nunquam extorſit, ut formulam loquendi Catholicam in fidei profeſſione uſurparent. At Auguſtinus & Cyrillus Patrem & Filium ajunt eſſe unum principium, inquit Calvinus, unde credit ille ſequi, Filium æquè ac Patrem carere principio, ac proinde Autotheon, ſive DEUM eſſe à ſe, ùt eſt Pater. Reſpondeo, ajunt eſſe unum principium cum reſpectu ad creaturas, quarum tota Trinitas eſt unum principium, & una cauſa ; vel etiam addo cum reſpectu ad Spiritum Sanctum, qui à Patre Filióque ùt uno principio ſuo & Spiratore procedit, hoc Concedo : ſecùs Nego. Pater eſt principium ſinè principio ; Filius principium de principio, ſive DEUS de DEO, ùt explicat ſe idem Auguſtinus tract. 39. in Joan. exponens verba illa Joan. 8. *Tu quis es ? Dixit eis JESUS : Principium, qui & loquor vobis.* Replicat Calvinus, Filium nominari Jehovam, id eſt fontem eſſendi. At reſpondeo, Filium eſſe fontem eſſendi de fonte eſſendi, ùt

idem

idem Hipponenſis tradit lib. 7. de Trinit. cap. 2. non autem eſſe fontem eſſendi ſinè fonte ſuo eſſendi. Maneamus ô Chriſtiani Patrum noſtrorum in veſtigiis, Concilio etiam Nicæno antiquiorum, neque recedamus ab illis in doctrina tanti Myſterii, modíſque loquendi de illo. S. Juſtinus initio libri de recta fidei confeſſione: *Pater*, inquit, *innaſcibiliter habet eſſentiam*, *Filius naſcibiliter*. S. Gregorius Thaumaturgus in ſuo Symbolo Filium ait eſſe DEUM ex DEO. Hilarius initio lib. 4. de Trinit. *Nihil nisì natum habet Filius*, *id eſt*, *omnia habet propter nativitatem*.

19. Reſpondeo jam 2dò. ad quæſtionem: Filium & Spiritum Sanctum poſſe dici αὐτόθεον, hoc eſt DEUM à ſe, vel ens à ſe in hoc ſenſu, quòd non habeat Deitatem eſſentiámque ſuam ab alio DEO, & ab alio ente, ſed à Patre, qui unus idémque DEUS eſt, una ſubſtantia, unum ens abſolutè cum Filio, & Spiritu Sancto; neque potuerint hi non eſſe, ſive non generari, non procedere. Undè cùm nec Filius, nec Spiritus Sanctus ab alio extra DEUM hunc unum ſit, & cùm Filium Pater, Spiritum Sanctum uterque produxerit non liberè, ùt creaturas, ſed naturaliter, & exigente id eſſentiâ Divinâ, quæ Filii & Spiritûs Sancti æquè propria eſt ac Patris, ſequitur, & Filium & Spiritum Sanctum ens à ſe ſuáque eſſentia dici taliter verè poſſe. Atque ita dicitur etiam creatura ens ab alio, quia eſt ab alio à ſe quoad eſſentiam & ſubſiſtentiam ente diſtincto, & quia potuit non eſſe. Interim fatemur cum Concilio Lateranenſi, eſſentiam formaliter nec generare, nec generari, nec ſpirare, nec ſpirari, ſed tantùm communicari: quia generans & ſpirans à genito, & ſpirato diſtingui debet realiter: ergò non eſſentia Patris eſſentiam Filii generat, ſed Pater Filium, quem is generando dat & communicat ei eſſentiam, accipítque omnia ſua Filius à Patre, propter quam communicationem neceſſariam nequit Filius & Spiritus Sanctus non eſſe DEUS, nequit

nequit esse minor Filius accipiens, quàm Pater dans, & communicans: quoniam cum essentia sua perfectionem omnem eandem, quam habet, dat iste, accipiunt illi.

§. IV.

Tres adversùs hæc nodi Gordii, Antitrinitariorum sententiâ maximi, dissolvuntur.

TRia præcipuè observo ex illis, quæ legi, & audivi, propter quæ abhorrere se à fide Catholica exposita ostendunt Adversarii. 1. Simplicitas DEI Personarum Divinarum Trinitati opinione ipsorum repugnans. 2. Mysteriorum horum inexplicabilitas, & incomprehensibilitas. 3. Incarnationis Christi ratio inconveniens, Deóque valdè ùt putant indecens. De singulis agamus paucis, præmittentes in eorum testimonium carmen, quod quidam horum propter hæresim suam in Polonia exauthoratus composuit, & epitaphio suo post fata inscribendum reliquit, typis eorum Claudiopolitanis memoriâ meâ vulgatum.

Servivi patriæ bis denos impiger annos,
Integritásque mea est sæpè probata Duci.
Nunc patriæ invisus, si crimen quaris, id unum est:
Unum, non trinum me coluisse DEUM.
Sic pietas crimen! dum non imitabile Numen
In plures timui multiplicare Deos.
Dúmque individuum, ac totum sinè partibus ullis
In tria partiri Relligione vetor:
Finitum immenso misceri, & Numen in unum
Confundi sanctè dum pia lingua negat:
Dum veritus genitum ingenito exæquare Parenti,
Qui sibi sufficiens nescit habere parem.

Capti-

Captivare meæ juſſus dictamina mentis
Dum falſum cæcâ credere nolo fide.
Quod quondam evomuit petulante Sabellius ore,
Dum pius infandum dogma recuſo ſequi.
Dúmque infinitum, quem non complectitur æther,
Virgineo erubui claudere ventre DEUM.
Hunc dum diffiteor vagiiſſe, famémque ſitímque
Infantem in cunis lacte levâſſe nego:
Dúmque impaſſibilem hunc diros tremuiſſe dolores,
Ac tandem infami ſuccubuiſſe neci:
Dum linguam temerare piam, dum falſa fatendo
Ingenuam mentem conſcelerare pudet.
Aſſerui verum, myſteria ficta negavi,
Hoc ſcelus, impietas, hoc mihi cauſa mali.
Hôc merui pœnas, ſera hoc mirabitur ætas,
Quando DEUM purâ relligione colet.
Quando animis cedet cæci perſuaſio falſi,
Quando ſuperſtitio vana relinquet humum,
Quando DEUM verum, non trinum Homouſion orbis
Antiquâ rurſus ſimplicitate colet.
Da DEUS, ut redeat priſci conſtantia veri,
Terráſque antiqvum jus, pietáſque regant!
Nunc captivantes noſtræ dictamina mentis,
Errores ſanctam credimus eſſe Fidem.

21. Primum igitur eſt, quòd ſumma ſimplicitas DEI Perſonarum Divinarum Trinitatem nullô modô videatur admittere poſſe. At quæſo animadverte, ſummam DEI ſimplicitatem non opponi pluralitati Perſonarum in DEO, ſed compoſitioni ſubſtantiæ & naturæ Divinæ, ac pluralitati Deorum. Natura humana compoſita eſt ex anima, & corpore, quæ duæ partes illius unam totam naturam humanam, hominémq; conſtituunt. Unde quando illa ſubſtantia, quæ non

non consistit ex diversis, sed quidquid in ea est, unum, idémq; cum ea est, erit omninò simplex, nihílque compositionis habebit, ùt Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 1. Bernardus lib. 5. de consider. aliíque notârunt. Talis substantia est DEUS, quam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non componunt, quia personalitates illæ, ùt Concilium Florentinum Sess. 17. & 18. definivit, credúntque omnes Orthodoxi, sunt cum Divinitate identificatæ, neque sunt istius partes inter se physicè unitæ. Idcircò sicut Adversarii etiam intellectum & voluntatem in DEO admittentes, & sicut Christiani omnes Sapientiam, Bonitatem, Omnipotentiam &c. DEO tribuentes, eum non facimus ex his compositum, quia eas perfectiones & facultates credimus illi esse identificatas: ita nec dici poterit DEUS ullô modô compositus, sed simpliciſſimus, etiamsi tribus subsistat in Personis: quia quælibet harum, Trinitásque tota identificata est essentiæ ac naturæ Divinæ, & quælibet unus idémque DEUS est simpliciſſimus. Angelus est natura simplicior & perfectior, quàm homo, non tamen simpliciſſima, quia ille actus intellectûs & voluntatis suæ sibi superadditos in se recipit, mutaríque per eos potest, qui jam in uno, jam in alio loco esse potest &c. nos quia nullum Divinum actum à DEO distinctum, & eo posteriorem dicimus, mutabilem esse illum nullâ ratione credimus. At inquis: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt per vos tres realiter distinctæ Personæ; hæ igitur componunt DEUM vestrum, tollúntque Divinam simplicitatem. Respondeo: sunt tres realiter distinctæ Personæ quoad personalitates suas, & substantias, vel hypostases Divinas, Concedo; quoad naturam & essentiam, quæ in DEO dividi, aut multiplicari nequit, Nego. Unde personalitates hæ si cum DEO, & essentia naturáque illius comparentur, sunt non compositæ, sed identificatæ illi: si comparentur inter se ùt præcisæ ab essentia per intellectum nostrum, non sunt com-

posi-

positæ, quia non faciunt unam Personam, sed tres realiter distinctas, quarum quælibet quoad omnem Divinam substantiam & naturam nec major, nec minor, nec aliud est, quàm quod est tota Sanctissima Trinitas: alia & alia est Persona, non aliud ens, vel alia substantia, vel alius DEUS: nec alius intellectus, alia Omnipotentia Divina, &c. Pater non est Filius, intellige: non est illud ens absolutè Divinum, & substantia illa simplicissima, quæ est Filius, nego; non est illa relatio, illa substantia, & hypostasis, sive Persona, quæ Filius, Concedo: propter quam relationum, ac subsistentiarum distinctionem in Patre ac Filio dicimus, Patrem simpliciter, & sinè addito non esse Filium, etsi unum sit ens Divinum, ac verus DEUS cum Filio. Quod superaddit formaliter, ac per rationem præcisè nostram unitati essentiæ Divinæ relatio & substantia, numerum id Personarum constituit, non aliam entitatem Divinam absolutam, sive naturam aliam. Itaque per Trinitatem personarum tollitur *solitudo* in DEO, non *simplicitas*; inducitur fœcunditatis & societatis æternæ beatitudo, non compositio Divinitatis. Hanc negabat solitudinem in se quà DEO Christus Joan. 8. ℣. 16. & seq. ubi, & alibi sæpiùs sinè Patre se suo esse, dicere, agere nihil posse testabatur, quibus in locis longè aliter se cum Patre, in Patre, Patrem in se esse, ageréque significabat, quàm DEUS sit & operetur cum puris creaturis, & in illis. *Si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* (quanto magis duarum Personarum Divinarum?) *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater &c.* Quòd si mysteria hæc inquis esse ineffabilia, ita esse confiteor, sed vel eo nomine DEO dignissima, quæ vos si credere non vultis, in causa est, quòd nihil DEO tribuendum

endum putetis, nisi oculis id in rebus creatis videatis, manúque palpetis: in causa est, quòd Scripturarum Divinarum seriei universæ, quòd Sanctis omnibus, quò Ecclesiæ Christianæ 17. seculorum nolitis credere.

22. Alter hîc proinde nodus etiam resolvendus est, nimirùm inexplicabilis hujusce fidei ratio. Si nos ipsi eam primi excogitâssemus, si non à tot Sanctis, Deóque ipso per Christum, & Spiritum Sanctum, per Oracula Librorum sacrorum ore uno id conclamantium per innumera documenta veritatis nobis loquente accepissemus, esset fortassè, cur quereremini, captivare vos intellectum vestrum in hisce credendis non posse; at cùm oculis, auribúsque mundi sit expositum à Christo evidentissimè, non quid & qualiter, id enim in Cœlo videbimus, sed quòd sit DEUS trinus & unus, item quòd DEUS sit pro nobis homo factus, tu quia caliginis hujus abyssum capere intellectu non potes, visne judicare incredibile? O insipientiam verè incredibilem! Nescis dictum à quodam Gentilium Philosophorum: *Si DEUM capere possem, DEUS is non esset*? Nescis Divinam Majestatem nube semper & caligine in Bibliis circumscriptam decorari? Nescis Christum *eructâsse abscondita à constitutione mundi?* Matth. 13. 35. Nescis verba illius solennia: *Confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelâsti ea parvulis*? Matth. 11. 25. Hoc est, Divinitatem suam in carne latentem DEUM esse trinum & unum &c. nescis à Paulo vocari fidem hanc eandem, *Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus; nunc autem manifestatum est Sanctis ejus*? Coloss. 1. 26. Nescis, quemadmodum extollat remunerétque DEUS fidem Petri confitentis: *Tu es Christus Filius DEI vivi*! reponens ei: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*? Matth. 16. Nescis respondisse Christum quærentibus Judæis: *ubi est Pater tuus*? *Neque me scitis, neque Patrem meum*? Joan. 8. 19.

dixisse

dixisse Luc. 10. 22. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo : & nemo scit quis sit Filius, nisi Pater ; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare?* Quæ sunt hæc à mundo condito abscondita ? Certò, non DEUS merè una in persona, (ùt vos vultis) Cœli ac terræ Conditor : non purus homo, missus ad homines ùt Propheta : quid igitur ? cæcissimus inter Christianos sit oportet, qui non dispiciat. Quis est hic Filius DEI vivi, quem caro & sanguis revelare, quem scire alius non potest, quàm Pater ; prout nec Patrem alius, quàm Filius, & cui voluerit ille revelare ? Certò si tibi DEUS trinus & unus, si Divina Incarnatio est incredibilis ; te carnis & sanguinis discipulum esse, neque discipulum esse Christi, concludere debemus necessariò. Deum esse, imò unum esse DEUM ; opera DEI omnia clamârunt semper, & clamant : quid igitur fuit in DEO tantoperè absconditum ; si non est Pater, Filius, Spiritus Sanctus, Sancta Trinitas unus DEUS ? si non est, Christus JESUS, DEUS & homo ? quæ Christus explicuit.

23. Lumini rationis inquis, contradicit hæc doctrina ? non est ita : esse illam *supra*, sed non *contra* rationem, demonstrant Theologi, & Sapientes Christianorum omnes. Esse Mysterium ais, quod percipi nequeat ? percipi tam clarè, quàm res naturales quas videmus, concedo ; percipi tantum, quantum ad credendum, & intelligendum in hac vita, quantum ad adorandum illud, satis est ; nego : testis est orbis terrarum, sanctitas, & sapientia omnis Christiana ; quæ credit, credidítque, adorat, & adoravit à mille septingentis annis. Est Mysterium inexplicabile ? ab innumerabilibus explicatum est, in quantum nobis à Domino peregrinantibus sufficit : ultrà progredi noli ; captiva in obsequium Christi (ùt Apostolus urgebat 2. Cor. 10. 5.) intellectum tuum. *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos : non plus sapere, quàm oportet sapere ; sed sapere ad sobrietatem : & unicuique sicut DEUS divisit mensuram fidei :* &c. Rom. 12. 3.

non autem ſicut diabolus, & contumacia diviſit, ſpiritum contradicendi fidei, & Eccleſiæ DEI. Noli ſcrutator nimius eſſe Majeſtatis; altiora te ne quæſieris; ſed humili mente crede. Res terræ minimas, muſcam, araneum, pulicem, viſum, auditum, guſtatum, odoratum, intellectûs tui actus quomodo fiant, corporis minimi continui partes, quot & quales ſint; aliáque creata infinita, imò & opera manuum hominum plurima, explicare ſatìs neſcimus: adeò ut fuerint inter veteres Philoſophos, qui dicerent; ſe nihil aliud ſcire in mundo, quàm quod nihil ſcirent: quæ tamen non inficiamur; licèt eorum conſtitutionem internam, aſſequi cogitatione non poſſimus. Tu comprehendere ſciréque vis, quomodo DEUS ab æterno protulerit mentis ſuæ Verbum, hoc eſt Filium generaverit? quomodo proceſſerit ab utroque Spiritus Sanctus? quomodo ſint tres Perſonæ unus DEUS? quomodo ſint duæ naturæ in Chriſto, divina & humana, Perſona una divina? & quia id explicare neſcis; credere abnuis? *DEUM nemo vidit unquam; Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe ennarravit.* Joan. 1. Hunc, propter affectatam inſcientiam tuam, non audies? DEUS, inquit Job c. 5. 9. *facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero*: Si talis eſt in operibus ſuis; qualis in ſe ipſo? Hæc eſt gloria ſumma Chriſtianæ Religionis, Chriſtíque Domini noſtri; quòd eo ad nos veniente, doctæ ſint gentes omnes myſteria, mundo antea, ipsíque populo electo recondita: per Theologiam tuam, non ille plus nobis lucis ad cognitionem Divinitatis attuliſſet; quàm habuerit Synagoga: vix aliquid amplius intelligeremus de DEO; quàm Turcæ profiteantur. Indigniſſimè agis cum Altiſſimo; ſi nihil ei credendum putas, per Filium ſuum hominibus loquenti, quod plenè non capis: ſi ea, quæ tantis teſtatus eſt documentis, ad trutinam non rectæ rationis, ſed rerum creatarum, ſenſuum tuorum, rerum corporearum, examinas. Audivi aliquando ex uno Doctorum horum mirabilium; in dubium vocari, num

dentur

dentur Spiritus : cur? quia non eos videmus, neque tangimus : ergò nec anima tua ſpiritualis, & immortalis; nec Angelus, nec diabolus, nec DEUS, nisì (ùt aliqui olim inſaniebant) corpus aliquod ſit ſubtiliſſimum, dabitur. Majoribus & ſecretioribus abundare Majeſtatem Divinam Myſteriis, quàm mundus univerſus habeat, caperéque poſſit; tibi, ſi ſapis, ſit perſuaſum : viſio eorum facie ad faciem, beabit nos abſque omni faſtidio in æternum; nunc in ſpeculo & ænigmate ambulantibus, in fide nobis DEUS trinus & unus, Deúſque Incarnatus eſt cognoſcendus.

24. Dices cum libro Fratrum in Sarmatia & Dacia conſentientium; per hanc Theologiam noſtram, reddi Fidem Chriſtianam gentilibus admodùm difficilem; abſterreri eos, multóſque Chriſtianorum ipſorum, ab amplectenda ea, & ſeriò profitenda : quin igitur faciliores, captuíque mentium humanarum accommodatiores, proponimus articulos religionis credendos? Reſpondeo, à nobis non fingi, nec pro noſtra populíque libidine, poni capita fidei, ùt faciunt hæretici; ſed quæ à DEO, à Chriſto, ab Apoſtolis accepimus, ea firmiſſimè retineri : explicari ſecundùm Eccleſiæ, Sanctorúmque omnium ſententiam; verbô & opere, mortéque noſtrâ, ùt eſt ab innumerabilibus præſtitum, defendi. O ridiculam prorſus oppoſitionem! ergò metuitis, nè pauciores infidelium traducantur ad religionem Chriſtianam, Trinitatis & Incarnationis divinæ confeſſione iis propoſitâ; quàm à vobis fiat? quot ab Arianis, à Photinianis, ab Ebionitis, reliquíſque majorum veſtrorum, Regiones Ethnicorum ſunt Chriſto adſcriptæ? quot à vobis, duobus hiſce ſeculis? quibus nos gentes barbarorum immaniſſimas, fidem Sacro-Sanctæ Trinitatis, & Incarnationis, adjuvante Domino plures docuimus; quàm Europa penè tota contineat: vos interea ùt videmus, vix in unico Tranſylvaniæ angulo conſiſtitis. Ridemini vel ab ipſis Turcis; quòd haud plus de Myſteriis

Divinitatis, vix de Christo plus, scire quàm illi velitis. Mysteriorum fidei caligo cælestis, Majestatem DEO, & religioni nostræ singularem conciliat: tantùm abest, ut eo nomine, sit prudentibus gentilium, salutísque suæ amantioribus, abominabilis. Populorum conversio non humanâ sapientiâ, & virtute; sed divinâ exercetur: DEUS autem Christúsque Dominus, operibus ac prodigiis suis cælestibus, cum iis ad eam concurrit, quos misit ad gentes omnes docendas, & qui sic primùm missis ritè succedunt: quia eam fidem prædicant, quæ divinitùs est hominibus tradita; neque illi contradicunt. *Non veni*, ajebat, *pacem mittere sed gladium*: hoc est, non pacem cum sensu, & cogitationibus hominum, cum carne ac sanguine, cum natura mortalium corrupta; sed gladium spiritualem, qui captivet in Christi obsequium intellectum, carnis desideria extinguat, motus naturæ ac voluntatis rebelles domet; flectat ad obediendum fidei, legíque Christianæ, cæca & prædura corda nostra.

25. Tertium, quo doctrinam hanc exosam hominibus, si possent, efficerent Christomachi, erat ratiocinatio penitùs humana, terrea, in carne sanguinéque fundata. Dedecet ajunt DEUM, ut homo, ut infans, puérque fiat; ut patiatur, & cunctis hominum calamitatibus obnoxius, pœnis demum gravissimis, ac morte infami, ab inimicis suis malè mulctetur. At quæro ex ipsis, patitúrne Christus, humiliatúrne paulò minùs ab Angelis, obedítne Patri ac DEO, secundùm naturam suam *Divinam*? minimè: sed secundùm solam naturam *humanam* nostræ similem: Divinitas illius omnibus his illæsa in seipsa, & immutata extitit perinde, ac peccatis aliis mortalium cùm offenditur: perinde, ac inimicum tuum hominem cùm occidis, DEUS intimè illi præsens, vulnus illud sentire, indéque aliquid in se ipso pati non potest. Vestis tua, cùm feritur corpore planè intacto; quid in te ipso mali accipis? species in Eucharistia panis & vini,

vini, dum effunduntur, calcantur, franguntur; num Christi Corpus glorioſum, detrimentum in ſe ullum ſuſtinet? Perſonæ, inquis, divinæ in Christo, eſt humanitas illa *patiens* hypoſtaticè per vos unita? Reſpondeo, unione illâ Divinitatem ipſam nullomodo mutari; ſed in eodem in quo ab æterno fuit, ſtatu beatitudinis, immenſo & immortali, & paſſionis in capace perſiſtere. Aſſumpſit quod non erat, id quod fuit non amiſit, per Incarnationem DEUS. Hunc nihilominus unionis illius admirabilis effectum eſſe confitemur; ut propterea Chriſtus ſit Perſona unica Divina, cum duabus ſuis naturis: Divina nempe, quam ſemper habuit; & humana, quâ ſe de novo veſtivit. Unde per communicationem idiomatum, cum Scripturis, Sanctiſque Patribus, prædicamus de Chriſto DEO humana; & de Chriſto homine divina: dicimus auctorem vitæ interfectum à Judæis, Virginem MARIAM eſſe Matrem DEI &c. Dicimus viciſſim, Chriſtum antequam Abraham fieret eſſe; quæcunque Pater fecerit, hæc & illum ſimiliter facere; populum de terra Ægypti ſalvâſſe &c. Quas prædicationes, ſi tu DEO inconvenientes putas; *non ſapis ea quæ DEI ſunt, ſed quæ ſunt hominum*: ùt inquiebat Dominus. Adverte interim propoſitiones illas eſſe quidem veriſſimas, atque à Spiritu Sancto acceptas; non tamen aliud iis ſignificari; quàm quòd DEUS in carne ſua ſit natus ex muliere, ſit paſſus ac mortuus, non autem in Deitate: quàm quòd caro & humanitas illa ſit ineffabili modo cum DEO Altiſſimo in unam Perſonam copulata.

26. Quæ cum ita ſint, reliqvum eſt ut explicemus; non fuiſſe indecens, ſed ſummè DEO conveniens, hoc modô incarnatum, infantem, puerum lactentem eſſe, innumera pati, ac denique morte turpiſſimâ condemnari, ſive iſta prædicari de DEO; & re verâ per humanitatem, quam is in unam ſecum Perſonam univit, impleri. Ergo tu putas DEO, ſi fieri voluit homo, decentius futurum fuiſſe; ut illa ipſius hu-

manitas, infantiæ, pueritiæ, cæteráſque mortalium miſerias nunquam ſuſtineret? ut nec pati, nec mori poſſet? ut glorioſo & immortali accepto corpore, ad dexteram illicò Patris conſideret? addo, te fortaſſe cum Judæis, diſcipulíſque Domini, antè Spiritûs Sancti adventum rudioribus, exiſtimare; Meſſiæ congruentius futurum fuiſſe, ut redimat Iſraël è ſervitute maliſque corporeis? ut inimicos ſuos armis debellet? atque ita Salomone beatior, in Regno Judæorum longè florentiſſimo, per annos plurimos ſedeat, abſque omni ſenſu doloris in cælum evolaturus? Accipe ſapientiam, & ſpiritum verè Divinum Chriſti Domini. Poſtquam Filium ſe DEI vivi, DEÚMque verum, ex confeſſione Petri, Diſcipulis ſuis declarâſſet; cœpit eis oſtendere, quia oporteret eum multa pati, & occidi, & tertiâ die reſurgere. Aſſumens eum Petrus, cæterorum vertex, cœpit increpare dicens: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc! Qui converſus dixit Petro: Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea quæ DEI ſunt, ſed ea quæ hominum.* Matth. 16. O incredibilem vecordiam hominum, Chriſto (ùt jactant) credentium! qui poſt hæc illius verba, exiſtimare volunt, Incarnato Filio DEI, calamitates humanas, dolores, mortem eſſe indecentem. Adjiciamus Apoſtolum Paulum ad Hebr. 4. 15. ſcribentem: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato.* Diſce obſecro, quid nam ſit indecens prædicari de Chriſto Filio DEI; quidnam ſit decens: peccatum ſolum excipitur, & proprii conſequenter effectus peccati; ùt eſt rebellio partis inferioris contra ſuperiorem, defectus gratiæ, ignorantia &c. quæ DEUM hominem factum in ipſa etiam humanitate ſua dedecebant: reliquæ autem infirmitates noſtræ omnes, ùt ſunt calamitates vitæ præſentis, ignominia, dolores, mors, illi non erant inhonora. Non ſunt iſta in oculis divinis minùs expetenda; quàm gloria, divitiæ, felicitas hujus ſeculi.

Li-

Libenter igitur, inquit Apostolus, *gloriabor in infirmitatibus meis; ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis; in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum.* 2. Cor. 12. 9. &c. Næ iste sapiebat ea, quæ DEI & Christi sunt; & non ea, quæ hominum. Audi rursus eundem 1. Cor. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis, Judæis atque Græcis, Christum DEI virtutem, & DEI sapientiam: quia quod stultum est DEI, sapientius est hominibus, & quod infirmum est DEI, fortius est hominibus.* Hæc oppidò Apostolica sententia ostendit evidenter; te qui crucifixum fuisse, inconveniens opinaris DEO, aut Judæum perfidum, aut Ethnicum esse: nec esse vocatum, sive Christianum: ostendit evidenter, quòd stultum videbatur in Christo, tui similibus (quem observa bene, bis hìc DEUM absolutè nominari) quod infirmum in DEO judicabatur; nempe in ligno suspendi, sapientius id, fortiúsque omni humanâ esse sapientiâ & potentiâ: quam Christus crucifixus devicit, prout futurum prædixerat: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans, quâ morte esset moriturus.* Joan. 12. En occisus, en mortuus Christus, opinione mundi victus, vicit morte suâ mundum, mortem, diabolum! O sapientiam! ô fortitudinem, & nunquam auditam, & ineffabilem! Hæc sanè possunt satìs rubefacere adversarios nostros, etiamnum cum perfidia Judæorum, & Gentilium stultitia, Christum Dominum Deúmque nostrum calumniantes.

27. Si porrò quæras, quid Ethnicis hæc eadem objicientibus sit respondendum? Dico tres esse potissimas causas Incarnationis Dominicæ. Prima, ut satisfaceret Christus pro peccatis nostris, delerétque chirographum mortis, quod

quod contra nos erat. Secunda, ut doceret nos, verbô & exemplô suô. Tertia, ut amorem suum immensum DEUS erga mundum exhiberet. Ad hæc omnia præstanda, nihil ajo congruentius, nihílq; fieri, vel excogitari potuisse à sapientia Divina efficacius, quàm ut Verbum æternum incarnatum, ea quæ credimus, in carne sua perageret, ac pateretur. Peccatum si spectamus, præterquam quòd satisfieri pro illo ex rigore justitiæ secùs Numini offenso non poterat; ùt Theologi, nósque cum illis jam demonstravimus: potuítne peccati gravitas hominum mentibus imprimi profundiùs, quàm passione mortéque incarnati DEI? Christus crucifixus, princeps omnium, & summum, & ineffabile argumentum est, à peccato nos absterrens; per quod rursum crucifigimus, nobismetipsis Filium DEI. Jure majori dicendus est is à peccatoribus traditus in manus hostium, cruciandus & interimendus, quàm á Judæis & Romanis. *Appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum*: non inaniter à tribus Evangelistis ea phrasis repetitur: Matth. 26. 45. Marc. 14. 41. Luc. 24. 7. ut & à Paulo ad Hebr. 12. 3. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem; ut ne fatigemini animis vestris deficientes, adversùm peccatum repugnantes.* O crudelissimum! ô verè immedicabile vulnus! ad quod sanandum, & ad cujus acerbitatem declarandam, Filium DEI oportebat vulnerari. Jam ut semitam justitiæ doceremur; scientiámque salutis acciperemus; ut mundus crucifixus nobis esset, & nos mundo; ut mala præsentia, mortémque ipsam non extimescéremus, sed patiendum in hac vita, noviſſimúmque locum esse tenendum, quò in futura exaltaremur: ut hæc, inquam, & similia probè discéremus, quid poterat exemplo Christi DEI nos ad id impellere, flecteréque solidiùs? *Christo igitur passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* 1. Petr. 4. 1. Cur addit passo in carne? nisi quòd

ille

ille *passus*, præter carnem fuit etiam DEUS. O novum & inauditum armorum genus, cogitationem Passionis Mortísque Dominicæ ! quibus armis nihil unquam orbis vidit potentius. Tolle Christo Divinitatem, vim armorum horum, & aculeum longè maximum, si non potiùs omnem sustulisti. Exemplum Christi nihil præseferret à sæculis absconditum, & obstupescendum, nisi DEUS is foret. O quam exilis esset verborum illorum tuorum energia Domine ! *Non est servus major Domino suo, nec est Discipulus supra Magistrum: si me persecuti sunt, & vos persequentur &c.* Cùm dixisset, ùt modò meminimus, Petro Dominus : *Non sapis ea, quæ DEI sunt, sed ea, quæ hominum*, subjicit protinùs Evangelista : *Tunc JESUS dixit Discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matth. 16. Hæc est illa doctrina, quam vitâ suâ omni nobis inculcandam judicavit Emmanuël *nobiscum DEUS.* Hac de causa is tradi Judæis, flagellari, conspui, crucifigi, regnum suum non esse de hoc mundo, verbis & exemplis demonstrare voluit. Multi nostrûm, fateor, hæc omnia credentes vivunt secundùm carnis mundíque desideria perinde, ac gentes inimicæ Crucis Christi, éstque id summum, quod præbemus gentilibus scandalum Christiani : sed animadvertendum est illis, hâc vicissim doctrinâ imbibitâ innumerabiles Sanctorum & Heroum Christianorum triumphare in cœlis, Christo & confixos Cruci, & conregnantes cum eo. Postremò ad amorem divinum erga nos manifestandum nihil à DEO fieri potuisse præstantius hâc suæ Incarnationis œconomiâ, est sole isto, quem nemo non videt, patentius. Hîc hîc explicavit Sapientia æterna clarissimè voces illas suas apud Salomonem : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Verbum illud suum explicavit Christus Joan. 15. *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hæc charitas DEI diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, quantis nostrum in eum amo-

rem extorſerit argumentis, eſt inexplicabile. Quid multa? ſi Chriſtum neges eſſe DEUM, amor DEI, ſtudium imitandi & audiendi Dominum, odium & horror peccati, langueat penitùs in pectore tuo, & enervetur oportet. Ergò ſi voluit DEUS hæc tria in nobis accendere per Chriſtum ſuum; convenientiſſima fuit DEO vero Incarnatio, & omnis illius diſpenſatio. Ergò qui Chriſto Divinitatem adimere nituntur, quantum ſit malum peccatum, quàm honeſtum & neceſſarium ſit imitari Chriſtum, abnegare ſemetipſum, crucem portare poſt illum, denique verbum illud Domini: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Joan. 3. verè nunquam intelligent. Hoc uno Fidei articulo in corde tuo vacillante, vel planè obliterato, Religionem omnem, Sanctitatémque Chriſtianam funditùs extinxiſti. Ex adverſo, Fide iſtâ ſolidatâ & vigente, ô quantos conſequêre theſauros cæleſtes! *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti; ut impleamini in omnem plenitudinem DEI.* ad Epheſ. 3. 17. &c.

28. Adjungi poſſet his, finis etiam quartus Incarnationis Verbi, videlicet major DEI, & Patris æterni gloria, quæ liquet jam quidem ſatis ex tribus illius finibus explicatis; duo tamen iſthic juverit breviſſimè notâſſe. Primum eſt, decuiſſe, ut DEUS Optimus Maximus, qui gloriâ in ſe ipſo fruebatur ab æterno infinitâ, ſuæque Majeſtati Divinæ pari, Pater in Filio & Spiritu Sancto, Filius in Patre ac Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus in utroque; decuiſſe ajo, ut ille DEUS Altiſſimus, ab opere quoque ſuo aliquo extra ſe condito reciperet gloriam infinitam, ſuâque immensâ Majeſtate condignam: hoc à nulla creatura pura, nec à mundo toto potuit habere: una igitur Perſonarum Divinarum incarna-

ta

ta eſt, quæ ſecundùm humanitatem ſuam actus elicuit non tantùm ſanctiſſimos; ſed etiam, propter Perſonam Divinam operantem, valoris infiniti; tum ad glorificandum DEUM, tum ad ſatisfaciendum pro peccato, tum ad merendum nobis in Chriſtum hunc crediturus. Hic eſt ille fructus maximus, Deóque digniſſimus Incarnationis Domini, quem etſi natura humana, quippe res creata, ſe ſolâ ſpectatâ proferre non poſſet, prout tamen in DEO ipſo ſubſiſtens una eſt cum illo Perſona, meretur, ſatisfacit, laudat, & glorificat Patrem, totámque Divinam Trinitatem actibus ſuis theandricis modo ac valore infinito. Alterum, quod noto, eſt; videri conveniens fuiſſe, ut non modò Angelus, & homo, creaturæ rationis compotes, ſed etiam cæteræ, quæ per ſeipſas obſequium Conditori ſuo præſtare proximè non poterant, ſervirent immediatè DEO ſuo, ſi poſſe id fieri aliquâ ratione, Sapientia Divina oſtendiſſet. En hoc in Verbo incarnato, Chriſto Domino impletum eſt! quem DEUM ſuum Sol & Luna illuminavit, cui Stellæ præluxerunt, quem aër fovit, terra ſuſtinuit, ignis calefecit, humectavit aqua, fruges terræ, ac beſtiæ, piſcéſque maris aluerunt, cujus auribus aves cantu ſuo, cui elementa omnia réſque creatæ, non ſecùs ac nobis, propter quos conditæ ſunt, Conditori ſuo ſerviverunt. *O Altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI! quis Conſiliarius ejus fuit*? Ex quo id etiam advertis, quòd congruentiùs formam hominis, quàm Angeli, DEUS aſſumpſerit. Nam homo Microcoſmus dicitur à Sapientibus, mundum totum in compendio parvo repræſentans: cum elementis eſt ſimpliciter, cum plantis vegetatur, cum animalibus ſentit, cum Angelis intelligit. Itaque Dum DEUS homo factus eſt, omni ſe aliquo modo creaturæ communicavit in natura noſtra, potuítque obſequium ei præſtari proximum ab omni creatura.

INSTI-

INSTITUTIO IX.

De vera Spiritûs Sancti Divinitate.

1. Filii veram, ſive unam & eandem cum Patre Deitatem, expoſuimus copiosè; nunc locus eſt aptiſſimus, de una pariter & eadem cum Patre ac Filio Divinitate Spiritûs Sancti, diſputandi nonnihil peculiariter. Tametſi ex iis quæ diximus, illa jam ſatìs intelligi poſſet. Adverſarii noſtri, non multùm ſolliciti eſſe videntur, de iſta quæſtione: ùt opinor ea de cauſa, quòd pluralitate in uno DEO Perſonarum ſemel admiſsâ; parvi pendunt, utrùm dualitas, an trinitas earum concedatur. Communiter ajunt, Spiritum Sanctum non eſſe Perſonam ullam, à Patre diſtinctam; ſed mentem, aut facultatem, aut quandam energiam, donúmque Patris. Veterum hæreticorum aliqui, non DEUM, ſed Filii creaturam eſſe, aſſeruerunt Spiritum Sanctum; quos ex inſtituto impugnat Athanaſ. in Epiſt. duabus ad Serapionem. Hæreſis hæc propria fuiſſe Macedonii videtur; contra quem jubente Damaſo Papâ celebratum eſt Concilium Oecumenicum ſecundum, Conſtantinopolitanum primum. Macedonio conſenſit Eunomius. Arianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, vox erat, inquit D. Gregor. Nazianz. orat. 5. de Theologia: *Spiritum Sanctum non verum, ſed peregrinum & adſcriptitium DEUM eſſe.* Valentinus quidam, Spiritum Sanctum eſſe Angelum quendam docuit; ùt S. Athanaſius teſtatur: quod delirium à pluribus poſtea receptum eſt. Eraſmi notiſſima eſt blaſphemia, præfat. in Libros Hilarii, querentis: *Audemus Spiritum Sanctum DEUM appellare; quod veteres non ſunt auſi.* Mentitur profectò, inquit Gregorius de Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 24. nisì veteres illos, intelligat hæreticos: Nos enim Sanctos Patres non modò auſos

ſos fuiſſe Spiritum Sanctum DEUM appellare ; ſed etiam integris voluminibus, veram illius Deitatem probaviſſe ; cunctiſque id non confitentibus, modo non uno maledixiſſe, demonſtrabimus. Ita ille. Philippus Melanchton in locis comm. anno ſeculi ſui 45. editis, fol. 53. ſcriptum reliquit : *quando mittitur Spiritus Sanctus ; aliquid eſſentiæ Divinæ mitti.* Unde Theologus Catholicus jam præfatus rectè concludit ; negatam ab eo Divinitatem Spiritûs Sancti : aliquid enim eſſentiæ Divinæ habere, eſt nihil de illa habere ; quæ omnino individua eſt. Georgium Enyedi ſuperâſſe amentiâ ſuâ omnes, quis negaverit ? cenſuit is Spiritum Sanctum, nequidem ſubſtantiam & Perſonam, ſed accidens duntaxat eſſe, fusè ab Ambroſio Pennaloſa, diſp. 6. confutatus. Scio in Scripturis Spiritum variè accipi. 1mò, pro ſubſtantia qualibet corpore moléque carente, quo modo & DEUM, & Angelos bonos nominare poteris Spiritus Sanctos : *qui facis Angelos tuos ſpiritus* Pſal. 103. 4. 2dò, pro motione aliqua DEI externa, & extraordinaria : ſic Spiritus Domini legitur irruiſſe in Samſonem, Jud. 14. in Saulem, 1. Reg. 10. in Eliſæum, 4. Reg. 2. ſic Spiritus DEI ſuſtulit Eliſæum in cœlum, rapuit Philippum &c. 3tiò. ſumitur Spiritus Sanctus pro Paracleto, quem Chriſtus miſit à Patre in terras, de quo ſolo, ſive de Perſona tertia in Trinitate Divina inſtituemus quæſtionem.

§. I.

Spiritus Sanctus eſt Perſona, & quidem à Patre Filióque diſtincta.

QUæ vos, ô Anti-trinitarii ! compulit impietas, ad hunc Spiritum Sanctum non ſolùm in ordinem creaturarum, ſed accidentium planè rejiciendum, quæ per ſe ſunt ſubſtantiâ completâ quâlibet inferiora, & imperfectiora ? Subſtantiam

am Philoſophi definiunt *ens per ſe*, accidens verò *ens in alio*. Accidentium natura eſt ineſſe ſubſtantiæ, ornare illam, ab ea dependere. Cujus igitur ſubſtantiæ accidens erit Spiritus Sanctus? an Divinæ? at nullum DEO accidens ineſſe, nihil à DEO diſtinctum enti ſimpliciſſimo intrinſecum eſſe poteſt; an humanæ, vel Angelicæ? at Spiritus Sanctus eſt, habitátque in nobis hominibus, vel in Angelis non ùt accidens in ſubſtantia, ſed ùt in templo ſuo DEUS, ùt Sanctificator & Rector in eo, quem regit ac ſanctificat. Major eſt Angelis hominibúſque omnibus; Angeli enim nobis ſerviunt, noſtri à DEO miniſtri conſtituti. Heb. 1. 7. & ibidem ℣. 14. Pſ. 103. 4. Spiritus Sanctus Gubernator, Dominus, Sponſus, Rector noſter eſt, tum communiter Eccleſiæ univerſæ, tum ſingulatim uniuſcujuſque animæ juſtæ ac ſanctæ. *Neſcitis quia Templum DEI eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis?* 1. Cor. 3. 16. *Neſcitis quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritûs Sancti, qui in vobis eſt?* 1. Cor. 6. 19. Ille præſidet Eccleſiæ in Concilio Congregatæ: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Act. 15. Ille ponit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI. Act. 20. 28. Ille loquitur per Sanctos ſuos, Prædicatores, & Scriptores: *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti DEI homines.* 2. Petri 1. 21. Sic eſt per Prophetas, ſic per Apoſtolos, aliósque ſervos DEI Sanctos locutus. Confirmantur hæc nervosè argumento Gregorii de Valentia paulò antè citati. Spiritus Sanctus eſt humanitate Chriſti præſtantior, nam Chriſtus quà homo, fuit virtute Spiritûs Sancti conceptus. Luc. 1. ab eodem fuit unctus. Iſa. 61. & Luc. 4. 18. ubi præterea evangelizare pauperibus, ſanare contritos corde, mittitur Dominus noſter à Spiritu Sancto, ab eodem ductus eſt in deſertum. Matth. 4. Luc. 4. Marc. 1. ab eodem roboratus ejecit dœmonia: Matth. 12. 28. quibus, pluribúſque ſimilibus ex documentis, multò excellentior ſubſtantia eſſe Spiritus Sanctus, quàm humanitas Chriſti, clariſſimè colligitur. Nunquam

legi-

legimus, (quod benè obſervandum eſt) à Spiritu Sancto dictum, vel de illo ſcriptum : *Pater major me eſt*, vel Pater major eo eſt, quia nunquam fuit hypoſtaticè unita ei aliqua natura creata, ſecundùm quàm id potuiſſet dici, prout eſt unita Verbo. Jam ſi Spiritus Sanctus major eſt Chriſto ſecundùm ſuam humanitatem accepto, major ſit oportet Angelis, hominibus, creaturis puris univerſis, quæ Chriſto etiam ùt homini tanquam capiti ſuo ſubjectæ ſunt, flectitúrque illi omne genu. *Quicunque dixerit* ait Dominus Matth. 12. 32. *verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* An hoc, ô Chriſte JESU, Sapientia Patris! dicere poteras, nisì Spiritus Sanctus tecum & cum Patre tuo conſubſtantialis, atque unus & idem DEUS foret?

3. At inquiunt, Spiritum Sanctum poſſe in his, aliiſque textibus intelligi nihil eſſe aliud, quàm gratiam, unctionem, donum DEI, quod eſt in nobis, & quo nos Pater ſanctificat; nihil igitur eſt ille amplius, quàm accidens aliquod ſupernaturale, quàm lumen cæleſte, charitáſque DEI diffuſa in cordibus noſtris. Reſpondeo, evidens eſſe, quòd Spiritum Sanctum Perſonam ungentem, infundentem charitatem & dona, dividentem gratias prout vult, loquentem in nobis, docentem, regentémque nos, aſſerant literæ divinæ, in locis memoratis, ac memorandis, & non tantummodo unctionem ipſam, ſive donum, gratiámque divinam, illuſtrantem nos & accendentem. Ne plura : obſtruat os tuum blaſphemum Sanctus Paulus 1. Cor. 12. *Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus : & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus : & diviſiones operationum ſunt, idem verò DEUS, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritûs ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ : alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum : alteri*

ri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult. Adverte quemadmodùm tres diſtinctim inducat Perſonas Divinas: 1mò. *Spiritum Sanctum* Authorem gratiarum & diſpenſatorem, 2dò. *Dominum* Chriſtum JESUM miniſteria Eccleſiæ ſuæ dividentem, 3tiò. *Patrem*; cui Nomen DEI tanquam principio & fonti proceſſionum, Perſonarúmque Divinarum appropriat, operanti omnia in omnibus: quæ licèt cuncta, ùt & alia opera DEI extra illum facta, ſint toti re ipsâ Sanctiſſimæ communia Trinitati; appropriari tamen legimus jam Patri, jam Filio, jam Spiritui Sancto; ut DEUM non modò unum, ſed etiam trinum, hoc eſt, tres in eo ſingillatim Perſonas, crebriùs confiteamur, adoremus, exaltemus. Accidens igitur erit tibi Spiritus Sanctus operans hæc, dividénsque ſingulis prout vult? Accidentia, quæ tu enumerâſti, ac dona, quæ Paulus recenſet, ſunt effectus Spiritûs Sancti, non ipſe formaliter Spiritus Sanctus: *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*: inquit Apoſtolus. Non nego, interdum, neque rarò, unctionem, lumen cordium, donum DEI vocari à nobis Spiritum Sanctum, ſed per tropum, effectum pro cauſa ponimus, per effectum intelligimus cauſam ungentem, illuminantem, donantem. Taliter SS. PP. in Chriſti, ſive uncti nomine, totam individuam Trinitatem ſibi repræſentant: Patrem ab æterno ungentem, ſive generantem Filium, & generando ſuam ei Deitatem Sanctitatémque communicantem; Filium unctum ſive genitum; Spiritum Sanctum Unctionem, quia unctionis noſtræ ac ſanctificationis, imò & gratiarum humanitati Dominicæ infuſarum, ille Author eſt.

4. Sed enim probandum nobis eſt directè, Spiritum Sanctum eſſe Subſtantiam, & Perſonam intellectu ac voluntate

tate præditam, à Patre Filióque distinctam. 1mò. Christus eum promisit semper, misítque deinde cum Patre suo in mundum, ùt à se, Patréque suo distinctam Personam. Quid certius? textus in eam sententiam & permultos, & clarissimos recitavimus Instit. priore, §. 2. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in Nomine meo, ille vos docebit omnia. Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. &c.* 2dò. Apostoli pariter accipientes Spiritum Sanctum, locuti sunt de illo semper tanquam de intelligente, mandante, docente, regente ipsos Persona, imò tanquam de Persona Divina, ùt liquet ex textibus ibidem recitatis. 3tiò. Christus mittens ad Ecclesiam fundandam Apostolos jussit eos docere omnes gentes ac baptizare *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* O inconcussum! ô inæstimabile argumentum Personarum trium in uno DEO profitendarum! 4tò. Discipulus, quem diligebat JESUS, scripsit expressè: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* 1. Joan. 5. 7. Testimonium dant in Cœlo, sunt igitur intelligentes, sunt, cælestes: tres sunt, non igitur una, vel duæ Personæ testes. 5tò. Deniq; sæpiùs hos ipsos tres ùt Personas divinas distinctas conjungunt Literæ divinæ, Propheticæ obscuriùs & in nube, Apostolicæ lucidissimè. Sic paulò antè allegatus Paulus, 1. Cor. 12. Spiritum Sanctum gratias dividentem, Filium dividentem ministrationes, DEUM Patrem operationes dividentem producit. Sic idem secundam suam ad Cor. epistolam concludit: *Gratia Domini nostri JESU Christi, & Charitas DEI, & communicatio Sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis. Amen.* Sic apud Isaiam cap. 6. Domino DEO Exercituum ter *Sanctus,*

Sanctus, *Sanctus* concinitur à Seraphinis, hoc eſt Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ùt jam ſatìs eſt declaratum. Exempla plura non affero; ne quæ dicta ſunt repetam, vel quæ dicenda ſunt præoccupem.

§. II.

Vera Spiritûs Sancti Divinitas teſtimoniis Scripturarum comprobatur.

5. ORdinem in his eundem ſervabo, quem tenuit Gregorius de Valentia lib. de Trinit. cap. 24. à Clemente VIII. Pontifice Maximo *Doctor Doctorum* aliquando appellatus. In Claſſim primam pono ea teſtimonia, quibus directè aſſeritur Spiritus Sanctus eſſe DEUS. 1mò. Actor. 5. Celebris eſt hiſtoria Petri, Ananiam, & Saphiram uxorem eius de pretio agri fraudantes ſubitâ morte plectentis. *Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat poteſtate? quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed DEO. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & exſpiravit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes, qui audiêrunt.* Uxor Ananiæ Saphira, neſciens quod viro acciderat, interrogatur item de juſto agri pretio, illud neganti, mox idem factum eſt, cui etiam exprobratum à Petro: *quid convenit vobis tentare Spiritum Domini?* Ex hac narratione liquet perſpicuè, Spiritum Sanctum eſſe DEUM Altiſſimum, tum quòd primi illi Chriſtiani, abdicantes à ſe, juxta conſilium Chriſti, fortunarum ſuarum poſſeſſionem, votum emiſerunt paupertatis, voventes eam Spiritui Sancto; votum autem, quippe actus Latriæ, non nisì DEO vero nuncupatur: tum quòd Petrus dixit,

non

non es mentitus hominibus, ſed DEO. cui DEO? Spiritui Sancto, ut expreſsè viro & mulieri declaratum eſt. Ita D. Athan. D. Gregor. Nazianz. & alii Patrum. 2dò. Clariſſimè id ipſum teſtatur S. Paulus. 1. Cor. 3. 16. *Neſcitis quia Templum DEI eſtis, & Spiritus DEI habitat in vobis? Si quis autem Templum DEI violaverit, diſperdet illum DEUS: Templum enim DEI Sanctum eſt, quod eſtis vos.* Rurſus infrà 1. Cor. 6. 19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritûs Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à DEO, & non eſtis veſtri? empti enim eſtis pretio magno: glorificate & portate DEUM in corpore veſtro.* *Quem DEUM?* quærit Auguſtinus Epiſt. 66. *nisi Spiritum Sanctum, cujus corpora noſtra dixerat eſſe Templum?* Idem Apoſtolus, 2. Cor. 6. 16. *Vos eſtis Templum DEI vivi, ſicut dicit DEUS: quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Quid frequentius in Bibliis, quàm Templum eſſe Domum propriam DEI? An verò creatura ulla in nobis habitabit, tanquam in Templo ſuo? *Dicito* (præclarè Athan. in Dial. de Trinit. contr. Anomæos ſub finem) *ubi tandem in Scriptura dicatur, Propheta vel Apoſtolus, vel in genere homo quiſpiam, Templum Angeli vel ullius rei creatæ?* Baſil. quoque lib. 4. ſub finem, argumentô iſtô validè conſtringit Eunomium. Quod objiciunt adverſarii, phraſi Scripturæ, verbum item DEI, & fidem, & alia dona cæleſtia in nobis habitare; neque tamen aut Fidem, aut Evangelium, aut illa dona eſſe DEUM: id ajo vaniſſimum eſſe. Nam hæc habitant, vel propriè ſunt in nobis, non ùt in Templo *ſuo*; ſed ùt in Templo DEI, ea dona virtutéſque operantis in nobis: ſunt veluti aulæa, & ornamenta, in domo Principis. Templum in Scriptura centenis & centenis vicibus repetitur, nec uſquam alio in ſenſu ponitur; ac pro domo, vel DEO vero; vel falſo (apud Ethnicos) dicata. Dicimus Angelos etiam & Sanctos, eorúmque corpora in Templis habitare; ſed non ùt in ſua, verùm ùt in DEI ipſorum

domo : cui uni, cultu latriæ colendo, dicantur templa ; licèt in illis colamus propter DEUM, amicos etiam ejus, cultu alio inferiore.

6. 3tiò. Rectè docet Basil. in serm. contr. Sabellianos, & Athan. citatus; Spiritum Sanctum tòties in Codice sacro appellari DEUM verum, quoties vocatur Spiritus DEI, Spiritus divinus &c. id quod fit frequentissimè. *Quid enim aliud est Spiritus Divinus, vel Spiritus DEI, quàm DEUS?* quærit Athanasius. Ne porrò per Spiritum DEI, possis ullô modô intelligere Angelos; accipe verba David novissima, 2. Reg. 23. 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam : dixit DEUS Israël mihi ; locutus est fortis Israël, Dominator hominum justus, Dominator in timore DEI.* Non audis Spiritum Domini, qui loquebatur Davidi, & per Davidem ; esse DEUM Israëlis, fortem, Dominatorem? Ne porrò tu eum, in unam cum DEO Patre loquente Personam confundas ; vetat Christus & Evangelium, revelans lucidissimè, Spiritum hunc Sanctum DEI, esse Paracletum alium ; Personam esse à Patre, Filióque distinctam. 4tò. Spectat eodem benedictio elegantissima D. Pauli, 2. Thess. 3. 5. *Dominus autem dirigat corda vestra, in charitate DEI, & patientia Christi.* Nonne tres hoc loco Personæ divinæ, ac trifariam DEUS unus benedicens inducitur? Dominus dirigens, DEI charitas, patientia vel expectatio Christi Judicis; ùt eam patientiam explicant Interpretum multi? Tu, scio, Dominum dirigentem, & charitatem DEI, uni eidem Personæ divinæ Patris applicabis : at si non aliam etiam voluisset verbis his significare Personam Apostolus ; dixisset : Dominus dirigat corda vestra in charitate sui, & patientia Christi. Vacabitne mysterio, divisio benedictionis in illos tres descripta, scilicet in Dominum, in DEUM, in Christum? Spiritui Sancto seu Nomen DEI, seu Nomen Domini applices ; habemus quod urge-

urgemus. Audi Athanasium in disput. cum Ario in Concilio Nicæno, textu isto insultantem hæresiarchæ illi: *Quemnam Dominum hìc appellari putas? Patrem? an Spiritum Sanctum? nam Christum expressè recensuit. Si enim primo loco Patrem hîc constituas; DEUS est Spiritus: sin Spiritum primo loco ibi nominatum confiteris; necessè est, ut eum Dominum quoque concedas. Quòd si Dominus est; nimirum & DEUS quoque habendus erit. Scriptum est enim: Ego sum Dominus DEUS tuus,* ita ille. Recurrit sæpius in Literis divinis eadem benedicendi forma, in Nomine Trinitatis Sanctissimæ, subobscurè insinuata; & nobis ab Interpretibus Sanctis explicata. Paulò antè, in eadem Epistola cap. 2. sub finem Apostolus: *Ipse autem Dominus noster JESUS Christus, & DEUS, & Pater noster, exhortetur corda vestra, & confirmet &c.* David Psal. 66. *Benedicat nos DEUS, DEUS noster, benedicat nos DEUS, & metuant eum omnes fines terræ.* In his oraculis cælestibus denotari quid amplius repetitionibus ejusmodi, quàm tu putas, adverterunt Spiritu Sancto inspirati Patres nostri.

7. Secunda Classis eorum testimoniorum sit, in quibus combinando veteris Testamenti verba, cum Evangelicis illa explicantibus, relucet vera Spiritûs Sancti Divinitas manifestissimè. Argumento eodem demonstravimus suprà Divinitatem veram Filii DEI; quo nihil esse potest adversus vos credere volentes Evangelio, efficacius. 1mò. Isaias in solenni visione sua cap. 6. *In anno quo mortuus est Rex Osias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum &c.* cui postquam à Seraphinis trisagion cantari audivisset; subjungit: *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? & dixi: ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude &c.* Dominum hunc Exercituum, loquentem Isaiæ Prophetæ, fuisse DEUM Al-

tiſſimum, eſt indubitabile. Atqui S. Paulus Actor. 28. Romæ in libera cuſtodia prædicans, ſuadénſque Judæis de JESU, ex lege Moyſi & Prophetis, à manè uſque ad veſperum, hoc unô demum verbô concluſit orationem ſuam. *Quia bene Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam, ad Patres noſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis. Incraſſatum enim eſt cor populi hujus &c. Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare DEI; & ipſi audient.* Ergò evidentiſſimum eſt, ſi Paulo ſit fides, viſum ab Iſaia in ſolio illo excelſo Dominum Exercituum, eſſe Spiritum Sanctum: miſſum Iſaiam à Spiritu Sancto; Spiritúmque Sanctum dixiſſe Prophetæ: *Vade ad populum iſtum, & dic ad eos &c.* Ergo id etiam perſpicuè colligitur ex his duobus locis, nova & vetera proferente, atque inter ſe conferente, Scribâ doctô in Regno Cœlorum: quòd Myſterium Diviniſſimæ Trinitatis fuerit Iſaiæ tunc revelatum; cui propterea triſagion ab Angelis acclamatum: quòd credere nolentes ei Judæi, deſcribantur excæcandi, & cor ipſorum aggravandum: quòd Paulus de JESU ſuadens, de hoc ſit myſterio concionatus. Nam Patrem ab Iſaia viſum, nec adverſarius ibit inficias; Chriſtum viſum, Evangeliſta (ùt jam audivimus, Joan. 12. 41) teſtatur; Spiritum Sanctum viſum Paulus. Chriſti fide, contineri fidem Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, ex his, & hactenus dictis eſt certiſſimum. Baſilius eleganter lib. 5. cont. Eunomium: *Propheta Iſaias Patris Perſonam inducit, in quem credebant Judæi; Evangeliſta, Filii: Paulus, Spiritûs Sancti: unum Dominum Sabaoth, qui viſus eſſet in communi nominantes. Diviſus eſt enim ipſis ſermo de Perſonarum hypoſtaſi; indiviſâ manente in ipſis de uno DEO ſententiâ.* 2dò. Non ſolùm unus vel alter legis priſcæ textus, ſed totum Teſtamentum illud, Apoſtolis interpretantibus, oſtendit clariſſimè, Spiritum Sanctum eſſe DEUM verum; eſſe DEUM Iſraëlis Altiſſimum.

In

In toto enim illo, qui loquebatur, mandabat, operabatur, per Moyſem & Prophetas, erat Spiritus Sanctus. Quoties id Evangelicæ paginæ declarârunt apertiſſimè? quoties legimus in iis libros ſacros veteres citantibus, ſolenne illud ſuum, *dixit Spiritus Sanctus*? & ubi non legimus, intelligere verè debemus. Scripturam eſſe verbum DEI Altiſſimi, quis negare poteſt? eſſe porrò verbum Spiritûs Sancti, & Spiritum hunc Sanctum eſſe Perſonam à Patre Filióque, à quo utroque ad nos miſſus, nobiſque datus eſt, diſtinctam; clamat Evangelium: eſſe igitur Spiritum Sanctum, tertiam in hac Sacro-Sancta Trinitate Perſonam; eſſe DEUM Altiſſimum, indubium ſit oportet, veritatem Evangelii non vocantibus in dubium. *Benedictus Dominus DEUS Iſraël*, canit Zacharias, Luc. 1. & ſubjicit: *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus*: At Spiritum Sanctum locutum per Sanctos illos affirmavit Chriſtus, Marc. 12. 36. *Ipſe enim David dicit in Spiritu Sancto*: *Dixit Dominus Domino meo; ſede à dextris meis.* Affirmavit Vicarius Chriſti primus 2. Petr. 1. 12. *Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti DEI homines.* Nonne per Pſaltem Regium locutus eſt DEUS verus? at ejus Pſalmum, 94. citans Apoſtolus, ad Hebr. 3. 7. *Quapropter*, inquit, *ſicut dicit Spiritus Sanctus*: *Hodie ſi vocem ejus audiêritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto; ubi tentaverunt me Patres veſtri, probaverunt & viderunt opera mea*: & reliqua per longum ibidem è Pſalmo recitata. Ergo tentaverunt Spiritum Sanctum; & non Patrem, aut Filium ſolùm; probaverunt & viderunt opera totius Trinitatis. Nonne DEUS verus erat ille, qui Moyſi præcipiebat, Lev. 16. 2. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quo tegitur Arca; ut non moriatur?*

At Apoſtolus, ad Hebr. 9. præceptum illud commemorans, quid eo voluerit indicare Altiſſimus, confeſtim ſubjungit ℣. 8. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam; adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.* Ergo loquebatur tum, & mandabat Moyſi, & Aaron, & Sacerdotio Fœderis antiqui, Spiritus Sanctus. Denique ut complura generis ejuſdem præteream; nonnè DEUS verus erat ille, qui promiſit mundo, Jer. 31. 33. *Hoc erit pactum, quod feriam cum Domo Iſraël, poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam; & ero eis in DEUM, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcetis me &c.* Hæc fuit manifeſta novi noſtríque Teſtamenti promiſſio; quam à Spiritu Sancto factam, Paulus irrefragabili teſtimonio docet, ad Hebr. 10. 15. *Conteſtatur autem nos & Spiritus Sanctus: poſtquam enim dixit: hoc autem Teſtamentum quod teſtabor ad illos, poſt dies illos, dicit Dominus; dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum jam non amplius recordabor. &c.* Quid vultis amplius? Si Scripturam omnem, operáque DEI, quæ illa narrat, confiteri debetis eſſe verba & opera Spiritûs Sancti; quâ impudentiâ negabitis vos hominibus Chriſtianis, veram illius, & eandem cum Patre ac Filio Divinitatem?

8. Tertia Claſſis eorum locorum ſit, in quibus DEI unius proprietates, Spiritui Sancto æquè, ac Patri & Filio tribuuntur. 1mò. Immenſitas. *Quò ibo à Spiritu tuo?* Pſal. 138. ℣. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum; & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Sap. 1. 7. Textum hunc SS. Patres paſſim de Spiritu Sancto accipiunt; & Eccleſia jure optimo diei Pentecoſtes adaptat. 2dò. Bonitas. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Pſal. 142. 12. ille nimi-

mirum Spiritus, de quo Salvator dixit, Luc. 11. 13. *Pater veſter de Cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe:* id eſt, ne inanem controverſiam moveas de Patris dantis eminentia ſupra eum, qui datur; Pater & tota Sanctiſſima Trinitas dabit; ut Spiritus Sanctus cui appropriantur hæc dona cœleſtia, in vobis habitet, atque operetur. 3tio. Omnipotentia. Sap. 7. 22. ubi cùm ſermo eſſet de Sapientia, ſeu de Verbo æterno; annectitur: *Eſt enim in illa, Spiritus intelligentiæ; Sanctus, Unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mundus, ſubtilis &c.* Unde S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 19. tertiam Trinitatis Perſonam eſſe infinitæ virtutis meritò concludit; cùm tantæ præfatæ illius prærogativæ, puræ creaturæ convenire nequeant; & in Paracletum noſtrum, ùt Lorinus in hunc locum obſervat, optimè quadrent. 4to. Sapientia. S. Paulus 1. Cor. 2. 10. *Nobis*, inquit, *revelavit DEUS per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda DEI. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ DEI ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus DEI. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus; ſed Spiritum, qui ex DEO eſt. &c.* Quòd porrò dicatur Spiritus ſcrutari omnia; non ſignificat eum laborare; ut diſcat, nôrítque cuncta: ſed contrà potiùs, omnia eum penitus comprehendere: quomodo DEUS, ſæpius, *ſcrutans corda & renes*, vocatur: ùt rectè advertit adverſus hanc ipſam cavillationem veterum hæreticorum, Baſil. lib. 5. in Eunomium, & Idacius Clarus, lib. contr. Varimadum Arianum. Quare inconcuſſum eſt argumentum Athanaſii, diſputantis cum Ario, in Concilio Nicæno: DEUS incomprehenſibilis eſt, quia licèt ſe ipſe comprehendat; à nulla tamen creatura comprehendi poteſt:

ſed Spiritus Sanctus comprehendit DEUM ; quia etiam profunda DEI ſcrutatur : igitur Spiritus Sanctus creatura non eſt. Si creatura non eſt ; DEUS eſt. *Omnis enim ſubſtantia, quæ eſt ; ſi creatura non eſt, DEUS eſt* : ùt inquit Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 6.

9. Quarta Claſſis conflatur ex illis documentis ; quæ operationes divinas aſſignant Spiritui Sancto. 1mò. Creationem. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt ; & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Pſal. 32. 6. qui verſus, creatum in principio (à tota Sanctiſſima Trinitate, in novo Teſtamento revelanda) mundum, ſatìs inſinuat; ùt Sancti obſervârunt Interpretes : etſi enim videatur pro eodem accipi poſſe, Verbum Domini, & Spiritus oris ejus; non eſſe tamen inanem hanc repetitionem, ſed altiora proponi à Spiritu Sancto myſteria, notârunt Viri eodem repleti : ſcilicet in *Domino* Parrem, in *Verbo* Filium, in *Spiritu oris ejus* Spiritum Sanctum. 2dò. Conſervationem. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum ; & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Sap. 1. 3tiò. Juſtificationem. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in Nomine Domini noſtri JESU Chriſti, & in Spiritu DEI noſtri.* 1. Cor. 6. Gratiam divinam, quâ juſti, ſanctique reddimur, eſſe gratiam & operationem Spiritûs Sancti, quid vis ut probem ? 4tò. Salvationem. *Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Apoc. 14. 13. 5tò. Prædictionem futurorum. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus, per os David de Juda.* Actor. 1. Nonne Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt, & loqvuntur Prophetæ veri univerſi ? 6tò. Patrationem miraculorum. *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritûs Sancti.* ad Rom. 15. 19. Si tu putidum illud oggeris ; patrârunt & homines Sancti miracula : quis non reſpondeat, patrârunt ; ſed non in nomine virtutéque ſua ; verùm in Nomine Chriſti, & in virtute Spiritûs Sancti ? 7mò. Vivificationem & Reſuſcitationem.

Pau-

Paulus ad Rom. 8. postquam dixit: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*: subjicit *v.* 11. *Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit JESUM à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit JESUM Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* 8vò. Gubernationem supremam Ecclesiæ, profectam ex authoritate sua propria; utì Pater & Filius eandem gubernant. *Attendite vobis & universo gregi; in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam &c.* Actor. 20. Cùm visione singulari ostensum fuisset Petro, non solis Judæis, sed & Gentibus communicandam Evangelii gratiam; cogitante illo de visione, *dixit Spiritus ei*: *Ecce viri tres quærunt te: surge itaque descende, & vade cum eis; nihil dubitans, quia ego misi illos.* Act. 10. Paulus & Timotheus Actor. 16. *Transeuntes Phrygiam, & Galatiæ Regionem, vetati sunt à Spiritu Sancto loqui Verbum DEI in Asia.* Dominatus iste Spiritûs Sancti summus super Ecclesiam, cui volventi Evangelica scripta potest esse dubius? 9no. Largitionem & Distributionem donorum spiritualium in Ecclesia. Vide Apostolum 1. Cor. 12. enumerantem ea, & addentem: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Idem ad Rom. 5. 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Rursùm: *Non est Regnum DEI esca & potus; sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* ad Rom. 14. 17.

10. Sunt alia præterea Codicis Sacri testimonia non pauca, ex quibus simili modo patet, Spiritum Sanctum esse Patri ac Filio æqualem & consubstantialem DEUM. Producamus eorum aliqua. 1mò. Telum Sanctorum Patrum erat, éstque, si manu peritâ tractetur, invictum pro Divinitate Filii, verbum illud Christi: *Ego, & Pater unum sumus*: ecce idem hoc subministratur nobis ab eodem Evangelista, pro Spiritûs etiam Sancti Deitate vera. *Quoniam tres sunt, qui testimo-*

ſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt. 1. Joan. 5. 7. de quo textu plura Inſtitutione ſequenti. 2dò. ſæpius in Literis divinis enumerantur creaturæ DEI principales; atque ad laudandum Dominum invitantur à Davide, Pſal. 148. A tribus pueris in camino ignis ardentis, Dan. 3. in ſerie creaturarum nuſquam ponitur Spiritus Sanctus. Benedic Spiritus Sancte Domino, non legis; ſicut legimus, *Benedicite Angeli Domini Domino.* At ex oppoſito, vel cum Patre ac Filio ſolo componitur; vel per ſe ſolus commemoratur Spiritus Sanctus. Hoc argumento probabat D. Athanaſius Divinitatem Verbi; ſerm. 3. contr. Arianos. Rectiſſimè Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 18. *Spiritûs Sancti conſortium ad Patrem & Filium, ſatis hoc declarat, quòd non in turba creaturarum locatus eſt; ſed ſolitariè pronunciatur.* Eminentior eſt igitur omni rerum creaturarum ordine; ac tanquam ejuſdem Majeſtatis, cum Patre ac Filio conſociatur. Quoties id ex Evangelio, ex Apoſtolis, ex Literis Sacris audivimus? exempla ſunt innumera, quæ attuli & afferam. O ineffabilis ſocietas, æqualitas, unio Spiritûs Sancti cum Patre ac Filio! 3tiò. Adverſarii fatentur, nihil præter DEUM altiſſimum, Chriſto (quem hominem purum & creaturam illi inſipienter credunt) antecellere; ſed certiſſimum eſt Spiritum Sanctum, ùt jam ſuprà oſtendimus, humanitate Chriſti eſſe præſtantiorem: ergò is eſt evidenter DEUS altiſſimus. Chriſtus ùt homo conceptus & ſanctificatus eſt à Spiritu Sancto. Luc. 1. unctus; Iſa. 61. ductus in deſertum; Luc. 4. *per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum DEO.* ad Hebr. 9. 14. ejicit dæmonia; Matth. 12. Spiritus Sanctus *ſuſcitavit JESUM à mortuis.* ad Rom. 8. 11. Chriſto igitur quà homine (ut multa ejuſmodi documenta omittam) major eſt abſque omni controverſia Spiritus Sanctus. Hinc ille nunquam ſe minorem DEO ſignificat, prouti

uti Christus propter formam servi acceptam; nunquam eum Dominum, Deúmque suum confitetur. Unde Sanctus quoque Augustᵘ. lib. 1. contra Maximinum optimè concludit, Spiritum Sanctum creaturam minimè dici posse; qui naturam non nisì unam, hoc est divinam, habuerit. Si objicias à Paulo scriptum esse Rom. 8. 26. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus; quia secundùm DEUM postulat pro Sanctis*: est igitur & ille, non secùs ac Christus, DEO Patre, à quo postulat, inferior. Respondeo, à nemine sanorum, sanctorúmque Interpretum, locum hunc sic intelligi; ut Spiritus Sanctus postulet pro nobis, eo re vera modo, quo Christus quà homo pro suis oravit; quo modo intelligere verba illa voluit Arius, & Macedonius, ab Augustino citato aliísque refutatus: sed Spiritus Sanctus (ajunt aliqui) postulat; id est, charitas & gratia nobis à Spiritu Sancto data, orat, gemítque: alii verò, *postulat*, inquiunt; hoc est, *postulare nos facit*; quæ locutio est per hebraismum. Sic Matth. 10. 20. dicitur, *Spiritus Patris, qui loquitur in vobis*; id est, qui loqui vos facit. Atque ista comparatio Spiritûs Sancti loquentis in nobis, & postulantis pro nobis, si benè attendatur, hunc optimè textũ explicabit. Origenes eleganti similitudine, id illustrat. Quemadmodum (inquit) Magister, ut rudem discipulum doceat; ad ejus se ruditatem demittit, ipséque præit literas pronuncians; ut puer eas repetens addiscat: ita Spiritus Sanctus, spiritum nostrum perturbatum, nescientémque orare ac gemere, vel mala desiderantem videns, quasi Magister, orationem gemitúsque nobis præmittit, & immittit; quò ut oportet oremus, ac gemamus. Denique alii; postulat Spiritus Sanctus, ajunt; hoc est, postulationes nostras ceu fructus suos agnoscit; & quasi Paracletus sive advocatus noster, toti Sanctissimæ Trinitati repræsentat, ac demum exaudit. Taliter & Filium interpellare pro nobis in cœlo exponunt aliqui: propriè

priè autem loquendo, Spiritum Sanctum, eo modo, quo humanitatem Christi, ad DEUM pro nobis orare, nuspiam legis. 4to. Æquè in Spiritûs Sancti, atque in Nomine Patris, & Filii, Christianos baptismo initiare jussi sunt Apostoli. Matth. 28. O nunquam satis explicabile testimonium Divinissimæ Trinitatis! de quo infrà copiosiùs. Non absque causa baptismum promulgans primùm Dominus, solius Spiritûs Sancti expressè meminit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; non potest introire in Regnum DEI.* Joan. 3. 5. & Apostolus ad Tit. 3. 5. *Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti.* Pulchrè Gregor. Nazianz. Orat. de Theologia: *Si non est DEUS adorandus Spiritus Sanctus; quomodo me Deum per baptismum efficit?* & D. Cyrill. lib. 13. thesauri cap. 1. *Naturâ igitur & essentialiter, Spiritus Sanctus DEUS est; quoniam qui ipsum suscipiunt, Dii per gratiam efficiuntur.*

11. Postremò eadem summa veritas, roboratur firmissimè argumento illo; quòd cultu Divino & Latriâ colendus sit Spiritus Sanctus, perinde ac Pater & Filius. Probo id 1mò. quia templa dicimur Spiritûs Sancti speciatim; quamvis tota Sanctissima Trinitas habitet in nobis, ùt in Templo suo. Quid pulchrius Augustini ea de re ratiocinatione in Epist. 66. *Si Templum facere Spiritui Sancto juberemur; sicut fecit Salomon de lignis & lapidibus; utique faciendo Templum, Latriam illi, hoc est cultum Divinum exhibere convinceremur: quantò magis igitur latriam debemus; cui non Templum facimus, sed sumus.* Affert porrò Sanctus Doctor aptissimè pro exemplo Templum Salomonis: nam eo tempore quo nos Apostoli, Templa Spiritûs Sancti vocabant; haud erat aliud veri DEI Templum in terris, quò eâ denominatione alluderent; quàm Templum Salomonis. 2do. quia summus ei cultus latriæ debetur; in cujus nomine baptizamur: ùt verissimè notavit Basil. lib. 5. contr. Eunomium. 3tio. quia eo etiam titulo latriâ

triâ colimus Spiritum Sanctum : quòd in eum credimus, similiter atque in Patrem, & Filium. Declarat hoc expresè Apostolorum symbolum, prout in illo explicui : cujus hæc est Synopsis : Credo in DEUM Patrem ; & in JESUM Christum Filium ejus unicum ; Credo in Spiritum Sanctum : in Ecclesiam non credimus ; sed credimus sanctam Ecclesiam Catholicam, & reliqua. Urgens hanc rationem Athanasius in Epist. ad Episcopos Africæ : *Nemini*, ait, *Christianorum unquam dubium fuit ; nos in DEUM, non in creaturam credere.* Haberétne secus vim celebris illa Christi argumentatio ? *Non turbetur cor vestrum, creditis in DEUM ; & in me credite.* Joan. 14. 4to. quia jubet Paulus coli Spiritum Sanctum ùt DEUM, hoc est cultu latriæ 1. Cor. 6. 20. *Glorificate & portate DEUM in corpore vestro* : ubi Spiritum Sanctum vocari ab eo DEUM, habitantem in nobis ùt in Templo suo ; & mandari ut glorificemus eum, expendenti contextum liquet satìs clarè. 5to. quia servire Angelos Spiritui Sancto, æquè ac Filio, Divus Athanas. in Epist. ad Serapionem observavit : *Spiritui Sancto*, inquit, *pariter & Filio, minister apud MARIAM est Gabriel, cùm dicit : Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Virtus hæc Altissimi est ille idem Spiritus Sanctus, qui Conceptionis & Incarnationis Christi Mysterium, in umbra & caligine Majestatis divinæ propria, operabatur in Virgine. Quomodo non adorent eum Angeli, cui Seraphini apud Isaiam, ùt jam semel docui, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, reverentiâ DEO debitâ conclamant ? 6to. demum, quia præcepto, illo à Christo repetito, Matth. 4. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies* ; non solùm Patrem, sed & Filium, & Spiritum Sanctum cultu latriæ adorandum præscribi, tradit August. Ep. 66. *Unus enim, cui per latriam servire jubemur, ita ibi dicitur solus ; ut & Pater intelligatur, & Filius, & etiam Spiritus Sanctus : de illo quippe dicit Apostolus : Nescitis quia corpora vestra Templum sunt Spiritûs Sancti ?*

§. III.

§. III.

De Teſtimoniis Eccleſiæ Veteris, & Sanctorum Patrum.

12. QUamvis documentis adhuc uſi ferè ſumus, non nisi è Volumine divino excerptis; viſum eſt tamen Patrum quoque antiquorum mentem in hoc obiter audire argumento: ut compeſcatur Eraſmus, qui Patres Concilio etiam Nicæno longè poſteriores recipiens, non eſt veritus ſcribere; veteres Spiritum Sanctum appellare DEUM auſos non fuiſſe. Oſtendamus paucis, fidem hanc in Eccleſia Chriſtiana perpetuò indubitatam extitiſſe. Primò verbis illi diſertis Spiritum Sanctum DEUM affirmant; æquè ac Filium & Patrem: ùt patebit ex multis antiquiſſimorum etiam ſententiis; quas infrà, quidnam Eccleſia vetus hoc de myſterio ſenſerit fuſiùs tractaturi, afferemus. Secundò, pleríque illorum juſtis voluminibus Divinitatem Spiritûs Sancti ex Inſtituto defenderunt. Te appello, in Epiſtolis ad Serapionem, Athanaſi! Te, in lib. 3. & 5. in Eunomium, ac præcipuè in lib. de Spiritu Sancto, Baſili! Te, in libro ad Euſtachium, quòd Spiritus Sanctus ſit DEUS! Gregori Nyſſene! Te Gregori Nazianzene, in Orat. 5. de Theologia! Te Cyrille Hieroſolymitane, Catech. 16. & 17.! Te Cyrille Alexandrine, lib. 13. & 14. Theſauri; & lib. 6. Dialogi, de Trinitate cum Hermia; & in libro peculiari: Quòd Spiritus Sanctus eſt DEUS: qui ſubſequitur librum ſeptimum de Trinitate! Te, in libris duobus de Spiritu Sancto, Didyme Alexandrine! Te Hilari, lib. 12. de Trinitate in fine! Te, in libris tribus de Spiritu Sancto, Ambroſi! Te, in lib. 1. de Trinit. c. 6. & lib. 1. contr. Maximinum, & in Epiſt. 24. ad Paſcentium Arianum, Auguſtine! Poſteriores alios quàm plurimos prætermitto.

13. Tertiò,

13. Tertiò, ſummam Sancti Patres cenſent impietatem; miriſque maledicunt modis, non credentibus Spiritum Sanctum eſſe DEUM. Athanaſ. in Epiſt. longiore ad Serapionem, non procul à fine: *Qui Spiritum Sanctum ad creaturas detrahit, impius eſt, & ſinè DEO, & infideli deterior, & quidvis potiùs quàm Chriſtianus.* Rurſus in lib. de Beatitudine Filii, ad Theophilum: *Maledictus, qui ſolum verum DEUM Patrem, & Unigenitum verum Filium, & unicum verum DEUM Spiritum Sanctum, non confitetur.* Haud eſt levior illa D. Gregorii Nazianzeni, Orat. 5. de Theologia, execratio: *Colamus DEUM Patrem, DEUM Filium, DEUM Spiritum Sanctum; tres Proprietates, unam Divinitatem, nec gloriâ, nec honore, nec eſſentiâ, nec regno diviſam. Quisquis aliter ſentit; nec luciferum exorientem videat, ut cum Scriptura loquar; nec cœleſtis ſplendoris gloriam.* Idem rurſus Orat. in appulſu Epiſcoporum ex Ægypto: *Blaſphemia eſt, non Spiritûs Sancti Divinitatem aſſerere; ſed eum ſubmovere à Divinitate.* D. Cyrilli Alexandrini eadem eſt Oratio lib. 13. Theſauri cap. 1. *Quomodo non erunt impietatis rei, qui inter creaturas audent Spiritum Sanctum collocare?* Eadem Baſilii lib. 3. in Eunomium: *Quomodo non manifeſtæ impietatis eſt dicere; ipſum Spiritum eſſe Deitatis exortem?* Ambroſii lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 2. *Ejuſdem impietatis eſt, vel Patri, vel Filio, vel Spiritui Sancto derogare.* Auguſtin. lib. 1. de Trinit. cap. 6. probans Divinitatem Spiritûs Sancti ex eo, quòd Templum ejus ſumus: *Quid autem,* inquit, *inſanius, magiſque ſacrilegum eſt; quàm, ut quiſquam dicere audeat, membra Chriſti, quæ ſumus nos, templum eſſe creaturæ minoris ſecundùm ipſos, quàm ſit ipſe Chriſtus?* D. Hilarius lib. 12. de Trinit. ſub finem: *Profunda tua, Spiritus Sanctus ſcrutatur, & novit; & ego naturæ ſuæ potentiam, creationis nomine infamabo?* Sufficiant hi nunc ad retundendam Eraſmi, nec horum antiquitatem, nec ſcripta, nec ſanctitatem ignorantis, mendacem impudentiam, & impudens mendacium.

14. Quòd ſi quis eum excuſans dicat, fortaſſe deceptum verbis illis Gregorii Nazianzeni de Spiritu Sancto loquentis Orat. 5. de Theologia ſub initium. *At verò noſtri ſapientes, partim vim quandam, & facultatem, ipſum exiſtimârunt; partim creaturam, partim DEUM; partim utro potiùs nomine vocandus eſſet, minimè certum atque exploratum habuerunt: ea ratione, ùt ajunt, permoti; quòd Scriptura neutrum horum planè apertéque demonſtrâſſet.* Reſpondeo, *noſtros ſapientes*, à S. Doctore iſthic, non Patres orthodoxos, & ab Eccleſia probatos, vocari; ſed quoſcunque legem Chriſtianam edoctos, nominéque Chriſtiano initiatos; ut à gentilium ſapientibus diſtinctos: inter quos hæretici etiam, atque in iis noſtrorum è numero Epiſcoporum aliqui fuerunt; quorum ibi opiniones de Spiritu Sancto erraticas recenſet. Conſtat id manifeſtè 1mò. quia proximè antè recitaverat ſententiam de Spiritu Sancto, vel potiùs ignorantiam *eorum*; *qui apud Ethnicos Theologiæ laude magis floruerunt*: tum ſubjungit: *At verò noſtri ſapientes &c.* Paulò autem inferiùs, eos ſolos vocat *pios atque Orthodoxos*; *qui Spiritum Sanctum DEUM eſſe credunt.* Denique contra eos, qui id non credunt, ſubinde diſputationem inſtituens, illos tanquam impios exagitat oratione totâ, verbis graviſſimis, utì audivimus ipſos execratus. An verò Sanctos & Orthodoxos Patres ita ille tractâſſet? 2dò. D. Baſil. lib. 2. contr. Eunomium, blaſphemiam ùt appellat Eunomii confutans, qui Spiritum Sanctum creaturam nominabat, ſcriptum reliquit: *Ex quo pietatis prædicatio denunciatur; neminem in hodiernum uſque diem audivimus, qui Spiritum Sanctum creaturam appellâſſet.* Quòd ſi hoc Baſilius dicere potuit; éſtne credibile, Gregorium Nazianzenum de Patre aliquo Orthodoxo audiviſſe, in quæſtione tanta; quòd ille, vitæ ſtudiorúmque conjunctione Gregorius alter, non audivit? 3tiò. quia certiſſimum eſt, Patres Sanctos omnes, qui ante Nazianzenum extiterunt, & hac de re ſcripſe-

runt,

runt, Divinitati Spiritûs Sancti ſuffragatos eſſe : quorum & nos infrà plures proferemus ; & Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 29. eos recenſet, citans Clementem Romanum, & Irenæum, Dionyſium utrúmque, Romanum, & Alexandrinum.

15. Objicies nihilominus cum hoſtibus Spiritûs Sancti, priſcis & novis, *nunquam in Scriptura DEUM nominari Spiritum Sanctum* : quas voces urgebant potiſſimùm Ariani, & Eunomiani, apud Athanaſium, & Gregorium Nazianzenum: ergò juremeritò motam ea de re à veteribus controverſiam. Reſpondeo 1mò. falſitatem antecedentis conſtare ſatis ex allatis jam teſtimoniis. 2. Reg. 23. 3. Actor. 5. 4. 1. Cor. 6. 20. &c. Quid? quòd verba illa etiam, in celebri cum Samaritana colloquio Domini : (*Spiritus eſt DEUS ; & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Joan. 4. 24.) non tantùm ſic interpretantur Sancti Patres ; ut intelligatur DEUS eſſe incorporeus, puriſſimúſque Spiritus, & mens: ſed & in eam ſententiam; ut Spiritus Sanctus, tertia in Divinitate Perſona credatur eſſe DEUS ? Profundi, & ampli ſunt eloquiorum Divinorum ſenſus. Quæ interpretatio contextui apta eſt mirificè : quaſi voluiſſet inſinuare Chriſtus : venit hora, quando nec in Samaritanorum, nec in Jeroſolymitano Templo adorabitis Patrem ; ſed veri adoratores adorabunt eum in Spiritu & veritate : venit tempus legis, & Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ non ùt Synagoga in rebus corporeis, ac figuris ; ſed in ſpiritualibus, & umbras illas explicante veritate, adorabit: quæ adorabit Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Filius nomine veritatis ; Spiritus Sanctus, nomine Spiritûs inſinuatur : ideò ſubjicitur: *Spiritus eſt DEUS.* Hanc expoſitionem S. Ambroſius habet expreſsè lib. 3. de Spiritu Sancto : quam fuiſſe tum ſolennem, moleſtámque valde Arianis argumento ſit ; quòd verba illa ii, ex Evangelio expunxerint ſacrilegè ; ùt ibidem notatur à viro Sancto:

Literas, inquit, *potuistis abolere*; *sed fidem non potuistis auferre*: *nec enim vos poteratis obliterare veritatem*; *sed illa litera de libro vitæ nomina vestra delebat.* Respondeo 2dò. etsi nuspiam scriptum foret apertè, *Spiritus Sanctus est DEUS*; satis esse, quòd res vocibus his significata, tradita sit clarissimè: cùm attributa, cultus, opera DEI altissimi propria, in Bibliis sæpissimè assignentur Spiritui Sancto. Unde respondit egregiè Greg. Nazian. Orat. 5. de Theologia, nos hoc ipso titulo fugillantibus hæreticis: *Judaicum esse, relictis rebus, syllabas consectari.* Quare certum, & fixum sit; nullo unquam tempore dubium, & controversum fuisse Christianis Orthodoxis, & Ecclesiæ: Spiritum Sanctum, Filiúmque, Patri consubstantialem esse DEUM.



INSTI-

INSTITUTIO X.

De particularibus Scripturæ Teſtimoniis, quibus Myſterium Diviniſſimæ Trinitatis, ac veræ Chriſti Divinitatis Chriſtiani aſtruimus.

HActenus toto Bibliorum corpore, totâque ferè Divinarum Literarum ſerie diſputavimus cum Adverſariis; reliqvum eſt, ut Scripturarum textus nonnullos ſingulares, qui à nobis contra illos adhibentur, in documentum perſcrutemur. Centeni, & centeni ſunt in iis, quæ diximus producti; ſeligemus iſthic pauciores, partim nobiliores, partim minùs adhuc excuſſos. Porrò quod initio notavimus, hoc item loco repetendum eſt: in hiſce Verbi divini teſtimoniis, modò tres Perſonas Divinas repræſentari, ac doceri, modò duas; modò Chriſtum verum eſſe DEUM prædicari: quæ omnia in unum, idémque DEI Trini, & Unius Myſterium confirmandum recidunt. Nam ſi Chriſtus eſt verus DEUS; duæ ſunt in una Deitate Perſonæ, Pater, de cujus Divinitate nulla eſt controverſia, & Filius Patris Unigenitus: ſi duas admittas Perſonas; negare nequis tertiam, Spiritum Sanctum Paraclitum alium, Paraclito priore, qui Chriſtus erat, haud inferiorem. Itaque ſeu de ſolâ Spiritûs Sancti, ſeu de ſola Filii Deitate, ſeu de duabus in uno DEO Perſonis loquatur expreſsè Codex ſacer; aſſererere in iis locis Divinam ubique Trinitatem intelligendus eſt.

§. I.

De Textibus nobilioribus.

TEXTUS PRIMUS,

Joan. 1. ℣. 1. & ſeqv.

1. PRimus, & celeberrimus, & ſacratiſſimus, & Adverſariis ante omnia terribilis textus eſt, Initium Evangelii S. Joannis: quod Eccleſia Chriſtiana ſeculis omnibus ſuper omnem Bibliorum partem venerata eſt; quod miracula pariter cæleſtia præ cæteris cunctis conſecrârunt: quo nulla pars Evangelii, Librorúmque ſanctorum, Diabolo formidabilior; nulla in uſu noſtro religioſo potior. Miſſæ Sacrificium eo penè ſemper concludimus; pro amuleto cæleſti *contra ſpiritualia nequitiæ*, nobiſcum illud geſtare ſolemus. Totum hoc ergò arcaniſſimum Evangelii ſublimiſſimi exordium in quinque membra partiamur. Membrum primum, eſt de eo, quod erat in DEO, & apud DEUM, ante mundum conditum. Membrum ſecundum, de mundi, & hominum creatione, ſtatúque primigenio. Membrum tertium, de præcedentibus Chriſtum Prophetis, in eorum ultimo Joanne Baptiſta Præcurſore Domini repræſentatis. Membrum quartum, de Teſtamento novo. Membrum quintum, eſt brevis quaſi recapitulatio, & expoſitio totius diſpenſationis Verbi æterni carnem noſtram in tempore aſſumentis. Itaque in hoc admirando principio, univerſam & DEI, & mundi, rerúmque in eo geſtarum hiſtoriam oculis noſtris, pulcherrimâ in ſynopſi objectam, intueri poſſumus. Membrum primum, omnium maximè obſtupeſcendum eſt, ùt ſequitur. *In principio erat Verbum: & Verbum erat apud DEUM: & DEUS erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEUM.* Hæc illa verba ſunt, quæ, ſcripturus Evangelium Joannes, poſt triduanum

duanum ſuis indictum jejunium, de cœlo pro libri ſui proœmio divinitùs accepiſſe, ab Eccleſiaſtica narratur hiſtoria, ùt inquit ſuprà citatus S. Hieronymus.

Ad quæ alludens verba Dominus, vocavit eum *Boanerges*, Marc. 3. 17. ùt ait Sanctus Epiphanius hær. 73. Nam ſicut in monte Sina, dum DEUS legem daret, ita & in hac mirabili Joannis extaſi, emicuiſſe fulgura, & tonitrua, tradit ex Prochoro, Diſcipuli *quem diligebat JESUS*, diſcipulo; & ex Metaphraſte Baronius Anno Chriſti 99. Propter quæ verba crediderim Joañem ab Eccleſia illa primitiva nomine novo Theologum appellatum; qui ſcilicet primus, Verbum, ſive λόγον illum ineffabilem, qui erat in principio, qui apud DEUM & DEUS erat, eructavit. Hoc primum fuit filii tonitrui tonitru adversùs hoſtes Chriſti; cui mox adjecit alterum: *Et Verbum Caro factum eſt. Videte, quàm ſublimia loqui debuit, qui eſt aquilæ comparatus* (inquit S. Auguſt. tract. 36. in Joan.) *& tamen etiam nos humi repentes, infirmi, & vix ullius momenti inter homines, audemus tractare iſta, & iſta exponere? & putamus nos, aut capere poſſe, cùm cogitamus, aut capi, dum dicimus?* O quàm deteſtandi, qui non modò cogitare cum fidelibus, ſed etiam cum diabolo blaſphemare audent iſta! Convenientiſſimè porrò, Chriſti orſus eſt hiſtoriam, quam Scripturarum univerſarum argumentum eſſe oſtendimus, à generatione illius divina; ut ſciremus quoad poſſemus, quidnam fuerit is, antequam mundus conditus, qui *Verbum Caro factum eſt*: ut hoſtes ſuos, contra quos ſcribebat, Cherintum, & Ebionem, Divinitatem Filii negantes, primorum ſtatim verborum ſuorum fulmine proſterneret.

2. *In principio erat Verbum.* Hoc initium videtur reſpondere initio Bibliorum, & Pentateuchi Moyſis: *In principio creavit DEUS cœlum, & terram*: eſt nihilominùs infinitè altius, mirabiliúſque illo. Moyſes enim loquitur de principio

temporis, rerúmque à DEO creatarum : Joannes autem de principio, quod erat ab æterno ; de principio divinarum intra DEUM ipſum, & æternarum operationum. Itaque licèt æternitatis divinæ nullum ſit initium, finíſque nullus ; licèt ſit ea, una & indiviſa, æterna, & in æternum duratio: nos tamen de illa cùm loqui neſciamus, nisì per comparationem ad tempus ; dicit S. Evangeliſta, *In principio erat*, hoc eſt, ut omnes Sancti Patres explicant, & intelligunt ; ante omne tempus, tam reale, quàm imaginarium, tam conditum, quàm quod condi potuit ; ſive, *ab æterno erat.* Principium hoc re verâ caret principio, prout & carebit fine : ſed ſumitur cum reſpectu ad omnia tempora, quæcunque mente concipi poſſunt ; in quibus univerſis, & longiſſimè, infinitéque ante illa, erat Verbum, erat DEUS. Moyſes ajebat: In principio fuit cœlum, & terra ; ſive : Creavit DEUS Cœlum, & terram ; Joannes verò, *In principio erat Verbum*: quam voculam quater repetit ; *erat Verbum, erat apud DEUM, DEUS erat Verbum, hoc erat in principio.* Quis hìc non videat, τὸ *fuit* determinato affixum eſſe tempori ; *erat*, omnia complecti tempora præterita ? Spiritus Sanctus prævidens futuros Arianos, qui dicerent ; *Erat, quando non erat Filius*, id eſt, Erat tempus quando non erat, ſic Joannem ordiri voluit ; ut ex primis ipſis verbis ejus condemnaretur Arius à Concilio Nicæno. Nam ſi aliquando non erat Verbum ; non erat in principio, non erat ſemper, & ab omni æternitate, non erat ante omnia, non omnia per ipſum facta ſunt, non erat DEUS. Præclarè S. Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 5. *Erat, erat, erat, erat : ecce quater erat ; ubi impius invenit, quòd non erat* ? Interrogatus Joan. 8. 25. à Phariſæis, *Tu quis es* ? *dixit eis JESUS: Principium, qui & loquor vobis :* móxque ſubjicit Evangeliſta : *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat DEUM.* Quaſi dixiſſet Dominus : Ego ſum Alpha, & Omega, primus & noviſſimus :

Prin-

Principium ſum à Patre genitum : Principium unum cum Patre ab æterno Spiritûs Sancti ; unum cum utroque Principium ſum in tempore rerum omnium creatarum. *Gloſſa in hunc locum, Pater eſt*, ait, *Principium non de Principio ; Filius eſt Principium à Principio, id eſt à Patre, qui omnia per Filium operatus eſt ; ipſe enim eſt manus dextra, fortitudo, ſapientia, & Verbum Patris.* Græca vox ἀρχὴ ſignificat & principium, & Principatum : unde Pater ad Filium inquit Pſal. 109. *Tecum principium*, id eſt, Principatus, *in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.*

3. *In principio erat Verbum.* In Græco eſt, ὁ λόγος, cum articulo ; id eſt, *hoc Verbum :* non commune ſcilicet, ſed ſingulare ac præcipuum, æternum ac Divinum. *Erat*, idem hìc valet, ac *dicebatur* ; Verbum enim non exiſtit, nisì cùm dicitur : idem valet, ac *generabatur* ; quia in fine textûs hujus, *Verbum* iſtud vocatur, *Unigenitus Patris.* Quomodo conveniant hæc inter ſe, ſi quæras ; nunc breviſſimè reſpondeo, pluribus infrà expoſiturus : non eſſe Verbum oris, quo DEUS caret ; ſed Mentis, & Sapientiæ divinæ : operationes námque DEO intrinſecæ aliæ non ſunt, quàm intellectûs, & voluntatis : ergò cùm is, qui alios parere facit, ſterilis non ſit, ſed infinitè fœcundus ; per operationem intellectûs ſui dixit, & produxit hoc Verbum, generavit hunc Filium : illæ duæ Perſonæ divinæ, per voluntatem, amorémque mutuum produxerunt, ſpirârúntque Spiritum Sanctum. Quid? quòd & ſapientes Gentilium, (qui è ſacris Literis *ſcrutabantur ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.* 1. Mach. 3. ℣. 48.) ut Triſmegiſtus, Orpheus, Plato, &c. Patrem vocabant νοῦν, id eſt mentem ; Filium λόγον, quaſi mentis prolem, teſte præter alios S. Auguſt. lib. 7. Confeſſ. cap. 9. Theodoreto lib. 2. de curandis Græcorum affect. Unde illud Platonis : *Monas genuit Monadem, & in ſe reflexit ardorem* : ut ſi Chriſtianè diceres : DEUS Pater genuit Filium DEUM ; & cum

eo ſpiravit Spiritum Sanctum DEUM, qui eſt mutuus, ſive reflexus amor Patris, ac Filii, D. Baſilius Hom. in principium Joan. *Verbum hoc*, ait, *quod erat in principio, nec humanum erat, nec Angelicum; ſed ipſe Unigenitus, qui dicitur Verbum: quia impaſſibiliter* (ab æterno) *natus, & generantis imago eſt, totum in ſe generantem demonſtrans: Habet verò verbum noſtrum, Divini Verbi ſimilitudinem quandam; declarat enim totam mentis concep tionem: & quidem cor noſtrum quaſi fons eſt; verbum prolatum quaſi rivulus ex ipſo manans. Prævidit Spiritus Sanctus futuros, qui gloriæ Unigeniti invidentes dicerent: antequam genitus eſſet non erat: itaque ait: In principio erat Verbum.* Sanctus pariter Chryſoſtomus: *Non ſimpliciter Verbum dixit, ſed cum articulo, à reliquis ipſum ſeparans; eſt enim quædam hypoſtaſis ex Patre impaſſibiliter proveniens: ſignificat verò hîc, In principio erat, ſemper, & infinitè extitiſſe: nam de Cœlo, & de terra, non dicitur, quòd erant in principio; ſed quòd in principio facta ſunt.* Hactenùs duo illa magna Eccleſiæ lumina.

4. *Et Verbum erat apud DEUM. Et DEUS erat Verbum.* Prima quam explicuimus ſententia, æternam Verbi generationem: hæc ſecunda, *Et Verbum erat apud DEUM*, Verbi, ſeu Filii diſtinctionem à Perſona Patris, ac pluralitatem Perſonarum divinarum demonſtrat: tertia ſequens, *Et DEUS erat Verbum*, Unitatem, & identitatem quoad Eſſentiam, ac Divinitatem Verbi, & Patris: verbo uno, Perſonas plures unum DEUM. Prima videtur reſpondere interoganti, quandò erat Verbum? *In principio*; ſive ante omnia, & ab æterno. Secunda quærenti, ubi, & cum quo erat? *Erat apud DEUM* Patrem, erat *in ſinu Patris, cum eo* erat, *coram eo* erat, *in eo* erat; hæc ſiquidem legimus omnia in Evangelio S. Joannis, & Lib. Proverbiorum: ergò erat à Patre Perſona Divina diſtincta. *Quomodo enim quod unum numero eſt, ipſum apud ſe ipſum eſſe intelligitur?* quærit S. Cyrillus, pluréſque Sanctorum Patrum. Tertia reſpondet interrogationi, quid, & cu-

jus

jus naturæ atque eſſentiæ Verbum iſtud erat? *Et DEUS erat Verbum.* Sententia ſecunda, *Et Verbum erat apud DEUM*, in græco eſt τὸν θεὸν; ùt denotetur *DEUS* in Perſona ſingulari, nimirum *Patris*, intelligáſque, Verbum erat apud DEUM Patrem: nec enim diſtinguitur Filius à DEO, ſed Perſona Filii, à Perſona Patris. Deſignat etiam τὸ apud DEUM æqualitatem Filii cum Patre, in eodem cum eo ſedentis throno, ùt ait S. Cyrill. Hieroſ. Catech. 11. hinc & Nonnus vocat Filium σύνδρονον; hoc eſt, ejuſdem cum Patre throni conſortem. Deſignat ſummam Filii cum Patre conjunctionem, converſationem intimam, & amiciſſimam ſemper, ùt ait idem Nonnus: quippe licèt diſtinctus ab eo quoad hypoſtaſim; ὁμόσιος tamen, ſive unius cum illo naturæ, ac ſubſtantiæ Divinæ. Tertull. lib. 5. contr. Praxeam eleganter: *Ante omnia DEUS ſolus erat, ipſe ſibi, & mundus, & locus, & omnia; ſolus autem, quia nihil aliud extrinſecùs præter illum: cæterùm ne tunc quidem ſolus; habebat enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo Rationem ſuam: hanc græci λόγον dicunt.* Unde apud Evangeliſtam præfatum, inquiebat ad Phariſæos: *Si judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum; ſed ego, & qui miſit me, Pater.* Joan. 8. 16. Solitudo vitæ beatæ contraria eſt: DEUS igitur, Deíque beatitudo eſſe non poterat ſinè ſocietate, amicitia, pluralitate Perſonarum.

5. *Et DEUS erat Verbum.* Hæc propoſitio ſecundùm ordinem dialecticum ſic eſt invertenda, Et Verbum erat DEUS: ſubjectum enim in ea eſt *Verbum*; prædicatum autem *DEUS*, in græco eſt, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος: græci articulum præponunt ſubjecto, & non, loquendo per ſe, prædicato. Itaque notant Interpretes, quando dictum eſt, *Et Verbum erat apud DEUM*, additum eſſe nomini *DEUS* articulum, τὸν θεὸν; ut certam Perſonam Divinam, puta Patrem, vox *Deus* deſignaret: quando verò dicitur, *Et DEUS erat Verbum*, non addi articulum nomini *Deus*; ne putes, ſingularem Perſonam

nam Patris, esse Verbum; sed Deitatem, & essentiam communem Personis tribus, esse identificatam Verbo, æquè ac Patri, Filium æquè ac Patrem esse DEUM. Sunt hoc telo Ariani longè occisissimi. Nam ne dicerent, si erat Verbum apud DEUM; non erat DEUS; subjicit tertia Joannis sententia, & erat Verbum illud DEUS. Ergò erat & apud DEUM, apud τὸν Θεὸν; id est, apud Personam Divinam Patris, à Filio distinctam; & erat DEUS, Deitatem scilicet habens unam, eandémque communem Patri, aliísque Personis Divinis. Joannes porrò, quoniam præmiserat *Et Verbum erat apud DEUM*, consonè repetit immediatè nomen iterum DEI, articulo singularem Personam divinam designante omisso, *& Deus erat Verbum.* At legas quocunque velis modo, effugere ictum Spiritûs Sancti nunquam potes. Nam quod dicitis (ùt suprà memini) Nomen DEI ter in hoc textu repetitum, primò & ultimo in proprio sensu; in medio autem loco esse impropriè, ac metaphoricè pro DEO non vero accipiendum: id, ajo, in auribus, mentéque Christianorum esse stultissimum; esse nugas, fictionem, blasphemiam; non interpretationem Sermonis divini. Accipe Sanctos Interpretes: *Quasi ergò*, ait Cyrillus, *Arianos audiens, non modò inquit, Verbum erat apud DEUM; verùm etiam, DEUS erat: sic, quoniam apud Patrem est inquit; per se ipsum subsistit: quoniam verò Deus est, & ex DEO Patre; consubstantialis Patri, & naturâ Deus esse intelligitur.* S. Hilarius lib. 2. de Trinit. censet, ne suspicarentur homines duos esse Deos, alterum apud quem sit Verbum, alterum qui sit Verbum, sicut Manichæi duo posuerunt rerum principia; consultò dici ab Evangelista, Verbum ita esse apud DEUM Patrem, ut DEUS idem sit cum illo, Patri quoad naturam homusios, quoad hypostasim ab eo distinctus.

6. *Hoc erat in principio apud DEUM.* Tres præfatas sententias suas hâc postremâ repetit, concludítque Joannes.

Post-

Poſtquam hiſtoriam quaſi divinam, & quod erat DEUS, quod operabatur intra ſe ab æterno, revelâſſet; iſtud ei ephiphonema ſubjicit aptiſſimum. *Hoc erat*, videlicet 1mò. æterna Verbi generatio: 2dò. conjunctio illius cum Patre, ſeſſióque in ſinu ejus tanquam in ſinu Perſonæ à ſe diſtinctæ: 3tiò. Unitas, identitáſque Divinitatis, & eſſentiæ in utroque: *hoc*, inquit, *erat in principio apud DEUM*: hæ proceſſiones Perſonarum, hæc eſſentiæ divinæ unitas, erat apud DEUM ab omni æternitate. De Spiritu Sancto nulla fit hìc aperta mentio: Chriſti enim vitam contexebat Evangeliſta; quod erat ab æterno Chriſtus, & generationem ejus divinam exponere debebat; in qua ſpiratio quoque Spiritûs Sancti, & Perſona divina tertia ſubintelligenda eſt: quam deinde ſub finem totius Evangelii ſui copioſiùs lucidéque repræſentavit. Nec Pater abſque Filio, nec Pater & Filius ſe invicem amantes, abſque Spiritu Sancto eſſe, aut intelligi poterant: ſicut intellectio, ita & amor DEI, non poterat eſſe non infinitè fœcundus. Quòd ſi Joannis verba, & quæ argumento ſuo convenienter protulit, & quæ ſubaudiuntur in illis, ſi plenam Deitatis, ante mundum conditum, hiſtoriam cupis expreſſam; accipe. In principio erat, ac dicebatur Verbum; erat, ac ſpirabatur Spiritus Sanctus. Et Verbum erat apud DEUM Patrem, Spiritus Sanctus apud Patrem & Filium. Et Verbum, & Spiritus Sanctus, & Pater erat DEUS. Hoc erat in principio apud DEUM.

7. Membrum ſecundum. De mundi, & hominum creatione ſic legimus. *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat; & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Hic primò Verbum, & Logos ille, qui Filius DEI eſt, Creator, rerúmque in mundo univerſarum effector non minùs quàm Pater, eſſe aſſeritur, phraſi duplici: *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil:* quæ ſecunda phraſis

phrasis nihil ex omnibus iis, quæ facta sunt, sive creaturæ sunt sinit excipi, quin etiam à Filio & Verbo factum sit. Hinc Macedonius negans Divinitatem Spiritûs Sancti, stultè inferebat eum à Verbo factum, & creatum esse: Spiritus enim Sanctus factus non est, creatura non est; ac per consequens unus idémque cum Patre, ac Filio, Creator omnium est, ùt hoc ex textu liquet. Nam si tu τὸ *omnia* generalissimè accipere contendas, pro rebus omnibus etiam increatis, Patrem quoque factum esse per Verbum concludas necesse est, quod est absurdissimum: ùt rectè Macedonianis respondit S. Gregorius Nazianzenus orat. de Spiritu Sancto. Illos igitur hæc verba minimè juvant; at Arium penitùs convincunt: qui Filium à Patre primò creatum; deinde per eum Spiritum Sanctum, & postea creaturas etiam reliquas conditas esse fingebat. Omnia enim, quæ creata sunt, per Verbum facta sunt, creaturâ nullâ exceptâ, teste Joanne: igitur si & Verbum creatura est, Verbum per se ipsum creatum est. Egregiè August. Tract. 1. in Joan. *Exeat nescio quis infidelis Arianus, & dicat: quia Verbum DEI factum est. Quomodo potest fieri ut Verbum DEI factum sit; quando DEUS per Verbum fecit omnia? Si & Verbum DEI ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? si hoc dicis, quia hoc est Verbum Verbi, per quod factum est illud; ipsum dico ego Unicum Filium DEI: Si autem non dicis Verbum Verbi; concede non factum, per quod facta sunt omnia: non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia. Crede ergo Evangelistæ.* Ita ille.

8. Objiciunt nobis Adversarii præpositionem *per*, in hoc, & pluribus talibus textibus, *Omnia per ipsum facta sunt*: quâ denotari ajunt Verbum fuisse instrumentum, vel ministrum duntaxat Patris, & non causam in mundo creando principalem. At horum insulsæ grammaticæ jam non semel respondimus. Dico itaque brevi, non ex humana tantùm, sed etiam divina grammatica tribui sæpiùs causæ principali præpositionem illam; idémque valere, omnia per ipsum fa-

cta

cta ſunt, ac facta ſunt ab illo. Gen. 4. 1. *Poſſedi hominem per DEUM.* Prov. 8. 15. *Per me Reges regnant.* Gal. 4. 7. *quod ſi Filius, & hæres per DEUM.* 1. Cor. 1. 9. *Fidelis DEUS, per quem vocati eſtis &c.* Secundò, ſi de duabus ſit Perſonis ſermo, in virtute, in operatione, in natura æqualibus; & una earum per aliam facere legatur, ùt Hebr. 1. *Per quem fecit & ſecula*, id eſt, DEUS Pater per Filium: tunc ajo τὸ *per* applicatum ejuſmodi Perſonæ, non poſſe indicare, quòd illa inſtrumenti, & miniſtri vices gerat in faciendo; ſed quòd ſocia, & author facti ſit æquè principalis, ac altera Perſona. Quare, in eodem ad Hebr. Capite 1. ℣. 10. ex Pſal. 101. 26. applicat Filio verba Prophetæ, Paulus: *Initio tu Domine terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt Cœli &c. Nunquam profectò id aſſerturus* (inquit hìc Chryſoſtomus) *nisi Conditorem Filium, non miniſtrum arbitraretur; ac Patri, & Filio pares eſſe dignitates intelligeret.* Significat igitur, *per quem fecit & ſecula*, idem, ac cum quo fecit; ſeu, qui cum Patre fecit, & ſecula: idem, ac illud, quod Proverb. 8. Sapientia genita Filius, de ſe ait; *Cum eo eram*, id eſt, cum Patre, *cuncta componens*: idem, ac illud: *Sine ipſo factum eſt nihil:* in quæ verba S. Hilarius alloquens Evangeliſtam: *Piſcator*, inquit, *reddidiſti authorem, cùm ſocium profeſſus es.* Ingens in auribus fidelium utriuſque Teſtamenti fuit, éſtque blaſphemia, DEUM equiſſe inſtrumento, aut miniſtro ullo in creatione mundi, vel ullum alium à ſe naturâ diſtinctum, ad eum condendum adhibuiſſe; qui ex opere creationis vult vel maximè, voluítque à Judæis DEUS unus agnoſci, vult ſolus pro DEO vero coli, & adorari: Prophetarum libris paſſim id conteſtantibus: *Quis adjuvit Spiritum Domini* (mundum creantis?) *aut quis Conſiliarius ejus fuit? &c.* Vide locum elegantiſſimum Iſa. 40. 12. &c. O monſtra propoſitionum vel ipſis horrenda barbaris, ad quas concedendas, abſorbendáſque compulit ſpiritus contradicendi Filio DEI, Arianos! aliquid ante

te mundum, cœlúmq; ac terram conditam, extitiſſe creatum; aliquam cum DEO creaturam concurriſſe ad mundum condendum! Quamobrem ſive dicas ex ipſo, ſive in ipſo, ſive cum ipſo, ſive per ipſum Filium, aut etiam Spiritum Sanctũ, facta eſſe omnia; idem dicis ac ab ipſo: præpoſitiones illæ quoad creationem mundi Synonimæ ſunt; neq; differentiam, ſed paritatem, imò unitatem, identitatémque virtutis in Patre, Filio, Spiritu Sancto deſignant: propterea jam unâ earum, jam alterâ utitur Spiritus Sanctus. Ad Coloſſ. 1. 16. *In ipſo* (inquit de Chriſto Apoſtolus) *condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia; ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Et Pſal. 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt; & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Scio equidem diverſas in DEO Uno Perſonas, earúmque proprietatem colligi ex his præpoſitionibus à SS. Interpretibus; at naturæ, virtutis, operationum ad extra, diverſitatem minimè. Nam ſi quæras, cur potiùs per Verbum, quàm à Verbo conditus mundus, cur Pater per Filium, non Filius per Patrem operari legatur? reſpondent; quia Pater eſt Perſona prima, ſecunda Filius, tertia Spiritus Sanctus: à Patre Filius eſt, accepítque naturam, & eſſentiam, & virtutem omnem Patris, non Pater à Filio: Pater eſt ingenitus, Filius à Patre genitus. *Per Filium* ſæpiùs, quàm *à Filio* facta eſſe omnia legimus; *ne quis illum eſſe ingenitum ſuſpicaretur*, ait S. Chryſoſt. Et S. Cyrillus, Ut ſignificetur, inquit, Verbum eſſe ideam rerum omnium creatarum; ſecundùm quam Pater cum Filio, & Spiritu Sancto creavit omnia: ſicut artifex opera ſua facit per ideam, ſapientiam, conceptum mentis ſuæ; quæ in DEO appropriantur Filio.

9. Verbis his Evangeliſtæ, *ſine ipſo factum eſt nihil*, addimus & illud ſequens, *quod factum eſt*: quæ permulti ponunt inſequente verſu; ita ut *factum eſt nihil*, notent puncto, ac deinde ſequatur nova ſententia, ſcilicet, *quod factum eſt, in ipſo vi-*

ta

ta erat. Sic diſpungunt, legúntque Tertull. Ambroſ. Auguſt. & paſſim Latini veteres, è Græcis Clemens Alexandrinus, Cyrillus hìc &c. quaſi diceretur, ùt explicat Auguſtinus, omnis res per Verbum creata, in verbo erat antequam fieret; in ideis, & rationibus æternis, quæ vivebant in illo: erat igitur vita, ſive vivebat in mente, atque idea Verbi. Vel etiam, ùt Cyrillus exponit, omnis res facta, in Verbo erat vita; id eſt vitam, ac vigorem, & eſſentiæ ſuæ conſervationem accipiebat, & perpetuò accipit à Verbo, quàmdiu eſt, & exiſtit. Altera porrò lectio ponit, ùt diximus, *ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*, in uno verſu; & ſequentem ita incipit: *In ipſo vita erat &c.* Per hanc interpunctionem diſertiſſimè profligatur Macedonius, Spiritum Sanctum, ùt modò meminimus, à Verbo factum eſſe blaſphemans. Sic legunt communiter Syrus, & Arabicus, & Græci, ùt Chryſoſt. Theophylact. Nonnus, &c. éſtque lectio hæc planiſſima: quam proinde ſeqvuntur Biblia Romæ correcta, & alia latina perplura, inquit Cornel. à Lapide. Senſus illius eſt omnino lucidus. *In ipſo vita erat.* Vita iſthic appropriatur Verbo: principium enim & primus terminus operationum divinarum intrinſecarum, & vitalium, eſt hoc ab æterno Verbum. *Ego ſum Via, Veritas, & Vita*, dicebat de ſe. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus*, ajebat Paulus Act. 17. Et hic ipſe Joannes, Epiſt. 1. c. 5. in fine de Chriſto: *Hic eſt verus DEUS, & Vita æterna.* Idem & alibi paſſim vocat eum Vitam; vitam nempè noſtram, & naturalem, & ſupernaturalem, vitam gratiæ, vitam gloriæ. *Et Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Hìc jam ad homines, & functiones verbi circa nos enarrandas, tranſit Evangeliſta. Illuminavit nos Vita illa, quæ in Verbo erat, lumine rationis nobis inſitæ; illuminavit pleniùs lumine fidei, gratiæ ſuæ, ac doctrinæ: illuminabit in æternum lumine gloriæ in patria, cujus lucerna eſt Agnus.

Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, inquiebat Joan. 8. 12. *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Pſal. 45. *Filius DEI non eſt abſens etiam mentibus impiorum, quamvis eum non videant; ſicut nec ulla lux videtur oculis præſentata cæcorum*, inquit S. Auguſt. Epiſt. 120. ad Honoratum. De vita, & de luce iſta diſſerente S. Dionyſio, in lib. de Div. Nominibus, quid ſubtilius?

10. Sequitur membrum tertium, in quo videtur Aquila Evangelica, quaſi uno contueri oculo, in Præcurſore Domini poſtremo, anteriores etiam omnes; ac totum vetus Teſtamentum, Prophetas, & figuras Chriſti venturi prænuncians. Non erant illi lux; ſed ut teſtimonium perhiberent de lumine. *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt.* Joan. 1. 17. *Fuit homo miſſus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum.* O quanta ſunt in Joanne Baptiſta, quanta in dictis actiſque aliorum Prophetarum, Divinitatis Chriſti credendæ teſtimonia!

11. Membrum quartum, deſcribit generatim Adventum Domini, noviſque Teſtamenti tempora: quæ duas in partes ſecat; in bonos, & malos homines: in eos, qui non receperunt, & in eos, qui receperunt Verbum, quod venit ad nos. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; his qui credunt in Nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt.* Mundus malignus, quamvis illuminaretur à Filio DEI lumine rationis omnibus innatæ; illuminaretur lege populo electo data, vocibuſque, ac ſcriptis Prophetarum, per maximam orbis terrarum partem ſparſis; illumi-

illuminaretur denique præſentiâ ejus novâ, & admirandâ: eum tamen non cognovit Factorem, Conditorémque ſuum. Venit is ad proprium ſuum populum, quem liberaverat ex Ægypto; cui ſcripturas de ſe loquentes, tótque ſui dederat prænotiones: venit Filius David, in civitatem David; & ſui eum non receperunt, nec erat ei naſcenti locus in diverſorio. Quid? quòd crucifixerunt eum, & Auctorem vitæ interfecerunt! Quotquot autem receperunt eum, ſive crediderunt in eum, de cœlo ad nos deſcendentem; dedit eis poteſtatem, ut filii DEI fierent: adoptavit eos in filios DEI, qui naturâ, & æternâ ſui generatione Filius erat DEI Patris Unigenitus: adoptavit eos in fratres ſuos; ex hominibus fecit per gratiam ſuam, ſuo modo, deos: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex DEO nati ſunt. Omnis qui credit, quoniam JESUS eſt Chriſtus; ex DEO natus eſt.* 1. Joan. 5. 1. Ex quo DEO? dicite Chriſtomachi: nonne luce clariùs eſt, quòd ex Chriſto vero DEO, quem, & in quem, & cui credit? Nec enim alius ullus, quàm verus, idémque cum Patre DEUS poteſtatem eam hominibus dare, atque illos adoptare in Filios DEI potuiſſet. Ergo Verbum erat, éſtque DEUS, poſtquam etiam Caro factum eſt: Chriſtus ille non fuit unquam ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; multóque minùs fuit à DEO extraneus, quales ſunt filii adoptivi DEI. Quòd ſi purus homo eſſet Chriſtus; Filius DEI foret is adoptivus tantùm, & extraneus: quomodo igitur poſſet adoptare alios in filios Patris cæleſtis? Hoc eſt illud, quod Caiphas *non à ſemetipſo dixit; ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit: quòd JESUS moriturus erat pro gente; & non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum:* Joan. 11. 51. id eſt, non tantùm pro Judæis ſuis, ſed pro toto mundo moriturus erat; ut qui, per fructum ſan-

guinis Dominici, filii DEI erant futuri, dispersos congregaret in unum cum Judæis fidelibus populum, in unam suam Ecclesiam. Redemptio, adoptio, congregatio ista è mundo toto filiorum Dei, potéstne non DEI altissimi opus esse?

12. Membrum quintum ultimúmque, primi paralellum est. Repetitur in eo, & speciatim repræsentatur apertiùs Incarnatio Verbi, totáque illius œconomia. In primo illo, quando erat, sive generabatur Verbum; quid, & apud quem erat ab æterno, exponitur: in isto postremo, quid Verbum, Filiúsque DEI pro nobis factus fuit, & egit: cujus Incarnationis Divinæ maximum, secundùm Diviniſſimam Trinitatem (initio propositam) Mysterium, omnémque dispensationem, tribus complectitur Joannes propositionibus: *Et Verbum caro factum est. Et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre; plenum gratiæ, & veritatis.* Propositio prima, *Et Verbum caro factum est*, Incarnationem ipsam Christi, & Conceptionem de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine ineffabilem, verbis ab Ecclesia Christiana genu flexo adorandis exprimit. Propositio secunda, *Et habitavit in nobis*, vitam ejusdem in carne mortali, mortémque complectitur. Poteráſne, ô sublimis Evangelista! quatuor Evangeliorum historiam breviore, ac dulciore comprehendere oratione; quàm hæc sit, *Et habitavit in nobis?* Tertia propositio glorioſa Domini mysteria, Resurrectionem, Ascensionem, Missionem Spiritûs Sancti, Exaltationem Nominis JESU, Sponsi, ac Sponsæ triumphos, deprædicat. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Vidimus*, inquit; (beati oculi, qui viderunt, quæ vos vidistis!) *gloriam quasi Unigeniti à Patre*: vox *quasi*, non similitudinem aliquam, sed veritatem indicat, ùt est SS. Patribus certum: quasi diceretur, vidimus gloriam ejus, talem, ac tantam, qualis, & quanta decebat Unigenitum Patris: vel etiam, gloriam quæ ostenderet ipsum esse Unigenitum

nitum DEI Filium. *Verbum* quasi (ait Chrysost.) *hoc in loco non similitudinis est; neque parabola; sed confirmationis, & definitionis certissimæ: quasi diceret, vidimus gloriam, qualem deceat, & credibile sit habere Unigenitum, & dilectissimum omnium, Regis DEI Filium.* Euthymius item: *hìc dictio ὡς*, (tanquam, aut quasi) idem significat, quod verè. Non est id novum & peregrinum in Bibliis. *Plenum gratiæ, & veritatis*: nam *gratia, & veritas, per JESUM Christum facta est.* Quàm plenum? mox subjungit *v. 16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Gloria Christi JESU post mortem consecuta, tanta fuit, & est, & erit in cœlo, ac terra; ut ex illa gentes omnes, atq; Orbis terrarum, eum verum esse DEUM confessus fuerit.

13. Fusiorem in hoc primo textu explanando esse me coëgit robur, dulcedo, majestas argumenti: cujus vi Adversarii sunt penitùs prostrati. Nullum illis fulmen terribilius. In Polonia, dum videbantur regnare ut cùm maximè, colloquium de religione instituendum Petricoviæ, à Rege Sigismundo Augusto impetraverant: magno apparatu coram toto penè regno concursum est, hinc ab Antitrinitariis, & Christomachis, inde ab aliis Sectariorum: Catholicos, ne adessent, Hosius Cardinalis impedivit. Multis diebus in concertando de sola verborum horum, *In principio erat Verbum*, interpretatione, consumptis, progredi ultrà non potuêre; abruptâ incassum omni disputatione, quam petra suprema Christus, & secundaria Petrus, non moderabatur. Vide Florimundum Remundum lib. 4. cap. 12. num. 1. & 2. Georgius Enyedinus tractans hunc locum confiteri debuit: *Non est ullus inter novi Testamenti scripta locus; unde firmiùs Divinitas, & existentia Christi ante Matrem, comprobari posse credatur; quàm ex prooëmio Evangelii Joannis.* Haud ita pridem in Transylvania, quidam è præcipuis eorundem, ausus, ùt mihi compertum est, in eas voces verè blasphemas erumpere: Utinam dormivis-

ſet tunc potiùs Joannes, cùm illud Evangelii ſui exordium ſcripſit. Reſponſa illorum, & paraphraſes totius hujus textûs, varietate ſuâ, novitate, audaciâ, æquivocatione verborum, ſenſuum confictione mirè violentâ, ſummum veritati Chriſtianæ præbent teſtimonium. Quæ præcipua ſunt, paucis attingamus. *In principio erat Verbum :* nolunt hîc intelligere, Verbum & Filium fuiſſe ab æterno, vel ante mundum conditum ; (licèt iſtud ſecundum Ariani quoque veteres admiſerint) ſed credere volunt, τὸ *in principio* ſignificare initium Evangelii, & prædicationis ac doctrinæ à Patre per Chriſtum mundo traditæ : quaſi diceretur ; In principio DEUS per Chriſtum locutus eſt hominibus. Verùm Joannes membro primo ſui prooëmii ſubjungens, *hoc erat in principio apud DEUM*, & poſtea de creatione mundi, ùt de re poſteriore, incipiens in membro ſecundo loqui, expreſsè demonſtrat, illa quæ præceſſerant, ante conditum mundum extitiſſe. *Omnia per ipſum* (id eſt per Verbum) *facta ſunt ; & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt* : ergo Verbum quod in principio erat, & apud DEUM, & DEUS erat, fuit ante mundum, ac per conſequens ab æterno : ergo per Verbum hoc, ſola prædicatio Chriſti anno ejus triceſimo inchoata intelligi nequit. Non loquitur, ajunt, iſthic de cœli, ac terræ creatione, ſed de ſola regeneratione, reparatione, renovatione noſtra per Chriſtum : ùt etiam cùm mox ſubjicit : *& mundus per ipſum factus eſt.* Siccine vos Scripturam ſacram pro libidine veſtra pervertetis? Sic imponetis Chriſtiani Orbis terrarum auribus? Poſtremò : *Et Verbum Caro factum eſt* ; hoc eſt (inquiunt) Verbum illud, ſive Doctor, & Magiſter noſter Filius DEI Patris, caro fuit : nam τὸ ἐγένετο, græca vox, tam *factum eſt*, quàm *fuit*, verti poteſt. Si quæras ; undenam ſciant, hîc vertendum eſſe *fuit* ; *quidam ſic interpretantur*, reſpondet Georgius Enyedi. Exhibe aliquem ? altùm

ſilet.

silet. Nec enim illi ullo veterum Sanctorum, & Sapientum; sed Erasmo, Calvino, Beza, Luthero, Melanchtone, testibus & interpretibus, ubi possunt, uti solent: Theologis videlicet excellentibus. Quòd si verba Scripturæ clarissima, de quorum sensu, nullus unquam sanus, & vix hæreticus adhuc ambigebat, sic torquere, sic corrumpere, atque in novas, & auribus Christianorum omnium horrendas interpretationes deflectere licebit; nulla est in terris impietas, nulla barbaries, quam non defendas, *Scripturis haud esse repugnantem.* Hisce novis, multò magis Ebionitis, quàm Arianis, Joannes qui scripsit (ùt ùt negent illi) Evangelium suum contra Ebionem, docentem purum hominem esse Christum, nec ante Matrem suam extitisse; novis inquam his Christomachis, Joannes ultimus scriptione, sublimitate ac dignitate primus, & altissimus Evangelistarum, nimium obscurus est, intellectu difficillimus, totus constans allegoriis: quò nimirum suis persuadere queant, nullum nostrum ex illo testimonium contra ipsos valere debere. Audi Enyedinum citatum: *Ajunt quidam, Joannem sublimi genere dicendi esse usum; unde etiam ejus effigies, in aquilæ in sublime volantis imagine repræsentari solet: ideóque qui illius verbis humilem attribuat sensum; tam magnifico Scriptori injuriam faceret. Cùm autem Christi ex Virgine Nativitas, & ejus prædicationis, ac doctrinæ initium, res sint plebejæ; non esse verisimile, Joannem tam humilia grandi stylo descripsisse: sed cùm æterna à Patre Christi productio, & ejus ante mundum existentia, sit res magnifica; hæc potiùs ab isto sublimi Evangelista verbis mysticis explicata. At ego peculiarem phrasim, & diversam à reliquis Evangelistis habere Joannem non diffiteor: quæ an magnificentia, & sublimitas dicenda sit; judicent alii. Certè si obscuritas; concisa, abrupta, minimè sibi cohærens, & ex allegoriis constans oratio, sublimitas dicenda est; fateor Joannem esse sublimem. Nam vix ullam Christi Concionem ab eo relatam invenias, quæ tota non sit allegorica, & intellectu difficillima.* Ita ille,

Chriſti, & Diſcipuli, quem diligebat JESUS, qui etiam recubuerat in Cœna ultima in ſinu ejus, adverſarius. Intellectu vobis difficillimus Joannes, Concio Domini omnis apud eum allegorica; quia prædicat ubique Divinitatem ſuam, æternam à Patre generationem, æqualitatem, & unitatem cum illo: quæ vos cæciores Judæis, quibus concionabatur Chriſtus, advertere, videréque non vultis. Ergo, contra omnium ſæculorum Sanctitatem, ac Sapientiam Chriſtianam, in Joanne (qui divina potiſſimùm Domini, & Filii DEI tractat) verbis nihil ſublimiùs eſt; quàm in reliquis Evangeliſtarum, qui præcipuè illius humana, & Filii hominis narrant? In tanta luce Chriſtianæ religionis, vix ab ullo per mille jam ferè annos hæreticorum in controverſiam vocatæ, vos inſipienter controvertere vultis? adhucne ſine intellectu eſtis? Si Myſteria hæc Patris, & Filii æterni, per ſe arcaniſſima, ſcriptura non alia, quàm hæc Joannis prædicâſſet; tenebras veſtras minùs fortaſſis miraremur: at cùm decantata ſint paſſim & à Prophetis tectiùs, & ab Apoſtolis palàm, longéque apertiùs; cùm Chriſtus, veteris, novíque Teſtamenti argumentum unicum, & auctor, veniens ad nos eructârit ea à conſtitutione mundi abſcondita; quis Chriſtianorum ferre poſſit cæcitatem, & immanes blaſphemias veſtras?

14. Dices: à nemine alio *Verbi* nomine appellari *Filium DEI*, præterquam à Joanne. Reſpondeo quid tum? ſed hoc ipſo in loco appellari quater; tam diſertè, ut non poſſis aliud eo in nomine ſanâ mente intelligere, quàm Perſonam divinam Filii DEI Unigeniti, per quam condita ſint omnia; & quæ incarnata, quæ viſa in terris, converſata cum hominibus, uti prænunciârunt Prophetæ; cujus gloriam, ſoli DEO vero competentem, vidimus. Neque iſthic tantummodo Aquilæ illius grandis clangore cæleſti cani ea; ſed repeti rurſum in exordio epiſtolæ ſuæ primæ: *Quod fuit ab initio, quod*

quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ; & Vita manifeſtata eſt, & vidimus; teſtamur, & annunciamus vobis Vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis &c. Quam conſonantia ſint iſta cum præſenti Evangelii principio; jam ſuprà, Incarnationem DEI probantes, oſtendimus. Et iterum in hac eadem epiſtola cap. 5. ℣. 7. apertè dici: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Denique Apoc. cap. 19. ℣. 11. & ſeq. quatuor dari Nomina Chriſto Domino: primò *fidelis & verax, & cum juſtitia judicat, & pugnat.* Secundò. *Habens Nomen ſcriptum quod nemo novit niſi ipſe.* Tertiò. *Et vocatur Nomen ejus Verbum DEI.* Quartò. *Et habet in veſtimento, & in fœmore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Generationem Chriſti æternam deſcribere volentem Joannem, nullâ voce potuiſſe lucidiùs exprimere, quàm Verbi, quis non videat? Verbum enim eſt id, quod dicitur; Filius igitur DEI Patris, Sapientiæ, mentiſque Divinæ Verbum eſt, ſive is eſt, quem Pater intellectu ſuo dixit, dicit, dicet, hoc eſt genuit, gignit, gignet ab æterno, in æternum. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM*: Nam alia eſt Perſona DEI Patris, alia Filii, alia dicentis, alia dicti, ſeu Verbi. Verbum hoc, Sapientia illa genita eſt; quæ Proverb. 8. & in libris Sapientialibus producitur ubique loquens, atque innumeris erudiens, nec non invitans nos ad ſe, doctrinis: quæ de ſe ait: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam; ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens &c.* Eccl. 24. *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, ante colles ego parturiebar &c.* Proverb. 8. Hic eſt ille Pater, & Filius; Rex, & Filius Regis; de quo Pſalmum ſuum ſecundum, & 109. atque adeò pleróſque, David concinuit. Quibus in omnibus poſt tot, ac tanta lumina Scripturarum, & Eccleſiæ, non agnoſcere pluralitatem Perſonarum Divinarum, ſed meras fingere

gere metaphoras, vocúmque improprias acceptiones; eſt cum iis facere, *qui oculos ſuos compreſſerunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant; & convertantur, & ſanem eos.* Actor. 28. 27. Audi Joannem alterum, cujus teſtimonium huic ſuo ſtatim annectit prooëmio Evangeliſta: *Joannes teſtimonium perhibet de ipſo; & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: qui poſt me venturus eſt; ante me factus eſt: quia prior me erat:* ubi τὸ *ante me factus eſt*, & ſi complures accipiant pro eodem, ac mihi prælatus eſt, méque major Propheta effectus; ſequentia tamen, quibus rationem reddit, cur ſibi prælatus fuerit, ſeriùs adveniens Chriſtus, *quia prior me erat*; hæc inquam SS. Patres conclamant idem eſſe, quaſi dixiſſet; quia me naturâ præſtantior, ac prior erat, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat DEUS. Secundùm Adverſarios noſtros ita locutus eſt Baptiſta: Me major gratiâ factus eſt: quia me major gratiâ erat. At pergamus in ſacro Textu: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* O Domine! ſi *omnes*; ergo & Joannes Baptiſta, & antecedentes Prophetæ, acceperunt de plenitudine tua; ergo tu exiſtere illorum temporibus debebas. *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt.* Legis tum Decalogi, tum cæremoniarum, & judiciorum, promulgator duntaxat Moyſes; Chriſtus gratiæ (quæ Decalogi eſt anima) & veritatis figuras implentis, eſt Conditor. Mitto reliqua.

TEXTUS SECUNDUS.

Epiſtolæ ad Coloſſ. Capite 1mo. & 2do.

15. MInistrorum in Sarmatia, & Tranſylvania conſentientium liber, paucis hodie viſus vel inter ipſos Antitrinitarios, mirificè illum occulentes, ne cum ſuis in DEUM & Chriſtum blaſphemiis inauditis, lucem, quâ eſt indigniſſimus, uſurpet, ſuíſque Diſcipulis propriis odorem gravem

vem exhalet. Liber ille infamis, Alcoranum horum alterum, poſtquam Initium Evangelii S. Joannis longiſſimâ paraphraſi fœdiſſimè corrupiſſet; ſecundam in Caput primum ad Coloſſ. tertiámque in Caput primum ad Hebræos; nihilo ſaniorem, neque multò breviorem adjungit paraphraſim: ſatis demonſtrans, impietatem illorum lædi, ac jugulari locis his tribus quàm maximè. Obſcuriſſimus eſt illis non modò Joannes, ſed etiam Paulus. In iſto quædam difficilia intellectu ſcripſit S. Petrus: ſed hæc eſſe illa, quæ vos capere non vultis, apud nullum Sanctorum Interpretum lego. Nimis altè, glorioſéque loquitur uterque de Chriſto; ne igitur is habendus ſit pro DEO vero, verba illorum in novas, & ab omnium ſenſu abhorrentes, erunt à vobis torquenda, ſententias?

16. Ergo S. Paulus in hac ſua Coloſſenſibus exarata Epiſtola, inſectatur, ùt ajunt SS. Patres, præcipuè Simonem Magum, cum ſuis Aſſeclis; qui docebant inter alia, non Chriſtum, ſed Angelos fuiſſe ſalutis noſtræ mediatores, & interceſſores apud DEUM: abſurdum cenſentes credere, quòd Filius DEI extremis temporibus per ſe apparuerit in carne; cùm in veteri Teſtamento DEUS hominibus apparere, ſuáque decreta exequi ſolitus per Angelos fuerit. Itaque gratias agens DEO Patri, *qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuæ.* V. 14. & ſeqv. ſic de Chriſto ſcribit: *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum. Qui eſt imago DEI inviſibilis; primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa, in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia: ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnes; & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Qui eſt principium; primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare; & per eum reconciliare omnia in ipſum: pacificans per ſan-*

ſanguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt. In cap. 2. ejuſdem Epiſtolæ inquit rurſus : ℣. 9. & ſeqv. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Et eſtis in illo repleti ; qui eſt caput omnis Principatûs, & Poteſtatis : in quo & circumciſi eſtis, circumciſione non manu factâ in expoliatione corporis carnis ; ſed in circumciſione Chriſti : conſepulti ei in baptiſmo ; in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis DEI. &c.* Infrà ℣. 14. & 15. *Delens*, ait, *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis ; & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci : & exſpolians Principatus, & Poteſtates traduxit confidenter ; palàm triumphans illos in ſemetipſo.* Multa horùm ſimilia continet Epiſtola etiam ejus ad Epheſ. ubi in fine cap. 1. ait de Chriſto : *Super omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem ; & omne Nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus ; & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus ; qui omnia in omnibus adimpletur.* Hæc univerſa Miniſtelli adverſus Chriſtum conſentientes, conantur mirum in modum pervertere ; ut Divinitatem æternam, ſi poſſint, Chriſto eripiant. Dominum gloriæ faciunt hominem purum ; qui ante Matrem ſuam non fuerit, nisì in mente DEI : quomodo etiam creaturæ cæteræ ab æterno exiſtebant. Quòd autem Filius DEI eſſe, quòd ſuper omnem creaturam conſtitutus legatur ; non aliud ſignificat, inquiunt, quàm gratiâ DEI fuiſſe unctum ſuper alios omnes ; eò quod per ſanguinem ejus voluerit nos DEUS reparare.

17. Verùm, oro vos, Paulum attendite diligenter. Docet is primùm, in Chriſto nos Redemptionem habere per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum. At Salvatoris, & Redemptoris mundi munus, poteſtatem remittendi peccata, quam is tenebat, non potuiſſe dari ulli puræ creaturæ, jam ſuprà ſatis oſtendi. Sanguis illius non fuit utì ſanguis hirco-

hircorum, & taurorum veteris Teſtamenti ; & conſequenter, neque fuit ſanguis hominis puri : ſed ſanguis DEI & hominis; ùt idem Apoſtolus verbis profitetur clariſſimis, vocans nos *Eccleſiam DEI, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Actor. 20. 28. Docet iterum, Chriſtum eſſe imaginem DEI inviſibilis ; primogenitum omnis creaturæ ; principium ; primogenitum ex mortuis &c. DEUM inviſibilem hîc denotari *Patrem*, vobis negabo; nam, ùt ajunt SS. Patres ſola Perſona Patris eſt, quæ non apparuit, non eſt miſſa, non venit in forma viſibili ad nos. Hujus imago eſt Filius, non quales nos ſumus ad imaginem DEI conditi ; *ſed figura ſubſtantiæ ejus.* Hebr. 1. 3. *Qui cùm in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens &c.* Philip. 2. Qui dixit aliquando Philippo : *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Dixit ad ſuos : *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Joan. 14. Nunquam vos, horum ſimiliúmque verborum crudeles carnifices, ſic ea torquebitis ; ut ſana, & Chriſtiana mens ex illis non intelligat, Filium eſſe imaginem, figuram, formam DEI Patris naturalem, & conſubſtantialem. *Primogenitus omnis creaturæ* : genitus igitur fuit, non tantum ante Virginem MARIAM, ſed etiam ante mundum, omnémque creaturam : non fuit igitur creatura ; ſed ab æterno verus DEUS, de DEO genitus. Haud comparatur cum creaturis, ut unus de illis; quod contendebant Ariani : ſed ut anterior omnibus iis, & quod ſubjungitur, author illarum ; ut is, quem Pater intra ſe ipſum infinitè priùs genuit, quàm unà cum illo deinde mundum condiderit. Non dicitur *primocreatus*, ſed *primogenitus*; utì notârunt Theodoretus, & Ambroſius. Alio in loco vocat eum Apoſtolus, *Primogenitum in multis fratribus*; Rom. 8. 29. hic *omnis creaturæ* : paulò pòſt, *Primogenitum ex mortuis*; qui Apocalypſis 1. 5. *Primogenitus mortuorum* nominatur. Nam primus verè omnium mortuorum reſurrexit ad gloriam, ſecundùm

cundùm humanitatem ſuam; ita & primus ante omne quod creatum eſt, ab æterno genitus ſecundùm Divinitatem. Docet denique Paulus, in Chriſto, & per illum condita eſſe univerſa viſibilia, & inviſibilia, & ipſum eſſe ante omnes, & omnia in ipſo conſtare &c. Ne blaſphement Simoniani, Menander, Saturninus, & alii, Angelos, à DEO, ab Angelis verò mundum creatum eſſe. Quid vos ad hanc Apoſtoli orationem tam luculentam Antitrinitarii, & Chriſtomachi? nihil ajunt phraſibus his cunctis declarari; præterquam à Chriſto reparatum eſſe mundum, ſive genus humanum: quæ reparatio eſt, inquiunt, *nova creatura*. O furorem, ô cæcitatem, ô amentiam incredibilem, ſeu talem Divini ſermonis interpretationem procudentium, ſeu illi fidem habentium! Fruſtrà laboras Magne Apoſtole in ſeligendis, cumulandis, diſtinguendis verbis, ac ſententiis tuis, quibus jam reparatum, jam primò conditum à Filio DEI mundum exprimas: hi mirandi artifices ſcient ea omnia dicta tua confundere, atque in ſenſus ſuos blaſphemos contorquere; ne Chriſtum Dominum, Creatorem eſſe rerũ omniũ cogãtur confiteri. Quæ ſunt illa inviſibilia, illi Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates Angelicæ, quas, ùt vos explicatis, reparavit homo Chriſtus? éſtne ille Dœmonum Redemptor, ac Salvator? cùm & hos certè conditos eſſe, creatóſque per ipſum, & in ipſo, clamet Paulus? Novam creaturam appellat nos ſanguine Chriſti renovatos, hominéſque in illo novos; eum verò novum Adam eſſe prædicat 2. Cor. 5. 17. Gal. 6. 15. ergo ubicunque legitur mundus per ipſum factus, omnia in cœlo, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, tum Angelos, tum homines ab eo creatos, ſine ipſo factum eſt nihil; id intelligendum ſit de iſta renovatione noſtri, quàm Chriſtus ſanguine, mortéque ſuâ effecit? Quid eſt margaritas verbi divini projici ante porcos, ſi hoc non eſt? *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*: hoc non diffiteor de Chriſto quà homine ſubjungi; ſed

ſed non quà puro, verùm homine tali, cujus humana natura ſubſiſtat in Perſona Divina: qui cùm DEUS eſſet, aſſumpſerit carnem, & animam humanam; qui fuerit DEUS ſimul, & homo: ſiquidem homini puro dignitas capitis Eccleſiæ, capitis Angelorum, & hominum, Regis gloriæ, Domini Dominantium, dari non poterat. Cur etenim Majeſtas hæc tanta collata ſit ei, audi: *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Clariùs mox cap. 2. ℣. 9. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Non igitur per ſolam immenſitatem ſuam, nec per gratiæ dona, & unctionem tantùm, ùt in Sanctis; ſed per omnem ſuam plenitudinem DEUS eſt in Chriſto: ſed corporaliter inhabitat; quia unita eſt hypoſtaticè Divinitas non ſoli animæ, verùm etiam corpori ejus: quomodo anima in homine dici poteſt corporaliter inhabitare. Ita S. Auguſt. Theodoret. Theophylact. &c. quæ anima noſtra ſicut inhabitans corpus, non duas, ſed unam cum illo facit hypoſtaſim, ſeu perſonam; ita in Chriſto Divinitas cum humanitate unum Chriſtum, Deúmque Incarnatum conſtituit. Dicitur porrò inhabitare Deitas in illo; ut non intelligas miſceri, neque confundi eam cum humanitate, ſed integram in ſe ipſa permanere. Jam conſidera num purus homo eſſe poſſit, in quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*? an de puro dici poſſint homine illa, quæ allegavimus ex Epiſt. ad Epheſ. cap. 1. ſub finem? vel maximè, quod Chriſtus ſit *ſuper omne Nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro*?

TEXTUS TERTIUS.

Epiſtolæ ad Hebræos Caput vel maximè primum.

18. Cùm reliqua omnia, tum Caput potiſſimùm primum totum, in Epiſtola illa, veram Chriſti Divinitatem clariſſi-

clariſſimè demonſtrat. Lege illud ſerenâ, neque blaſphemiis tuis præoccupatâ mente; in quolibet hanc verſu relucere deprehendes. Initio cum cæteris Sanctorum, Prophetarúmque comparans Chriſtum, illos ſervos, hunc unicum appellat Filium DEI. Quid ita? illi ſunt adoptivi, Filius autem iſte naturalis; & hoc ipſo ſolo, quòd genitus, *hæres univerſorum*: qui poſtquam eſt Incarnatus; etiam ùt homo conſtitutus hæres univerſorum: ſiquidem humanitas illa unita eſt Filio DEI naturali univerſorum Domino. *Per quem fecit & ſecula*: id eſt, cum quo Pater, & qui unà cum Patre, fecit tempora, réſque omnes temporibus ſuis factas. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ; & figura ſubſtantiæ ejus, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens*, (in græco textu, quem ante latinum habent adverſarii, additur, *per ſemetipſum*) *ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis.* Ecquid horum poterit creaturæ puræ accommodari? Tranſit hinc Apoſtolus ad eminentiam Chriſti ſuper omnes Angelos magnificandam: 1mò. quia ſolus ille *Filius*: 2dò. quia *cultu latriæ adorandus* ab Angelis omnibus: 3tio. quia *Miniſtri* ejus ſunt Angeli; Chriſtus autem eſt DEUS, Réxque univerſorum: 4tò. Ille Creator eſt, ac Dominus omnium æternus, immobilis, immutabilis &c. quæ cuncta Pſalmis aliquot Davidis de DEO altiſſimo ſcriptis, Chriſtóque à ſe attributis, docet. Inter cætera, *Et tu in principio Domine terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis*: & *velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Hæc Pſalmi 101. & Pauli Apoſtoli verba, non, in Chriſto & per Chriſtum tantùm creata eſſe omnia exprimunt; ſed, *tu*, ajunt, Chriſte, initio cœlum, & terram, opera manuum tuarum, feciſti; tu deſtrues, & mutabis ſicut veſtimentum ea, in te ipſe immutabilis, & indeficiens: tu mittes Angelos, qui tui omnes miniſtri ſunt, in miniſterium noſtrum, propter eos, qui hæreditatem capient

pient ſalutis. Lege Cap. 2. Epiſt. ejusdem, argumenti paris: ubi legi veteri (quam per Angelos dictatam aſſerit Paulus) Chriſtianam à Domino latam antefert. Dicitur ibidem de Chriſto, à ℣. 11. *Non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis; in medio Eccleſiæ laudabo te.* Rurſum ℣. 14. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini; & ipſe ſimiliter participavit eisdem: ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum.* Nisi antequam homo factus eſt, habuiſſet Chriſtus naturam aliam humanâ præſtantiorem, videlicet divinam; nunquam participans nobiſcum per opera carnis ſuæ, ut mortem noſtram moriendo deſtrueret, prædicari; nunquam admirationem movere, quòd non erubeſcat fratres nos ſuos vocare, jure meritò potuiſſet. *Nusquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus ſimilari &c.* ibidem ℣. 16. & 17. Purus homo, quòd hominibus per omnia ſimilis ſit, éſtne ſingulari dignum notatione? Denique ne reliqua ex eadem Epiſtola memorem; attende Cap. 3. v. 3. & ſeq. quemadmodum præferat Chriſtum Dominum Moyſi, quo ſuper omnia gloriabantur Hebræi. *Amplioris gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus; quantò ampliorem honorem habet domûs, qui fabricavit illam. Omnis námque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, DEUS eſt. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus; in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquam Filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos &c.* Genitivos *amplioris gloriæ*, item *domûs* ponit per græciſmum pro ablativo; ùt eſt certiſſimum Sanctis Patribus Græcis. Ergo ait tantò majorem gloriam habere Chriſtum, quàm Moyſem; quantò major eſt domo, qui fabricavit illam. Omnis domus ab aliquo fabricatur; domûs autem hujus, quæ mundus & Eccleſia eſt, author, ſive qui omnia creavit, DEUS eſt; hoc eſt, Chriſtus eſt: eum etenim hìc intelligi nomine DEI ab Apoſtolo, cæcus aut corruptor fœdus ſermonis es divini, ſi

non advertis. Moyſes famulus in ea domo ; Chriſtus Filius in domo ſua : Moyſes membrum domûs ; Chriſtus caput, Archi-tectus, Dominus : utpote quam & fabricavit, & reparavit. Quid requiris hiſce clariora ?

19. Reſpondent variè, ſed otiosè ac ridiculè omnia : nam ſi naturam divinam juxtà & humanam in Chriſto ſpectes, quod ubique inculcant utrumque Apoſtoli ; nihil omnino dicunt. Liber Miniſtrorum, in Sarmatiæ ac Tranſylvaniæ ruinam conſentientium, Pſalmi 101. locum illum, *initio tu Domine terram fundâſti*, contendit vehementer, nec à Davide dici ad Filium, nec ab Apoſtolo applicari Filio DEI, ſed Patri ſoli : ſic enim (inquit) ſibimet ipſi contradiceret Paulus ; qui aliàs unà cum Joanne *per Filium* aſſerit creatum mundum, hìc autem diceret *à Filio* eſſe conditum. Nugatúrne an ſeriò reſpondet ? Unde colligere debebant, æquè Creatorem mundi declarari Chriſtum, cùm ſcriptura dicit *omnia per ipſum facta ſunt* ; ac cùm ait de illo, *tu in principio terram fundâſti* : inde illi & phraſis ſecundæ documentum, ut huc non pertinens, rejciunt ; & primæ corrumpunt impudenter. Inquiunt igitur, aliis inutilibus præteritis, verba illa tam Davidis quàm Pauli, eſſe apoſtrophen ad DEUM Patrem : fieri etenim repentinas hujusmodi perſonarum ex improviso mutationes in ſermone divino uſitatum eſſe, teſte ipſo Auguſtino, in Pſ. 44. At, in Prophetarum quidem oraculis tales non rarò apoſtrophas, perſonarúmque mutationes occurrere, quamvìs concedam ; eas tamen, ubicunque ſuadet impietas tua, pro libito in illis confingere, quid eſt niſi turbari fœdaríque, ùt margaritas à porcis, eloquia DEI. Quâ fronte tu Apoſtolicas transfers id in literas ; maximè ubi myſterium aliquod ex inſtituto pluribus ſcripturæ locis allegatis explicant probántque ? Dicere de teſtimonio illo, quo blasphemiæ turpiſſimæ convinceris, quòd extra propoſitum ſibi ſcopum afferatur ab Apoſtolo, an non eſt incredibilem in modum

blas-

blasphemare? Adverte diligenter contextum omnem S. Pauli. Docet Christum esse majorem Angelis: postquam unum & alterum hoc evincens argumentum ex Hebræorum ad quos scribebat bibliis attulit; sic pergit: *Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis: ad Filium autem: Thronus tuus, DEUS, in sæculum sæculi; virga æquitatis virga Regni tui: Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem; propterea unxit te, DEUS, DEUS tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Textum hunc Ps. 44. licèt in eo Christus noster semel atque iterum renuncietur clarissimè DEUS esse; tu non negas, Paulum locutum de illo; quomodo negas sequentem? vide quàm te condemnet non tantùm ratio tota disputationis Apostolicæ, sed etiam particula & connectens hæc cum iis quæ sequuntur: subjungit eodem stylo, ex Ps. 101, tres integros citans illius versus: *Et: Tu in principio Domine terram fundâsti; & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis; & omnes ùt vestimentum veterascent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quid significat particula illa & conjungens testimonium istud Regii prophetæ cum antecedenti? tu dividere duos istos textus, de Filio alterum, alterum de solo Patre Creatore cœli ac terræ loquentem facere, adeóque ab Apostolo ineptè planè ad probandam thesim suam adduci, audebis comminisci? Creator est mundi sine dubio Pater, sed & Filius; unus enim & idem DEUS est uterque. Comparat, inquis, Apostolus in his locis cum Angelis & Moyse Christum, non autem cum Creatore Patre. Respondeo ita esse; neque Psalmum illum 101. inducit, ut comparet eum cum Creatore; sed ut esse Creatorem Deúmque altissimum æquè ac Patrem, ut esse per consequens Angelis infinitè majorem edoceat.

TEXTUS QUARTUS,

Ex Epiſtolæ Joan. primæ Cap. 4. & 5. Item ex Epiſtola 2da ejusdem.

20. DUplicem in his ſuis Epiſtolis laceſſit hæreſim jam eo tempore ſubnaſcentem Joannes; Cherinti, & Ebionis, illorúmque inprimis, qui negabant, veram Chriſti Deitatem; deinde quoniam hos per Evangelium etiam ſuum confutâſſet abundè, Baſilidis & ejus ſociorum potiſſimùm, qui veritatem carnis & humanitatis in Domino tollebant. Divinitatem Chriſti volens inculcare docet, eum Filium eſſe DEI, eſſe Vitam æternam, eſſe Lucem in qua nobis ambulandum; fuiſſe ab initio, id eſt, ab æterno apud Patrem, & apparuiſſe nobis: ita ſcribit in principio Epiſtolæ. Capite autem ſecundo, v. 22. 23. *Hic eſt* inquit *Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium; nec Patrem habet: qui confitetur Filium; & Patrem habet.* Si enim Chriſtus non eſt Filius DEI verus ac naturalis, & per conſequens ſi non eſt DEUS; neque DEUS eſt Pater verus ac naturalis. Hæretici proinde illi ſectatores Cherinti, nec in Filio nec in Patre manent. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in Nomine Filii ejus JESU Chriſti.* Cap. 3. 23. Qui autem negat eum eſſe unum cum Patre DEUM; verè negat eum eſſe Filium DEI Patris. *Scimus quoniam Filius DEI venit*, (hoc eſt, incarnatus eſt,) *& dedit nobis ſenſum; ut cognoſcamus verum DEUM, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus DEUS, & Vita æterna.* Cap. 5. in fine. Prima Joannis de Chriſto doctrina in Epiſtolis ſuis hæc erat.

21. Altera veram ipſius humanitatem contra Baſilidis hæreſim propugnabat; in qua putant Adverſarii noſtri Apoſtolum hunc eſſe ſuum: ſed jugulat illos vehementer. Nam

ſi con-

ſi condemnati ſunt, qui veram adimere Domino carnem conabantur; quid de iſtis erit ſentiendum, qui oppugnandam ſibi ſumunt ejus Deitatem? Si non in vera carne apparuit (ut hæreſis hæc ſecunda dicebat) profectò aliquam aliam majorem naturam, humanitatis ſpecie tectam habuit, quam illa componere cum humana natura nolebat; *duas in Chriſto naturas* agnoſcere vobiscum detrectando. Attendite, quemadmodum à Joanne non Cherintum tantùm, ſed etiam Baſilidem profligante, Antichriſti caſtris adnumeremini. *Multi* (ait Cap. 4. ſub initium) *Pſeudo Prophetæ exierunt in mundum. Omnis Spiritus qui confitetur JESUM Chriſtum in carne veniſſe; ex DEO eſt: & omnis Spiritus qui ſolvit JESUM; ex DEO non eſt: & hic eſt Antichriſtus.* Rurſus Ep. 2. ℣. 7. *Multi Seductores exierunt in mundum; qui non confitentur JESUM Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt Seductor & Antichriſtus.* Quid eſt ſolvere JESUM? eſt id, quod in eo compoſitum & colligatum erat, diſſolvere, atque ab invicem ſeparare: divinam ſcilicet cum humana natura, per vinculum unionis hypoſtaticæ in una perſona copulatam. Illi, qui negabant carnis veritatem, *ſolvebant JESUM*, humanam à natura divina tollentes: vos, qui negatis ipſius Divinitatem; *ſolvitis pariter JESUM*; hominis Filio verum *Filii DEI* titulum abjudicantes: vos non confitemini JESUM Chriſtum, id eſt, DEUM & Regem æternum veniſſe in carne, ſive incarnatum eſſe, veniſſe de cœlo in terram, veniſſe ac veluti rorem de cœlo divinum carni eſſe illapſum; vos, qui purum eum creditis hominem; ex DEO non eſtis, Seductores & Antichriſti eſtis. Solvis JESUM; ſeu purum DEUM, ſeu purum hominem confitearis: ſeu à DEO carnem in Chriſto, ſeu à carne DEUM ſepares; Antichriſtus & Chriſtomachus es. At inquies, Syrum, & Græcum, & ex latinis Cyprianum ac Tertullianum non habere, *qui ſolvit JESUM*; ſed ſic legere: *Omnis Spiritus qui non confitetur Chriſtum veniſſe in carne.* Reſpondeo, à Latinis cæteris

legi passim, *omnis Spiritus qui solvit Christum*: ut à S. Leone, Prospero, Cassiano, & ipso etiam Tertulliano L. cont. Psychicos, c. 1. Irenæo l. 3. c. 18. & Augustino hîc. Porrò in Græcis pro ὁμολογεῖ sive *confitetur*, olim lectum fuisse, ἀναλυεῖ, sive *solvit*, liquet ex Didymo hîc, & S. Cyrillo, de fide ad Reginas; & ex eo, quod scribit disertè Socrates l. 7. c. 32. agens de Nestorio: *Ignorabat in vetustis exemplaribus Catholicæ Joannis, esse scriptum: omnem Spiritum qui JESUM solvit, à DEO non esse. Hanc enim sententiam ex vetustis exemplaribus abstulerunt illi; qui Divinitatem à dispensatione hominis separare voluerunt.* Hæc Socrates. Cornelius à Lapide utrámque lectionem eodem recidere inquit; & per unam explicari alteram: idem proinde esse, negare Christum venisse in carne; ac solvere illum.

22. Tertium Joannis documentum gravissimum, in Epistolæ primæ c. 5. ℣. 7. & 8. utrámque Domini naturam, divinam & humanam, unà cum pleno Divinissimæ Trinitatis mysterio, clarissimè nobis exponit. Præmittit ℣. 1. *Omnis qui credit quoniam JESUS est Christus; ex DEO natus est.* Deinde ℣. 5. *Quis est qui vincit mundum nisi qui credit quoniam JESUS est Filius DEI?* Nos, inquis, credimus, quoniam homo ille JESUS, & Christus & Filius DEI est. Mentimini vobis metipsis, neutrum creditis. Nam præter illam, quâ Filius David & Filius hominis est, nullam ipsius generationem aliam anteriorem, quâ nempe Filius DEI verus, & quâ Patris sui David *Dominus* erat, (ut ipse David confitetur: *Dixit Dominus Domino meo.* Ps. 109.) confitemini. JESUM esse talem Christum, & talem Filium DEI, qualem vos admittitis; nec illi contra quos scribebat Joannes, negabant. Recole quæ suprà Instit. 4ta allata sunt. Adjicit tandem ℣. 7. & 8. textum hunc fidelibus pretiosissimum, Antitrinitariis formidandum, Filio tonitrui dignissimum, idem Apostolus. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant*

in

in terra ; Spiritus, & aqua , & ſanguis : & hi tres unum ſunt. Subjungit : *Si teſtimonium hominum accipimus ; teſtimonium DEI majus eſt : quoniam hoc eſt teſtimonium DEI quod majus eſt ; quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo. Qui credit in Filium DEI ; habet teſtimonium DEI in ſe : qui non credit Filio ; mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt DEUS de Filio ſuo. Et hoc eſt teſtimonium quoniam vitam æternam dedit nobis DEUS. Et hæc vita in Filio ejus eſt. Qui habet Filium, habet vitam ; qui non habet Filium, vitam non habet.* Hæc ſingula piæ ac prudenti menti Chriſtum eſſe verum DEUM facilè perſuadebunt. Noto 1mò. Sanctum Hieronymum, præfat ; in Epiſtolas Canonicas, (quem eo nomine Blandrata, Eraſmum imitatus, parùm prudentem calumniatur ; & ipſe à Bellarmino L. 1. de Chriſto c. 6. non parùm prudens ſed multùm impudens ideò dictus.) Noto in quam, à S. Hieronymo proditum, verba illa de tribus teſtibus cæleſtibus fuiſſe ab infidelibus, ſcilicet Arianis, è nonnullis græcis codicibus abraſa : unde non legunt ea Syrus, Clemens Alexandrinus, Oecumenius, & aliqui alii. Legunt nihilominus conſtanter Biblia latina, & correctiora græca, multíque veterum, ut Athanaſius, Cyprianus, Auguſtinus &c. & Concilium Lateranenſe, cui Græci etiam interfuerant : neque poteſt fidelibus eſſe dubium ; quin hæc ſcriptura ſit canonica. Noto 2dò. τὸ *& hi tres unum ſunt*, Patri, Verbo, & Spiritui Sancto ſubjectum, Complutenſia & Regia ſic legere : *Et hi tres in unum ſunt* : At in latinis, & aliis græcis legi : *Et hi tres unum ſunt.* Præterea eadem verba ſpiritui, aquæ, ac ſanguini ſubjecta, in Complutenſibus & Regiis, aliisque nonnullis codicibus non reperiri. Unde S. Thomas opuſc. 24. in 2. Decretal. cenſuit hæc illic ab Arianis eſſe appoſita ; ut inde à pari colligerent, eâdem eſſe unitate unum, Patrem, Verbum, & Spiritum Sanctum, quâ ſpiritum, aquam, & ſanguinem. Verùm plerique Latini & correctiores Græci, addunt hæc in teſtimonio humano ;

ſed hoc modo: *Et hi tres in unum ſunt.* Syrus habet *hi tres in uno ſunt.*

23. Nunc ad argumentum noſtrum ex hoc loco eruendum veniamus. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* In hoc ordine primo producuntur veræ Chriſti Divinitatis tres teſtes, divini tantùm & increati. Si enim omnes qui teſtimonium dant in cœlo Chriſto afferre voluiſſet, Angelos quoque ac reliquos cœlitum debuiſſet cunctos enumerare. Pater teſtimonium perhibuit Chriſto, quod ſit verus DEUS, 1mò. dum bis, in baptiſmo ejus nempe ac transfiguratione, publica vox de cœlo venit: *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite.* Mat. 3. 17. &c. 17. 5. De quo teſtimonio dicit Joannes hîc: *quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.* & S. Petrus, 2. Pet. 1. 18. *Hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.* 2dò. Idem teſtimonium perhibuit, cum rogante Chriſto ut clarificaretur nomen ſuum, vox è cœlo intonuit dicens: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Joan. 12. 28. Verbum iterum ſive Filius DEI teſtificatus eſt de Chriſto; quando per omnem ſuæ Incarnationis œconomiam, ſe verum eſſe DEUM Filiúmque DEI Patris prædicavit, & probavit. Spiritus denique S. teſtificatus eſt, quando in ſpecie columbæ deſcendit in eum à Joanne baptizatum: quando deſcendit miſſus à Patre Filióque in Apoſtolos cæterósque fidelium in die Pentecoſtes; deſcendit ſubinde in plurimos credentium: per quorum, & Apoſtolorum ora nîl ferè aliud, quàm Chriſtum DEI Filium Spiritus S. præconizavit. *Et Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas,* præmiſerat in loco quem tractamus verſu 6. Joannes: Veritas autem ſimpliciter creatura pura nulla prædicari ex vero poteſt. Ergo tres ſunt hi teſtes divini chriſtianæ fidei noſtræ, in Chriſtum JESUM verum DEUM & verum hominem credentis. Tres ſunt: quid igitur quæris ô impie! ubi nam nomen Trinitatis Perſonarum divinarum

legamus

legamus in ſcriptura? *Et hi tres unum ſunt.* Tres videlicet in Perſonis, quia tres teſtes; ad cujus numeri veritatem neceſſaria eſt aliqua inter ipſos realis diſtinctio: ſed *unum* in eſſentia, in natura, in virtute. Unus DEUS, una in eo ſubſtantia, una omnipotentia, ſapientia, bonitas æterna &c. una operatio externa, unum de Chriſto trium Perſonarum teſtimonium. Hæc de tribus in cœlo teſtibus: alii tres in terra naturam humanam Chriſti teſtificantes, ſunt *Spiritus, & aqua, & ſanguis.* Spiritus, quem in cruce in manus Patris commendans Dominus emiſit; aqua, & ſanguis, quæ de latere Chriſti aperto profluxerunt: hæc tria teſtantur eum verè mortuum, adeóque verum hominem fuiſſe. At non purum hominem, nam horum etiam trium teſtimonio Divinitas ipſius vera eluxit. Hiſce ſiquidem tribus, tanquam juſto & cumulato pretio ſatisfecit, emítque nos Chriſtus; quod facere nunquam potuiſſet, niſi fuiſſet ſimul DEUS. Spiritus quem emiſit, arguebat eum eſſe DEUM: *Videns* enim *Centurio, quia ſic clamans exſpirâſſet*; concluſit dicens: *Verè hic homo Filius DEI erat.* Marc. 5. 39. Qui clamor morientis minimè naturalis, ſignificabat hominem illum eſſe juſtum, & ſimul DEUM; ſignificabat mori eum non ex infirmitate, ſed voluntate ſua, ut ajunt Hieronymus, Chryſoſtomus, & alii, juxta illud: *Nemo tollit animam meam à me; ſed ego pono eam à me ipſo. &c.* Joan. 10. Aqua & ſanguis è latere mortui manans, arguebant eum eſſe DEUM; quia indicabant Sacramentorum Eccleſiæ Chriſtianæ Authorem, baptiſmi ſcilicet, & Euchariſtiæ, atque in illis reliquorum omnium.

24. Quid habetis Antitrinitarii, quod prioribus illis tribus teſtibus, Patri, Verbo, & Spiritui Sancto, extra ſeriem rerum omnium creatarum collocatis, regeratis? Si creditis in Patrem; quid eſt quòd Verbum & Spiritum Sanctum negatis eſſe DEUM? in hanc primam teſtium claſſim, Patríſque ſocietatem, num ſcriptura creaturas inſeruerit? Hi

tres unum ſunt, inquitis, non naturâ & eſſentiâ, ſed quomodo Spiritus, aqua, & ſanguis unum ſunt. O blaſphemiam ingentem! nonne alia eſt, ſi quid ſapitis, unitas rerum creatarum inter ſe; alia rerum in DEO exiſtentium? Hi tres ſunt verè unum, unitate illâ, de qua dicebat Dominus: *Ego & Pater unum ſumus.* Vox eadem unitatis, ùt & alia prædicata, ſi DEO aplicentur, ſunt aliter, aliter ſi creaturis, intelligenda: in DEO modo perfectiſſimo, in rebus creatis cum magno defectu inveniuntur. Sapientiſſimè S. Auguſt. l. 3. cont. Maximinum Arianum c. 22. *Unum ſunt aqua, ſanguis, ſpiritus, concordiâ quâdam teſtandi; Pater, Verbum, Spiritus, unitate præterea naturæ.* Rectè item Innocentius III. in Concilio Lateranenſi: *Inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari; quin inter eos major ſit diſſimilitudo notanda.* Quare ſeu legatis, *& hi tres unum ſunt*; ſeu, *& hi tres in unum ſunt:* ſi de Patre ac Filio ac Spiritu Sancto id prædicetur; nequit non unitatem eſſentiæ, naturæ, Deitatis inter eos denotare: ſi de ſpiritu, aqua, & ſanguine; unitatem & conſpirationem merè in teſtificando. Sunt *unum*, ſeu, ſunt *in uno*, ponatis; erit ſemper ſecundùm eorum, quibus apponitis, naturam intelligendum. *Erunt duo in carne una* ajebat DEUS de Adam & Eva Gen. 2. Chriſtus de Conjugibus: *Itaque jam non ſunt duo ſed una caro.* Math. 19. *v.* 6. Eritis mihi in populum, vel eritis mihi populus; eſto mihi in DEUM protectorem vel DEUS protector, idem ſunt. Et Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, DEUM eſſe altiſſimum quemlibet eorum, ſcriptura univerſa conclamat; DEUM igitur unum eundémque: ſiquidem multiplicari ac dividi DEUM non poſſe, lumen omne rationis præter fidem etiam ipſam, demonſtrat evidenter. Audite oraculum Serapidis apud Suidam, multis ſeculis ante S. Joannem, datum Ægypti Regi nomine Thuli: cui quærenti, quis nam eo fortunatior, & potentior eſſet? Reſpondit ex idolo dœmon:

Πρῶτα Θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν ἀυτοῖς.

Primum Deus, deinde Verbum, & cum his Spiritus.

TEX-

TEXTUS QUINTUS,

Mattth. ult. Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

25. TEstimonium Sacro-Sanctæ & Individuæ Trinitatis produco breve; sed, ut equidem existimo, ad convincendos hostes, ad infigendam cordibus nostris Christianam hanc fidem & religionem, omnium facilè princeps. *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Protulit hæc verba Dominus post resurrectionem, in illa sua celebri apparitione, quam suis, ipso quo surrexerat die, non semel promisit. Angelus ad mulieres : *Dicite Discipulis ejus, quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis.* Mox Christus ipse ad easdem : *Ite nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt.* Math. 28. ℣. 7. & 10. Ergo abeuntibus *in Galilæam in montem ubi constituerat illis JESUS, locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hìc est finis Evangelii S. Matthæi, finis præceptorum à Domino Discipulis suis datorum: prædicaverat totâ Incarnationis suæ dispensatione mysterium Sanctissimæ Trinitatis; in eodem desinit, synopsi & compendio admirabili complectens illud, nec non signaculo characteréque baptismi, Ecclesiæ suæ universæ, fidem ejus, adorationem, commemorationem imprimens sempiternam. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* In nomine, inquit, non in nominibus; quia unum est nomen quod adoramus & invocamus, una virtus, una Deitas & Majestas trium Personarum Divinarum; unitas

summa

ſumma, nec alia inter eas diſtinctio, quàm quod una ſit Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus. *Unum nomen trium, denotat unam Sanctæ Trinitatis naturam*, ait Euthymius, & eſt vox unanimis Sanctorum Patrum. S. Ambroſ. l. 2. de Sacramentis c. 7. & Hieronymus in c. 4. ad Eph. notant in baptiſmo trinam fieri merſionem; & tamen non dici, in nominibus, ſed *in nomine*. S. Iſidorus l. 7. Etymol. c. 4. *Trinitas appellatur*, inquit, *quòd fiat totum unum ex quibusdam tribus; quaſi triunitas: nam cum tria ſint; unum ſunt.* Et S. Bonavent. in 1. Diſtinct. 24. *Trinitas dicitur; quaſi terunitas, vel trium unitas.* Unde adverſus Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, Concilia Generalia prima definiverunt, Patri, Filium & Spiritum Sanctum eſſe conſubſtantialem, id eſt homuſion vel homouſion. Pater non eſt Filius, nec Spiritus Sanctus; Filius non eſt Pater, nec Spiritus Sanctus; Spiritus Sanctus non eſt Pater, nec Filius; ſecùs non eſſet Trinitas: ſed Pater & Filius & Spiritus Sanctus una eadémque Deitas eſt, ſecùs non eſſet unus DEUS. Hoc igitur ineffabile Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium exprimi voluit clariſſimè in forma baptiſmi ſui Chriſtus Dominus; quod obſcurè adumbratum erat in lege antiqua; ne ſcilicet Judæi rudes crederent has tres Perſonas tres eſſe DEOS, plurésque more ſuo DEOS venerarentur.

26. *Baptizantes eos.* Potuítne cordi ſuorum inſculpere Diviniſſimam Trinitatem efficaciùs Dominus JESUS; quàm per hanc formam baptiſmi, quo primùm regenerantur omnes DEO, & inſeruntur corpori Dominico? quàm conſtituendo inprimis, ut niſi quis renatus ſit ex aqua & Spiritu S. non intret in Regnum cœlorum, ſive in Eccleſiam ſuam militantem ac triumphantem? deinde ut baptiſmus ille valere nequeat, niſi expreſſo apertè nomine trium Perſonarum Divinarum collatus? id quod in nullius alterius Sacramenti forma rigore pari requiritur. Quid eſt Antitrinitarii, quòd

vos

vos baptiſmum hunc, ſive in Chriſti ovile introitum, adeò exhorreatis; ut non ſolùm nullam illius ad ſalutem neceſſitatem, nullam vim & efficacitatem ad juſtificandum, cum pluribus aliis ſectariorum; verùm etiam, ubi audetis, vel eum perlibenter omittatis, vel ejus formam à Chriſto acceptam corrumpatis? Quid eſt quòd jam ſolum Patrem, jam nullam Perſonam Divinam, baptizantes exprimatis? malè vobis verba, & ritus à Chriſto demandatus, malè Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, phraſi Dominicâ invocatus, olent? In trium horum nomine baptizari, eſſe idem, ac Sacroſanctam Individuámque Trinitatem profiteri & adorare; atque in ea profeſſione ſitam eſſe fidem, religionem, nomen Chriſtianum, profectò animadvertitis. Arianorum veterum nonnulli baptizabant in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto: & cùm quidam eorum Epiſcopus, nomine Deuterius, ita baptizare voluiſſet; divino miraculo aquam continuò evanuiſſe ſcribit Nicephorus lib. 13. c. 35. Quare in Concilio 1. Arelatenſi, can. 8. jubentur Ariani cùm ad Eccleſiam redeunt interogari; ſub qua forma verborum à ſuis baptizati ſint? Multi quoque illorum Catholicos rebaptizabant, Auguſtino teſte lib. de hæres. c. 49. quaſi characterem in illis indelebilem, quo Patri, Filio, Spiritui Sancto, in hoc primo & initerabili Sacramento intiabantur, abolere volentes.

27. Dices, Apoſtolos baptizâſſe in nomine Chriſti; ùt colligitur Act. 8. & 10. 19. quod ſufficere videtur; quia quælibet Perſonarum Divinarum duas alias implicitè continet in ſe: Filius dicere poteſt, ego in Patre ac Spiritu Sancto, & in me illi. Reſpondeo, non defuiſſe aliquos Veterum è noſtris, qui ſic opinarentur; ſed Patrum cæterorum, & Pontificum Romanorum, & Conciliorum contradicente torrente: qui omnes tres exprimi diſertè in baptiſmi forma Perſonas, Dominum ſecuti, mandant; neque ratum eſſe illum, in nomine Domini, aut Chriſti datum, affirmant. Ita Canon. 49. Apo-

Apoſtolorum, damnans eos qui aliter agerent: ita Dionyſ. de Eccl. Hierar. c. 2. Juſtinus in Apol. 2. Origen. in cap. 6. Epiſt. ad Rom. Athanaſ. Baſil. Didymus, Nyſſenus, Chryſoſt. Nazianz. &c. è Latinis Tertull. Cyprian. Hilar. &c. quare nego Apoſtolos quoque baptizâſſe unquam aliter, quàm ab eorum diſcipulis, Clemente, Dionyſio, Juſtino, & his proximè ſuccedentibus Patribus acceperimus. Argumentum in contrarium adductum ex actis Apoſtolorum, ubi referuntur baptizâſſe in nomine JESU, diluitur egregiè narratione illâ, quam legimus Act. 19. Veniens Paulus Epheſum, & quosdam diſcipulorum inveniens, quærit ex illis. *Si Spiritum Sanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: ſed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati eſtis?* Hæc interogatio Pauli mirantis, quemadmodum ignorare potuerint Spiritum Sanctum ii, quos pro diſcipulis habitos, à Collegis ſuis, Chriſti baptiſmo fuiſſe initiatos exiſtimabat, indicat perſpicuè baptizare ſolitos Apoſtolos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: nam in Patris unius nomine nunquam fuiſſe datum baptiſmum, certum eſt. Sequitur in textu Act. 19. *qui dixerunt, in Joannis baptiſmate.* Concluditur hiſtoria: *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini JESU. Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus; venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Quid eſt igitur, *baptizati ſunt in nomine Domini JESU?* certè clarum eſt idem eſſe, ac baptizati ſunt, non Joannis baptiſmate, verùm *baptiſmo Chriſti, ſeu à Chriſto inſtituto.* Non hìc formam integram baptiſmi eorum, neque ſolo Chriſti nomine pronunciato baptizâſſe Apoſtolos, ſignificant allata verba; ſed, non Joannis nec ullius alterius, niſi à Chriſto inſtituto baptiſmo initiâſſe credentes. Idem Paulus Rom. 6. 3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto JESU; in morte ipſius baptizati ſumus:* Ergo (colligebant hæreticorum aliqui) formam baptiſmi pronunciandam eſſe iſtam: *baptizo in morte Chriſti.* Adeò vaniloquam

ſcriptu-

ſcripturarum parit interpretationem, authoritas & ſententia Eccleſiæ contempta! *In morte ipſius*, id eſt, in meritis mortis Chriſti; *baptizati ſumus in Chriſto JESU*, id eſt, baptiſmo eo, cujus author & legislator eſt Chriſtus JESUS. Plures Patrum vetuſtiſſimorum, loca Bibliorum quæ inter ſe pugnare videntur annotantes, afferunt & hæc de baptiſmo in nomine Chriſti verba; in concordiam ea, ſenſu præfato, reducentes. At quid in hoc moramur? adverſariis noſtris nullus eſt odioſior baptiſmus; quàm in Chriſti nomine. Præfigurare dignata eſt hanc baptiſmi Chriſtiani formam Sacro-Sancta Trinitas, in ipſo Chriſti baptiſmo; quo ille, corporis ſui divini lavatione, conſecrare in uſum hujus ſui Sacramenti principalis aquas voluit. Baptizato Domino, & vox Patris de cœlo audita eſt, & Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ viſus, & Filius qui baptizabatur adſtitit, ùt ſuprà meminimus: quaſi primo illo in exordio prædicationis ſuæ Chriſtus præmonſtrâſſet; quod in fine mandaturus erat: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.*

28. Jam verò tres has Perſonas, eſſe in hoc loco in unum nomen, à Chriſto colligatas; ô quàm certum clarúmque argumentum eſt, veræ uniuscujusque illarum & ejusdem Divinitatis! Num in ullius præterquam DEI altiſſimi nomine regenerari, juſtificari, conſecrari tantâ ſolennitate DEO poſſumus? Si Pater ſolus eſt verus DEUS; ut quid ejus nomini nomen purarum creaturarum (prout vos blasphemare, conſequenter loqui volentes, cogimini) nomen Filii, & Spiritûs Sancti adjungendum erat in primo Sacramentorum omnium? Quid eſt baptiſmus? *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos; ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Tit. 3. 5. *Dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea; ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ, in verbo vitæ &c.* Eph. 5. 26. id eſt, in forma baptiſmi nominéque Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. *Et hæc quidam fuiſtis;*

fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, & in Spiritu DEI noſtri. 1. Cor. 6. 11. Quid eſt baptiſmus? quo character indelebilis animabus imprimitur noſtris, ſervituti eorum quorum in nomine baptizamur, id eſt Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, nos in æternum devovens. Horum trium nomine, neque plurium neque pauciorum, mandavit oves ſuas Dominus noſter, dum in Eccleſiam ſive ovile ſuum intrant, obſignari; quò ab alienis internoſcerentur: quò ſemper & aſſiduè meminiſſent, ſe abrenunciâſſe diabolo, & omnibus pompis, operibúsque illius; ac Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti nomini uni Sacramentum æternum dixiſſe. *Soli DEO honor & gloria.* Majorémne aliquam habet in terra gloriam ex nobis altiſſimus, quàm ea ſit, quæ in hoc efflorescit baptiſmo? Qui gloriam ſuam alteri non dabit; an is hanc ſuam maximam Filio & Spiritui Sancto, ſi extra ſe forent, gloriam dediſſet? Circumciſionem præſcribens Abrahamo DEUS: *Hoc eſt*, ajebat, *pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos: circumcidetur ex vobis omne maſculinum; ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Gen. 17. 10. Idem DEUS inſtituens baptiſmum, circumciſione illâ veluti umbrâ figuratum, præcepit; ut baptizetur unusquisque noſtrûm, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti: ut hoc ſit ſignum novi ac multò præſtantioris fœderis inter DEUM & nos. Nullus in hoc fœdere alius intervenit, quàm DEUS, & nos: nomen igitur & Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, nomen eſt DEI; qui pactum hoc nobiſcum Chriſtianis in baptiſmo fecit. Accipite poſtremò locum elegantiſſimum Pauli, Ep. 1. ad Corinth. c. 1. & c. 3. Contentio erat inter eos gloriantes, quis cujus diſcipulus, à quo inſtructus in fide, ac baptizatus eſſet: *Unusquisque veſtrûm dicit: Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ, &c. Diviſus eſt Chriſtus? nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Gratias ago DEO,*

quòd

quòd neminem veſtrûm baptizavi, niſi Criſpum, & Cajum; ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis, &c. 1. Cor. 1. ℣. 12. Ergò in hominis nomine baptizari Chriſtianum, abſurdum ingens erat Apoſtolo Paulo. Infrà c. 3. in principio, eandem reſumens contentionem, *cùm enim quis dicat*, inquit: *Ego quidem ſum Pauli: alius autem, ego Apollo: nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? miniſtri ejus cui credidiſtis. Ego plantavi; Apollo rigavit: ſed DEUS incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid; neque qui rigat: ſed qui incrementum dat DEUS.* Plantaverat Eccleſiam Corinthiorum primus ibidem prædicans Paulus; rigaverant Apollo, & alii baptizantes: & hi omnes homines ac miniſtri erant: ſed DEUS incrementum dedit. Quis DEUS? cui crediderunt, in cujus nomine baptizati ſunt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Hi tres, unus DEUS juſtificavit eos; hujus virtute renati ſunt: hic *ſalvos fecit eos per aquam.* Subjungitur; *DEI ſumus adjutores; DEI agricultura eſtis, DEI ædificatio eſtis*: DEI nimirum illius incrementum dantis, in cujus nomine baptizati eſtis, nos adjutores ſumus; vos autem Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti DEI unius agricultura eſtis, ædificatio eſtis.

TEXTUS SEXTUS,

Finis Ep. ſecundæ ad Cor. plurimique ſimiles Textus, in quibus tres Perſonæ Divinæ, prout & in duobus proximè allatis, ita copulantur; ut clarè pateat nullam earum eſſe puram creaturam, ſed quamlibet unum & eundem DEUM.

29. EPiſtolam ſuam alteram Corinthiis ſcriptam, novâ & mirabili formâ benedicens illis, concludit S. Paulus. *Gratia Domini noſtri JESU Chriſti, & charitas DEI, & communicatio S. Spiritûs, ſit cum omnibus vobis. Amen.* 2. Cor. 13. 13. Nominat

minat Christum 1mò. sive Filium, cui gratiam; Patrem deinde, cui nomen DEUS & charitatem; Spiritum denique Sanctum, cui communicationem appropriat; cùm ille sit communio Patris & Filii: à quibus tribus Personis, & eorum invocato nomine benedictionem illis precatur. Unde manâsse crediderim solennem illum Sanctorum & Ecclesiæ usum; ut sermones, homilias, precationes suas ad DEUM fusas, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti nomine, invocatione, benedictione passim finirent. *Trinitatis*, inquit in hunc locum Ambrosius, *hæc complexio est, & unitas potestatis; quæ totius salutis perfectio est: dilectio enim DEI misit nobis Salvatorem JESUM; cujus gratiâ salvati sumus: & ut possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facit Spiritûs Sancti.* Sed & Patrum aliorum interpretatio communis, hîc Sanctam Trinitatem homousion prædicari testatur. Amens sit oportet Christianus ille; qui puram aliquam creaturam quâ benedicamur, immixtam huic precationi Apostolicæ suspicetur. Cur 1mo in loco Christum, in 2do DEUM Patrem, ponitur, in 3tio Spiritum Sanctum, contra morem ordinarium? vidésne quòd sit summa inter eos æqualitas? quòd consubstantiales sint? quòd & Filius & Spiritus Sanctus, idem ille DEUS unus, qui Pater? quòd ordo, aut prioritas & posterioritas naturæ, vel virtutis, inter eos nulla?

30. Eandem hanc Trinitatem jam explicitè, jam implicitè, quoties eodem modo componi legimus in libris utriusque fœderis? Hic ipse Apostolus, 1. Cor. 12. 4. *Divisiones verò gratiarum sunt; idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt; idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt; idem verò DEUS.* Hîc primo loco Spiritum Sanctum, secundo Filium, tertio Patrem ponit. 2. Thes. 3. 5. *Dominus autem dirigat corda vestra, in charitate DEI, & patientia Christi.* En iterum formula benedictionis in trium Personarum Divinarum nomine. Gal. 4. 6. *Misit DEUS Spiritum Filii sui in corda*

corda vestra clamantem: *Abba, Pater.* Ephes. 2. 18. *Quoniam per ipsum* (id est, Christum) *habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. Ambo*, id est gentiles & Judæi. Et infrà v. 22. *In quo & vos coædificamini in habitaculum DEI, in Spiritu. In quo* id est in *Christo.* In Plantinianis additur, in Spiritu *Sancto*: in græco sine dubio subauditur. Hebr. 9. 14. *Quantò magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO.* Rom. 15. 30. *Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum JESUM Christum, & per charitatem S. Spiritûs; ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad DEUM.* DEUM ultimò nominatum, esse Patrem admittetis libenter: Dominum nostrum JESUM Christum, & Spiritum Sanctum præmittit; per eos intercessionem fidelium pro se apud DEUM orans, tanquam Personas duas Divinas quæ apparuerunt mundo in forma visibili, nobísque sunt eo titulo notiores. Rom. 11. in fine, postquam exclamâsset; *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI!* subjicit: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula Amen.* Patrem, Filium, Spiritum Sanctum tribus illis præpositionibus repræsentari nec vos negare soletis; *unam* eorum DEitatem, unum idemque pronomen *ipse* cuilibet additum indicat: certè non nisi soli DEO altissimo gloriam hîc loci canit Apostolus; omnia quæ creata sunt, non nisi ex DEO, per DEUM, in DEO existunt. Hactenus S. Paulus: quid Apostolorum cæteri? Primam suam Epistolam S. Petrus sic orditur: *Petrus Apostolus JESU Christi, electis advenis dispersionis &c. secundùm præscientiam DEI Patris, in sanctificationem Spiritûs, in obedientiam & aspersionem sanguinis JESU Christi. Gratia vobis &c.* S. Judas v. 20 & 21. *Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione DEI servate, expectantes misericordiam Domini nostri JESU Christi in vitam æternam.* Quoties Christus ipse in Evangelio, se cum Patre ac Spiritu Sancto in hanc eandem senten-

tiam conjunxit? *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Joan. 14. 16. Et infrà ℣. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in Nomine meo.* Iterum infrà ℣. 28. *Vado & venio ad vos*: hoc eſt, vado ad Patrem, ùt expreſsè ſubjicit; & venio ad vos in Perſona Spiritûs Sancti quem mittam. Joan. 15. 26. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre?* Ibidem: *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perbibebit de me.* Joan. 16. 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet & annunciabit vobis*, Spiritus nimirum Paraclitus. En unitatem ineffabilem trium harum Perſonarum! Luc. 10. 21. *In ipſa hora exultavit Spiritu Sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater* &c. Math. 22. ſub finem: *ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens; Dixit Dominus Domino meo* &c. Pſ. 109. Spiritum illum nè fortè putes alium à Spiritu Sancto eſſe; audi Marcum eadem referentem: *Ipſe enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo &c.* Marc. 12. 36. Angelus ad Mariam. Luc. 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; ideóque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Joan. 20. ℣. 21. & 22. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum.* Joan. 4. 23. *Venit hora, & nunc eſt; quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & Veritate*: id eſt, ut S. Athanaſ. Ep. ad Serapionem, & alii plures explicant myſticè; adorabunt Patrem in Filio & Spiritu Sancto, adorabunt DEUM trinum & unum. Apocalypſim accipiens à Spiritu Sancto in exilio ſuo Joannes: *Ego* inquit *in Inſula quæ appellatur Pathmos, propter Verbum DEI, & teſtimonium JESU, fui in Spiritu in Dominica die &c.* Apoc. 1. ℣. 9. & 10. *Gratias vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* ibid. ℣. 4. Rurſum ℣. 8. *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus DEUS qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Quatuor animalia die ac noctu absque requie dicunt Apoc. 4. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus*

Dominus DEUS omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Has ultimas unius verbi *ſum* inflexiones diverſas, térque in allatis textibus repetitas, varii variè accommodant Divinæ Trinitati.

31. Hoc idem quamvìs tectiùs & in ſenſu myſtico fieri obſervare potes in veteri quoque teſtamento. *Emittet Verbum ſuum, & liquefaciet ea; flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ.* Pſ. 147. In emittente Patrem, in Verbo Filium, in flante Spiritum Sanctum contemplare. *Verbo Domini cœli firmati ſunt; & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Pſal. 32. 6. *Benedicat nos DEUS, DEUS noſter, benedicat nos DEUS, & metuant eum omnes fines terræ.* Pſ. 66. Ter nomen DEUS repetitum, inſinuat hîc myſterium ſacro-ſanctæ Trinitatis, ut ajunt interpretes Sancti. O quàm aptè Filius vocatur *DEUS noſter!* Huc etiam referri poſſent plura ſimilia in Pſalmis; exempli causâ. Pſ. 47. ℣. 15. *Quoniam hic eſt DEUS; DEUS noſter in æternum & in ſeculum ſeculi: ipſe reget nos in ſecula.* Ubi τὸ *ipſe* ad nomen DEI bis antecedens relatum, quàm bellè Spiritum Sanctum à Patre Filióque procedentem repræſentat! *Ipſe creavit illam in Spiritu Sancto*, Eccl. 1. 9. *Creavit*, id eſt, *genuit*, ùt jam alibi dictum: *illam*, id eſt Sapientiam ſeu Filium: *in Spiritu Sancto*, id eſt, cum Spiritu Sancto; cujus etiam primus fons eſt Pater, à quo Filius accepit omnia quæ Patris erant, conſequenter & virtutem ſpirandi unà cum Patre Spiritum Sanctum. Iſa. 48. 16. *Nunc Dominus DEUS miſit me, & Spiritus ejus.* Quæ licèt verba in ſenſu literali de ſe Propheta dicat; in ſenſu tamen myſtico plurimi vetuſtiſſimorum Patrum ajunt illis ſignificari Filium DEI quà hominem à Sanctiſſima Trinitate miſſum ad noſtram redemptionem. *Si autem dicant* inquit S. Anſelmus l. de proceſſ. Spiritûs Sancti, *quia Spiritus Sanctus mittit etiam Filium; ſicut idem ipſe dicit per Prophetam: Et nunc Dominus &c. hoc ſecundùm hominem quem gerebat intelligendum eſt; quia Patris & Spiritûs Sancti unâ voluntate & diſpo-*

ſitione mundum redempturus, mundo apparuit. Nomen ſuum Tetragrammaton revelans DEUS Moyſi, ſic illud exprimit. Ex. 3. 14. *Ego ſum, qui ſum, ſic dices Filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos. Ego ſum* allegoricè Patrem, *qui ſum* Filium, *qui eſt* Spiritum Sanctum denotat. Pariter etiam *DEUS Abraham, DEUS Iſac, DEUS Jacob*, ibidem ac ſæpiùs aliàs repetitâ phraſi. Iſ. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Patri, Filio, Spiritui Sancto triſagion accini novimus. Jeremias *AAA. Domine DEUS!* Jer. 1. 6. item 14. 13. Ezechiel c. 4. ℣. 14. item c. 20. ℣. 49. Joël. c. 1. ℣. 15. exclamat: In qua ter repetita una litera tres Divinas Perſonas unum DEUM, ſymbolicè non pauci conſiderant: quod poteſt etiam in tribus *Væ* attendi Apoc. 8. 13. *Væ, væ, væ, habitantibus in terra:* quaſi à Patre, à Filio, à Spiritu Sancto annunciaretur væ terræ filiis. Plura non affero.

TEXTUS SEPTIMUS,

Mattth. 16. Quiſnam ſit dicendus eſſe Chriſtus?

32. ADjicimus hactenus productis duo clariſſima teſtimonia, jam quidem ſæpiùs, nunquam tamen ſatis celebrata. *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Interogat ſuos Chriſtus. Adverte 1mò. Non quæri qualem dicunt; ſed *quem*: non ergo ſcire vult, quàm juſtum & Sanctum, quàm thaumaturgum, ſe putent homines? ſed *quem*: non de qualitate; ſed aliqua ſubſtantia ſua, quæ non pateat, procedit hæc ipſius quæſtio. Quod etiam reſponſum Apoſtolorum videtur indicare: *At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Herodes auditis Domini prodigiis dicebat Marc. 6. 14. *Quia Joannes Baptiſta reſurrexit à mortuis; & propterea virtutes operantur*

in

in illo. Alii autem dicebant, quia Elias est. Alii verò dicebant, quia Propheta est, quasi unus ex Prophetis. Quò audito Herodes ait: quem ego decollavi Joanem, hìc à mortuis resurrexit. 2dò. Adverte Filium se hominis atque hominem esse verum, non hîc negari à Christo; quin potiùs disertè affirmari: Verùm interrogari, num præter hoc quòd Filius hominis sit, & homo verus; aliquid aliud præterea sit in se quod cadere in hominem merum non potest: num sit Filius tantùm hominis & non alicujus etiam homine majoris? quòd manifestè liquet ex sequenti Petri responso; ut & ex interogatione simillima Domini proximè secutura, quàm Pharisæis proposuit: *quid vobis videtur de Christo? cujus Filius est?* Utrum nempè David tantummodo? an non etiam alteriùs alicujus Davide præstantioris? Hominum de se judiciis humanæ prudentiæ congruentibus auditis, transit ad quæstionem alteram, cujus gratiâ præmiserat istam: *Vos autem quem me esse dicitis?* Vos quibus notior sum, vos qui estis à me præ cæteris illuminati, & eruditi, quem esse me creditis? Acutè Chrysostomus: *hâc* inquit *secundâ interogatione monuit Dominus Discipulos; ut majora de ipso cogitarent. Ipso enim interogandi modo ostendit illas vulgares opiniones multùm à sua dignitate abesse? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius DEI vivi.* O admirandam confessionem! Filius non adoptivus, quales sunt & hominum filii, & fuerunt omnes Sancti Prophetæ; sed naturalis, qui vivit secundùm naturam suam ex DEO vivo, ut ex Patre suo, generatione illius naturali: Filius non per gratiam merè adoptatus à DEO Sanctificatore suo, posteaquam creatus jam & natus sit in mundum; sed ipsâ suâ nativitate consecratus ab æterno, & vitâ vivens divinâ. In græco additur articulus, significans non Filium communem, sed *Unicum* illum qui Patri est consubstantialis, ut ajunt Interpretes. *Sicut misit me vivens Pater; & ego vivo propter Patrem.* Joan. 6. 58. præmiserat Joan. 5. 26. clariùs: *Sicut Pater habet vitam in semetipso;*

metipſo; ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo. Si parem, atque adeò eandem habet vitam Filius, quàm Pater; parem eandémque neceſsè eſt habeat divinitatem. *Reſpondens autem JESUS dixit ei: Beatus es Simon Bar jona! quia caro & ſanguis non revelavit tibi; ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Fuit igitur hæc Petri confeſſio & reſponſio, myſterium tantum; ut de illo dixerit ad Patrem Dominus: *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus; & revelâſti ea parvulis.* Math. 11. 25. Et mox v. 27. *Nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Fuit hæc confeſſio tam digna Chriſto, tam divina & non humana, tam extraordinaria & inaudita; ut propter illam Petrus ab eo Præpoſitus Eccleſiæ ſuæ univerſæ, primáque petra & fundamentum poſt Dominum fuerit conſtitutus: clavibus ei Regni Cœlorum ſummâ cum poteſtate commiſſis. O dementem! ô veſanum! qui ſomniare auſit, nihil hîc aliud à Petro de Magiſtro ſuo fuiſſe promulgatum, quàm quod adverſarii nunc noſtri, quod homines tum de illo ſentiebant! quàm quod caro & ſanguis, quod humana ſapientia intelligere poterat; eſſe ſcilicet eum unum è Prophetis, è Sanctis, è Filiis DEI adoptivis, eſſe puram creaturam DEO præ omnibus reliquis acceptam.

33. Sed pergamus cum S. Mathæo. *Tunc præcepit diſcipulis ſuis; ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet JESUS Chriſtus:* id eſt, Filius DEI vivi; & homo ille, qui per unionem hypoſtaticam cum DEO, unctus eſſet in Filium DEI, verúsque DEUS. Hoc myſterium prædicari voluit per ſe in vita ſua tota Dominus, non per ſuos: nondum venerat hora ejus; nondum erat exaltatus in cruce: nondum Spiritus Sanctus miſſus; cujus virtute Apoſtoli poſteà fidem hanc mundo inſeverunt. *Exinde cœpit JESUS oſtendere Diſcipulis ſuis; quia oporteret eum ire Jeroſolymam, & multa pati à Senioribus & ſcribis & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere. Et aſſumens eum Petrus cœpit inerepare illum dicens: Abſit à te Domine,*

non

non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro: Vade post me satana: scandalum es mihi; quia non sapis ea quæ DEI sunt, sed ea quæ hominum &c. O æternâ sapientiâ dignam connexionem horum, cum iis quæ præcesserunt! Nihil ita turbavit hominum mentes, ita scandalizat gentiles, nostrósque Christomachos, ne credere velint post infinita testimonia, Christum esse verum DEUM Deique Filium; ut hoc ipsum, quòd passus mortuúsque sit ille pro nobis. En Dominus cum declaratione maxima Divinæ suæ Majestatis conjungit prædictionem passionis mortísque suæ! ut fideles crederent firmâ fide utrumque; tam quòd is verus DEUS, quàm quòd homo pro nobis mortuus esset. Petrum eundem, qui primus modò confessus erat solenniter, ex revelatione Patris, Divinitatem ipsius; humanum permittit in affectum labi, tametsi ex amore Magistri optimóque animo profectum: ut in illo suorum omnium Principe, sed adhuc rudi & imbecillo, doceret Ecclesiam suam mundúmque universum. *Vade post me satana!* Vocat eum hoc nomine, tanquam adversarium in hac re suum, sibíque ùt ùt innocenter adversantem: *scandalum es mihi*; sive, *offendiculo es mihi*, ut habet Syrus: *quia non sapis ea quæ DEI sunt, sed ea quæ hominum.* Ergo quicunque DEUM carne nostrâ vestitum, dedecere putatis, ut in ea patiatur & moriatur; non sapitis ea quæ DEI (qui Christus est) sed quæ sunt hominum. Hunc omnem locum, paritérque illum qui sequitur, pensiculatè relegendum, & animo vaniloquiis vestris non præoccupato meditandum, vobis adversarii, etiam atque etiam commendo.

TEXTUS OCTAVUS,

Math. 22. sub finem Mar. 12. 35. Luc. 20. 41.

34. IN priore Discipulos suos instruebat; in hoc loco, argumento in eodem, inimicos Judæorúmque sapientes,

fortiſſimè ac feliciſſimè convicit Chriſtus JESUS. *Congregatis autem Phariſæis, interogavit eos JESUS dicens: Quid vobis videtur de Chriſto; cujus Filius eſt? Dicunt ei: David. ait illis: Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum dicens? Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum: neque auſus fuit quisquam ex illa die, eum ampliùs interogare.* Ita Mathæus. Proponitur hæc à Chriſto quæſtio in templo (ut patet ex Marco) docente; proponitur Phariſæis, ad eum tentandum & capiendum in ſermone, congregatis: proponitur non de ſe ipſo expreſsè; at præcisè de illo, quem ſemper ſcrutabantur in Bibliis, quem celebrabant & expectabant omnes, Chriſto. Nihil erat iis certius; quàm venturum ex ſemine David Chriſtum: quærit itaque Dominus: cujus Filius eſt ille? Reſpondent, *David.* Hoc JESUS non negavit; qui toties ſe Filium David, quoties Filium hominis (ſive Virginis MARIÆ *de domo & familia David*) prædicabat: eo tamen reſponſo minimè contentus, objicit illis initium Pſalmi 109. verba Davidis, Chriſtum non Filium, ſed Dominum ſuum appellantis. *Si David vocat eum Dominum*, ait, *quomodo Filius ejus eſt?* Tantopere ad hoc tonitru attonita facta eſt Judæa tota; ut nec verbum potuerint ei reſpondere, nec ampliùs poſthac quidquam eum interogare auſus eſt ullus Judæorum perfidorum. S. Hieronymus: *Qui ad tentandum* inquit, *JESUM fuerant congregati, & veritatem fraudulentâ interrogatione carpere nitebantur; occaſionem præbuerunt confutationis ſuæ.* Hæc Domini argumentatio, æquè ferit vos, Adverſarii, ac feriebat Phariſæos: illi obmuteſcunt ad eam pudore ſuffuſi; vobis blaterare contra, in promptu eſt? illos ut inſolubilis convicit; quamvis non converterit obduratos: vos, qui Chriſtiani audire vultis, non convincet, neque convertet Chriſtus JESUS Patris Sapientia? num verum ſit id, quod

non

non modò asseruit, sed etiam contradicentes, ad assentiendum silentio ipsorum constrinxit, vos non verebimini summa cum perfidia examinare? Attendite; si absolutè vultis (per me licèt) Pharisæorum & Judæorum cor[illegible] Christum partes defendite, nullam aliam Christi fuisse generationem, præterquam humanam ex semine David. Non equidem hîc vobiscum ex Psalmo adducto pugnabo; id mox seorsim acturus: nunc in Evangelio & sola Domini disputatione persistam. Cujus Filius est Christus? interrogamini; vos cum Judæis respondetis; David: quæro ego cum Domino, tantúmne? Judæi nihil ad hoc respondent; se nihil pro sua prudentia respondere posse optimè advertentes: vos iis audaciores, an ad blasphemandum, impudentérque (ut leviſſimè dicam) repugnandum furiosiores, respondetis. Quid igitur dicitis? excœcatos, ajitis, fuisse Pharisæos, non animadvertentes responderi oportuisse, Messiam Filium etiam esse DEI, sed tantummodo adoptivum, & non naturalem. Siccine? At Pharisæi erant sinè dubio excæcati, quòd eum, quem, ex argumento proposito, Filium DEI verum Dominúmque suum agnoscere debuerunt, non adoraverunt; sed non erant sic excæcati, ut quæstionem Christi, & vim totius argumenti non intellexerint: ut saltèm post aliquod temporis spatium, non iis occurrere potuerit; si valuisset aliquid hæc vestra facillima, & inutilis responsio. Taliter fures, adulteri, latrones, excæcantur; quamvis perquam bene intelligant scelerum illorum suorum pravitatem. Cujus sit verè ac secundùm naturam, *Filius* Christus? quærebatur hîc à Domino, & respondebatur à Pharisæis; non autem, à quonam sit adoptatus in filium, non de gratia, donisque illius cæleſtibus, sed de ortu ac Patre disputabatur: esse aliquam generationem ejus, secundùm quam non sit Filius David, contendebat Christus: *Si David vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est?* Urgebat veritas illa, quæ nec falli, nec fallere potest. Ergo-

evidentiſſimum eſt, quod perſuadere Judæis voluerit Meſſiam, ſecundùm aliquam ſuam præſtantiorem *naturam*, Davidis non *Filium*, ſed eſſe *Dominum* : evidentiſſimum eſt, ne otioſa futilísque reddatur argumentatio Chriſti, eum de tali dominatu Meſſiæ ſuper Davidem eſſe locutum; qui cum ratione Filii David componi per ſe non poterat; dominatu ſcilicet *naturali*, quem haberet ut *natus* de Patre, Davidis *Domino*. Niſi vos hanc illius nativitatem primam & æternam confitemini, eſt impoſſibile prorsùs, ut in hoc argumento blasphemiam horrendam adversùs Chriſtum Dominum, ejúsque ſapientiam Divinam evadatis. Phariſæos unica Pſalmi citati authoritas videtur compeſcuiſſe; ne quidquam reponerent, ne loquerentur ea, quæ pejora forent ſilentio; vos nec Propheta, nec verbis ejus diſputans Dominus, continere poteſt à vanis, & inſipientibus & blaſphemis reſponſis.

35. Depromite igitur illa. 1mò. Ajunt, poſſe Davidis eſſe *Dominum*, etiam ſi purus homo, Filiúsque Davidis unicè ſit Meſſias. At Chriſtus probat non poſſe; quia Patris tui, cum quo ejusdem in natura ſpeciei ſis oportet, filius eſſe ſimul & *naturalis Dominus* nequis. Hæc ratio eſt & per ſe certiſſima; & ad vos blaſphemiæ convincendos ſatìs eſt, eam à Domino eſſe theſi ſuæ confirmandæ præfixam. Ajitis 2dò. Filios in ſanctitate, poteſtate, majeſtate, parentibus ſuis ſæpiùs ſuperiores, ipſorúmque *Dominos* fuiſſe; quod exemplis tum librorum ſacrorum, tum politicis patere dicitis. At hoc nihil facit ad rem præſentem, ubi non de adventitia & accidentali dignitate Filii ſuper Patrem, ſed naturali & ſubſtantiali agebatur. Nam ſecùs veſtrum hoc novitium commentum toti mundo notiſſimum, ſtipes ſit, qui credat, Phariſæis ad explodendum Chriſti argumentum in mentem haud veniſſe; impius ſit, qui credat, Chriſtum ſolennem eam quæſtionem, in templo, doctiſſimis hoſtium ſuorum propoſiturum fuiſſe; ſi tam facili reſponſo elidi potuiſſet: ſi David non

de

de alia *naturali*, & myſterii maximi *Majeſtate* Meſſiæ locutus fuiſſet, à Phariſæis meliùs quàm à vobis intellectus. Ajitis 3tiò. Davidem in præfato Pſalmo non habuiſſe ad literam de Chriſto ſermonem; neque illum ab eo *Dominum* unquam ſuum appellatum. At hic eſt vertex falſitatis, impietatis, blasphemiæ veſtræ tantus, ut reſponſum, quo Chriſti argumentationem defendamus, nullum mereatur. Plura de hoc in proximè dicendis allaturi ſumus. Nunc ſi Domini veritatem hanc propugnatis, quò minùs ei contradicatis, authoritate non coërcemini; peto, ex albo vos Chriſtianorum excernite. Diſputemus vobiscum ùt cum Judæis, vel Ethnicis, non ùt cum Chriſtianis.

TEXTUS NONUS,
Pſalmus hic ipſe 109.

36. ERgo veniamus ad illud, quo Chriſtus Majeſtatem ſuam Divinam probans, ora Judæorum in perpetuum obſtruxit, Prophetæ Regii teſtimonium. Negas hunc Pſalmum loqui de Chriſto? non auſi ſunt id negare Domino Phariſæi, fundamentum omne diſputationis ſuæ in eo conſtituenti. Chriſtiano eſt id impium inficiari; qui credere debet Chriſto, Math. 22. Pſalmum de ſe clariſſimè interpretanti: qui credere debet Paulo 1. Cor. 15. 25. Hebr. 10. 13. item 7. v. 12. & ſequ. explicanti eundem de Domino: qui credere debet primæ illi & celeberrimæ concioni S. Petri; quâ compuncti corde baptizati ſunt circiter 3 millia, primitiæ Spiritûs Sancti, & Apoſtolorum. Act. 2. *Hunc JESUM reſuſcitavit DEUS, cujus omnes nos teſtes ſumus. Dexterâ igitur DEI exaltatus, & promiſſione Spiritûs Sancti acceptâ à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis. Non enim David aſcendit in cœlum; Dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Certiſſi-

Certissimè sciat ergo omnis domus Israël; quia & Dominum eum, & Christum fecit DEUS, hunc JESUM quem vos crucifixistis. Quòd si Christum, de quo totus est, non in sensu literali tractaret Psalmus ille; an verò in solennissima illa sua disputatione Dominus ipse? an Petrus die, quo repleti sunt omnes Spiritu Sancto, concionans, adeò fidenter Psalmum illum de Christo allegâsset; ut deductum inde argumentum suum pronunciâsset certissimum? Quem igitur, cedò, narrat ibi ad literam David; si non Filium suum secundùm *carnem*, Dominúmque suum secundùm *Deitatem* Christum JESUM narrat? Cui Domino Davidis dixit ea Dominus DEUS, quæ in Psalmo toto decantantur? Rabbinorum alii Abrahamo, inquiunt, ùt Hieronymus in Matthæum testis est: alii Ezechiæ, testibus Justino in Dial. contra Triphonem. Tertulliano in lib. cont. Marcionem. Ergo Abraham, aut Ezechias, aut aliquis purus homo, sedet ad dexteram DEI? est à DEO ante Luciferum genitus? fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, juramento DEI? judicabit gentes? implebit ruinas cœli Electis suis? conquassabit capita in terra multorum? id est, damnatorum in orco? Rabbini, *cæci sunt & Duces cæcorum*; *cæcus autem si cæco* (v.g. Adversariis nostris) *ducatum præstet*; *ambo in foveam cadunt.* Math. 15. 14. At, inquis, à Christo Math. 22. dictum: *David in Spiritu vocat eum Dominum*: ergò in sensu tantum *spirituali*, & non *literali.* Respondeo, Marc. 12. 36. id sic exponi: *Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto:* Quæ futura nempe didicerat à Spiritu Sancto, narrari ab eo de Christo, tanquam præterita. Inquis 2dò. *Dixit Dominus*, in hebræo esse Nomen DEI *Tetragrammaton*, sive quatuor literarum? quod soli DEO altissimo conveniat: *Domino meo autem*, in hebræo poni *Adonai*; quod nomen propriè Dominum significat, potéstque Dominis aliis extra DEUM verum etiam applicari. Respondeo; non quæri qualinam Domino possit absolutè applicari per se; sed quali & cui sit à David, à Christo,

Christo, ab Apostolis, in locis allatis nomen *Adonai* applicatum. *Dixit Dominus*, de DEO Patre intellexerat; & nomen ei Tetragrammaton tribuerat. *Domino meo* intellexit de Christo JESU, cujus incarnandi mysteria viderat in Spiritu Sancto; & huic tribuit nomen de DEO pronunciari solitum, in loco nominis ineffabilis, nomen scilicet *Adonai*, sive *Domini*: utrumque autem nomen illud septuaginta, more suo vertunt, *Dominus*. Cur porrò non repetatur in loco secundo nomen DEI proprium Tetragrammaton in hebræo; non est ratio (inquit in hunc Psalmum Doctissimus Bellarminus) quia Filius non sit verus DEUS æqualis Patri; quod Ariani contendebant; sed quia isthic non agitur de Filio DEI simpliciter, verùm de Filio DEI Incarnato & minorato. Unde Christus, quando cum Patre suo simul nominatur in scripturis Evangelicis, passim appellatur *Dominus*, Pater verò ad distinctionem, *DEUS*; ut perspicuum est ex illo 1. Cor. 8. *Nobis unus DEUS, Pater, & unus Dominus JESUS Christus*: Ex 2. Cor. 1. 2. Eph. 6. 23. & aliis textibus pluribus; postque illos, ex Symbolo Apostolorum, nomen DEI convenit Christo solùm propter *Divinitatem* suam; nomen autem *Domini* propter utrámque naturam *Divinam*, & *humanam* Divinitati unitam. Itaque si nomen suô idem David & Patri & Filio dedisset; suspicari potuissemus loqui Patrem Filio tantùm, ut est ille *DEUS*, & non, ut est etiam *homo*: cùm tamen jam eum *DEUM* ante Luciferum *genitum*; jam hominem divinum sessurum ad dexteram Patris, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, Judicem vivorum & mortuorum, exaltaturum caput (quia humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis) Psalmus describat.

37. Verba sunt illius singula meditatione dignissima. Unicum breviter expendamus. *Ex utero ante luciferum genui te.* Redditur his à Patre prima & æterna ratio virtutis, Majestatísque Divinæ in Filio. *Ex utero*: non *ex nihilo* (ùt

res

res creatas, non ùt cœlum & terram, Angelos & homines creavi) ſed ex *utero*, id eſt, *eſſentia mea* infinitè fœcunda genui te: juxta illud: *Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Iſ. ult. Divinæ generationi reſpondet uterus divinus. *Ex utero genui*: ergo Filius eſt *naturalis*, & quia *natura* multiplicari Divina nequit, eſt *conſubſtantialis*, eſt, *homouſios* Patri generanti. *Ante luciferum*: hoc eſt ante luciferi creationem, qua una in ſtella intelligit, per ſynecdochen, omnes: quaſi diceret, ante ſtellas, ſolem, lucémque primigeniam primo die conditam, *genui te* lucem veram, & lumen æternum. *Genui te*, nullúmque alium uteri ſive ſubſtantiæ meæ verum Filium. *Dominus poſſedit, genuítque te, antequam quidquam faceret: ab æterno ordinatus es. Nondum erant abyſſi, & tu jam conceptus eras.* Proverb. 8. *Ex ore Altiſſimi prodiviſti primogenitus ante omnem creaturam.* Eccl. 24. Uterus Verbi à Patre dicti, ſeu geniti, eſt illud ipſum os Altiſſimi, ſive ſapientia infinita & infinitè fœcunda DEI. Hæc eſt communiſſima Patrum hujus loci expoſitio: unde illi probant efficaciſſimè Divinitatem Chriſti. Addunt, non nego, aliqui (ut Auguſtinus, Tertullianus, &c.) aliam quoque verborum eorundem interpretationem de temporali Nativitate Chriſti; quaſi dixiſſet David: Ex utero Mariæ Virginis Filiæ meæ genui te, ante luciferum, hoc eſt mediâ nocte: ſcriptum enim eſt, *cùm enim quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet; omnipotens ſermo tuus, Domine, exiliens de cœlo à regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram, proſiluit.* Sap. 18. 14. Sed hæc explicatio non eſt principalis; verùm ut vocare ſolemus, accommodatitia: nam juxta eam Meſſias fuiſſet tantùm Filius Davidis; quod tamen Chriſtus ex hoc loco impugnabat: *Si David vocat eum Dominum; quomodo Filius ejus eſt?*

TEX-

TEXTUS DECIMUS.

Pſalmi 2di v. potiſſimum ſeptimus.

38. PSalmus hic etiam totus eſt ad literam de Chriſto de Regno ejus, & victoriis ſuper inimicos ſuos: quod nec Judæi negant, teſte Gabatino l. 3. c. 7. neque Paulus ſcribens contra ipſos citâſſet eum; niſi ſciviſſèt ſic illum intelligere ſolitos. Scrutemur verſum illius ſeptimum: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* A Patre id Filio dici primùm de Nativitate illius æterna, DEI de DEO, Luminis de lumine, conſtat ex Apoſtolo ad Hebr. 1. v. 4. 5. Dici 2^dò. de nativitate temporali ejuſdem cenſent plures Sanctorum Patrum; & colligimus ex introitu Miſſæ nocte Natalis Domini. Dici 3^tiò. de Reſurrectione illius; ùt apertè legimus Act. 13. 33. Hinc omnes has expoſitiones eſſe *literales* credunt multi viri doctiſſimi: Spiritus enim Sanctus verbo uno plura ſenſu à ſe intento, non rarò dicit. Primam nihilominus eſſe principalem interpretationem, & fundamentum reliquarum, eſt certiſſimum: in qua nobis quoque potiſſimùm eſt hærendum. *Hodie*, quadrat præcipuè in durationem æternitatis; quæ ſemper eſt præſens, initio ac fine, paritérque præterito ac futuro propriè ſumpto carens: in ea una generatione Filii ſui Pater verè ſolus dicere poteſt; *ego genui te*: nam in humanitatis Chriſti nativitate, Mater ejus, in ejuſdem Reſurrectione, Filius etiam & Spiritus Sanctus dicere potuit, *genui*, ſive regeneravi *te* ſive carnem tuam: in ea ſola generatione prima genuit Pater te ô Fili DEI! quoad Perſonam tuam naturámque intimam, & non quoad aliquid tibi poſtea per unionem adveniens, puta quoad carnem tuam: quia DEUM purum de DEO puro genuit. Paulus modo citatus textum eum in hanc eandem ſententiam explicat. Probans etenim Hebræis ſuis Chriſtum eſſe

præſtantiorem Angelis; *Tantò melior* ait *Angelis effectus; quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit, aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? & rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium?* Illud ex Pſalmo præſenti, & hoc ex 2. Reg. 7. 14. de Chriſto citans, Ubi Apoſtolus non potuit loqui de generatione aliqua Filii DEI creata; quia per productionem creatam dicuntur Angeli quoque filii DEI: ùt certum eſt ex Job. c. 1. v. 6. &c. 2. v. 1. &c. Ergo intelligendus eſt loqui neceſſariò de generatione Filii divina, increata, naturali; ſecundum quam ſolam potuit is, illud propriè *nomen hæreditare*: ſecundùm quam ſolam potuit ei Pater v. 8. dicere: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Nota præterea, in v. 12. Pſalmi ejuſdem verba illa, *Aprehendite diſciplinam*, in Hebræo fonte ita legi: *Oſculamini Filium*, vel *adorate Filium.* Septuaginta, quòd ſenſum magìs quam verba ſpectantes verterint, *apprehendite diſciplinam*; ratio eſſe poteſt, quia tunc re factóque ipſo adoramus Chriſtum; cum ejus doctrinam apprehendimus & ſequimur. *Ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ juſtâ*: In Hebræo ה *Dominus* & *juſta*, omittitur; adeoque ad eum qui præceſſit Filium continenter hæc referuntur: uti & quod ſequitur: *Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.* Ira Judicis venturi, eſt, ſinè omni controverſia, Filii; ex quo ſuo munere verus Meſſias eſſe facile demonſtratur. Nomine DEUS ſit altiſſimus neceſsè eſt; qui à Regibus judicantibus terram, adorandus? qui timendus & amandus Dominus eſt, ne pereamus? in quo qui confidunt, beati ſunt.

TEX-

TEXTUS UNDECIMUS.

Joannis 10. 30. *Ego & Pater unum ſumus.*

39. ESt incredibile, quemadmodum triumphent hoc documento Patres omnes, Filium Patri conſubſtantialem docere volentes. Unde mirari ſatis non potui aliquando unum alterúmque Fidelium, qui auditis Adverſariorum reſponſis, verba Chriſti præfata non ita ut par erat obſervantes, minùs huic teſtimonio viſi ſint fidere. Ad omnia illi quæcunque objecimus reſpondere aliquid ſolent, Judæis multò impudentiores; ſed quæ dicunt, ſunt certè reſponſa non reſponſa; ſunt, ſi examinentur accuratiùs, otioſa, ſunt pro majeſtate argumenti omnia blaſphema. *Ego & Pater meus unum ſumus*, inquiunt, affectûs & voluntatis concordiâ; non verò *eſſentiæ* ac naturæ unitate. Confirmant ex eo, quòd Joan. 17. 21. Orat Chriſtus Patrem pro ſuis: *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te; ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego charitatem quam dediſti mihi dedi eis: ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Credimúsne Chriſtiani, Sapientiſſimis olim Patribus noſtris iſta & reliqua cuncta quæ reſpondent hi nobis, non fuiſſe optimè perſpecta? Cur igitur exultant in teſtimonio præfato tantopere, ut ſi nihil adverſus illud poſſet afferri? Tela quæ verberantur quidem, ſed hoſtium ictu nullo læduntur, haud abjicienda; verum magno potiùs ſtudio retinenda, & identidem vibranda ſunt. Ergo perſcrutemur, utrum ſe Patrémque ſuum, unum eſſe conſenſione tantum voluntatis, ùt Chriſtomachi putant, an verò eſſentiæ ac naturæ unitate, ut ſemper crediderunt Patres, hîc intellexerit Chriſtus. Nam quod objiciunt, *ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus*; prorſus illos non juvat: ſiquidem alia inter Filium DEI & Patrem, alia Chriſtianorum hominúmque purorum inter ſe unio intelligi ac conſide-

ſiderari debeat. Alia Perſonarum divinarum; alia creaturarum concordia & unitas eſt. Revocemus in memoriam dictum ſapiens Innocentii III. in Concilio Lateranenſi cujus paulò ante meminimus: *Inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos major ſit diſſimilitudo notanda.* Particula illa, *ſicut & nos unum ſumus*, aliquam fateor, ſed crebriùs non omnimodam ſimilitudinem denotat; ut Athanaſius etiam, Cyrillus, Chryſoſt. &c. hoc in loco notârunt: & Enyedinus ipſe conatus eſt hac ratione ſe defendere contra verbum alterum Domini ſibi objectum: *ut omnes honorificent Filium, ſicut & honorificant Patrem.* In textu igitur præſenti quærendum, perfectámne ſignificet *ſicut* ſimilitudinem; an imperfectam, & cum majore diſſimilitudine conjunctam? tu dicis perfectam; ut Filium in ordinem creaturarum redigas. Ego dico, ſi de Chriſto ut homine, déque natura ipſius humana, ſecundùm quam orabat ibi Patrem, ſit ſermo: poſſe aliquando dici perfectam: nam Chriſti, *ùt hominis* voluntas non potuit unitate naturali eſſe una cum Patris voluntate; ſicut nec noſtra invicem voluntas, poteſt eſſe abſolutè una. Sin autem loquamur de Chriſto *ut Filio DEI*, DEóque de DEO genito; qualiter dixerat, *Ego & Pater unum ſumus*: tunc certiſſimum eſt, quòd inter DEUM & DEUM duaſque Perſonas divinas, nequeat alia eſſe unitas, quàm conveniens DEO, id eſt, unitas eſſentiæ ac naturæ: nihil etenim in DEO, per gratiam & per accidens quaſi adveniens, ineſſe poteſt; ſed quidquid in eo eſt, eſt identificatum & eſſentiale illi. Aliter proinde ſumus nos inter nos unum Joan. 17. aliter Filius & Pater unum ſunt Joan. 10. Quid evidentiùs? Attende obſecro Dominicam Orationem Joan. 17. recitatam: *Sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipſi in nobis unum ſint.* Duplicem hîc ajo claſſem Perſonarum induci, divinam primo, & increatam Patris ac Filii; deinde creatam diſcipulorum

rum pro quibus orat: colligo id ex his ipsis verbis perspicuè, *ut & ipsi in nobis unum sint*; τὸ *in nobis* accuratè observa: in quo, quæso, & in cujus nomine debemus nos unum inter nos ex voto Christi esse? profectò in solo DEO vero Deique nomine; in conditore finéque nostro ultimo, in eo uno cum quo per visionem beatam, conjungendi & unum inter nos futuri sumus. Quomodo igitur se cum Patre Filius beatitudinis sive unionis hujus in DEO nostræ centrum esse diceret; si verè unum, unum in natura cum Patre, DEúsque cum eo idem non esset? Ergo τὸ *sicut* in hoc loco similitudinem designat, cum infinita dissimilitudine copulatam, & maximè imperfectam: non secùs ac ubi dixit idem Dominus: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Ergo locus ille Joan. 17. nequit infirmare unanimem Patrum Sanctorum sententiæ hujus, *Ego & Pater unum sumus*, expositionem.

40. Roborabatur firmissimè Catholica ista expositio 1mò. quia Judæi verba illa Domini audientes in hanc eandem sententiam intellexerunt; ac propterea lapidare illum voluerunt. Subjicit enim continuò Evangelista: *Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut jacerent in eum: respondit eis JESUS: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judæi: de bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia: & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum DEUM.* Hoc Judæorum de se judicium nunquam correxit, uti debuisset, si falsum fuisset, Christus; nunquam errare illos, ne scandalizarentur audientes, docuit: sed potiùs ita se rem habere, neque se blasphemum, aut raptorem Divinitatis esse, magìs ac magìs miréque probavit. Lapidare voluerunt eum Judæi; sed non lapidârunt: quia eâdem Domini potentiâ, propter quam illum lapidare volebant, prohibiti sunt; ut adnotavit Theodorus Moptuestenus. Lapides illi clamant adversum vos Ariani, &

Adverſarii noſtri, clariſſimúmque perhibent teſtimonium. 2dò. Probatur, quia ùt primùm Arius hæreſim ſuam ſeminare cœpit, S. Alexander Alexandrinus Epiſcopus, antequam ulla, de Concilio Nicææ cogendo fuiſſet cogitatio, Paſtor vigilans epiſtolam ad omnes Epiſcopos ſcripſit; in qua verba hæc ita eſt interpretatus: ita pariter poſtea Concilium Nicænum, Patrésque omnes ſequentes ſunt interpretati. 3tiò. Quia totum illud caput decimum Joannis, ac vel maximè, quæ præcedunt, & quæ ſequuntur hanc ſententiam, in eam conſpirant interpretationem luculenter, neque aliam admittunt. Præceſſerat: *Oves meæ non peribunt in æternum; ego vitam æternam do eis: & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi* (generando me ab æterno) *majus omnibus eſt*; (non eſt igitur aliquid creatum) *& nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus.* His verbis Filius potentiam, quam habet in defendendis ovibus ſuis, non Patris unius auxilio, ſed ſuæ propriæ attribuit æqualiter virtuti; ob unitatem & conſubſtantialitatem ſuam cum Patre. Sic etiam dixerat Joan. 17. 12. *Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex iis periit niſi filius perditionis; ut ſcriptura impleretur.* Sequitur in eodem contextu: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra? quia ego dixi, Dii eſtis. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo DEI factus eſt; & non poteſt ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum; vos dicitis: quia blaſphemas: quia dixi Filius DEI ſum?* Adverte vim argumenti, Filio DEI naturali, Deóque vero digni! Si lex veſtra quæ nequit ſolvi, vocat eos Deos, & Filios excelſi omnes, prout additur in Pſalmo quem citat 81. ad quos ſermo DEI factus eſt, hoc eſt, qui tantùm ex verbo DEI audito & in cordibus ſuis recepto, erant per gratiam Sancti, & in filios DEI adoptati: quantò veriùs abſque omni blaſphemia poſſum ego me Filium DEI Deúmque vocare qui ſum ipſe ſermo ille Verbúmque DEI æternum, quo

rece-

recepto, ſunt omnes Sancti purè creati Sanctificati? quem Pater non alloquendo, non gratiam ei conferendo; ſed *gignendo eum*, ſanctificavit ab æterno, & ad eam ſui generationem manifeſtandam miſit in mundum, Salvatorem mundi? qui ſum Filius DEI naturalis? Vel hoc, quod cum Sanctis Patribus dicimus; vel, ſi nihil præterea ſignificat quàm quòd adverſarii dicunt; hæc argumentatio Sapientiæ Patris foret nulla: quod vel cogitare, impium & ſtultum eſt. Non enim majorem Chriſto conciliaret majeſtatem, quàm eorum fuerit, ad quos ſermo DEI factus eſt: ad quos dictum erat Pſ. 81. *Dii eſtis, & Filii excelſi omnes.* Nonnè ultimum quod dixerat fuit: *Vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi Filius DEI ſum?* Ergo verba propter quæ blaſphemus judicatus eſt, & quibus poteſtatem, ſanctificationem, miſſionem ſuam in mundum, declarabat, idem ſignificabant, ac *Filius DEI ſum*: Filius DEI certe naturalis; ſecùs non eſſet Filius aliter, atque illi, ad quos ſermo DEI factus eſt: ergo etiam, *Ego & Pater unum ſumus*, denotabat unum in *natura*; non in eadem quoad ſpeciem tantùm, ſed in eadem quoad numerum natura, quæ in DEO multiplicari non poteſt. Quòd porrò Sanctificari Filium à Patre, idem hîc ſignificet ac generari; ſatis & ex iſta, & ex illa ejus ſententia Joan. 5. 26. liquet: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Vita Patris, eſt ab illius Sanctitate, Sapientia, Omnipotentia indiſtincta: igitur & vita Filii; juxta illud: *Omnia quæ habet Pater mea ſunt:* Sanctificavit igitur Filium, dedítque illi omnia ſua, generando eum, & vitam illi dando; non poſteriùs ſanctificavit ac dotavit quàm generavit: Sanctificavit eum Sanctitate ſuâ naturali, & eâdem quam Pater habuit; non aliâ neque creatâ Sanctitate: ut eſſet ille non ſolùm Sanctus, ſed *Sanctum*, & Sanctitas ipſa fónsque omnis Sanctitas, de fonte Patris juxta illud: *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Luc. 1.

Pater *quà talis*, non refertur ad Filium *quà talem*, niſi per *generationem*. Concludit ſuam cum Judæis diſputationem Dominus. *Si non facio opera Patris mei; nolite credere mihi: ſi autem facio; & ſi mihi non vultis credere, operibus credite: ut cognoſcatis & credatis; quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Id eſt, quia ego & Pater unum ſumus, ſive unus DEUS ſumus. Hactenus Chriſtus: Proſequitur Evangeliſta: *Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de manibus eorum.* Qui Chriſtum ex his ſermonibus, verum eſſe DEUM non confitetur; qui eum dixiſſe, *Pater in me, & ego in Patre*, in eo tantum ſenſu arbitratur, in quo de pura id creatura dici poterat; is verba Domini verè non intelligit, à Judæis probè intellecta; is cum perfidis illis recuſat Evangelio credere. Crede ſaltèm operibus Chriſti, à Filio ſimul Patréque in eum finem, ut credamus in illum verum DEUM de DEO vero, profectis: crede non blaſphemâſſe Dominum, & homo cùm ſit ſeipſum DEUM per rapinam non feciſſe; at veracem, viámque DEI in veritate docentem, DEUM eſſe altiſſimum crede, confitere, adora.

41. Dices 1^mò. Chriſtum ipſum ſatis declarâſſe, quo ſe modo unum cum Patre, Filiúmque DEI pronunciaverit: eò ſcilicet, quo ſcriptum erat de Prophetis hominibúsque Sanctis: *Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Reſpondeo ut clarè loquar, mentiri te in caput tuum. Certiſſimum enim eſt ex toto contextu, Dominum verba illa Pſalmi 81. non de ſe ſcripta eſſe interpretatum; ſed de illis qui multò inferiores fuiſſent Chriſto: à quibus argumentabatur ad ſe, tanquam à minori ad majus; ut paſſim SS. PP. admonuerunt: à creaturis puris ad ſe infinitè omnibus iis præſtantiorem. Eſt hoc evidentius; quàm ut pluribus doceri debeat. Quòd ſi Pſalmodi teſtimonio conſentaneè ſe DEUM Filiúmque vocâſſet excelſi Chriſtus; Judæi verba ipſius obſervantes accuratiſſimè, profectò nec eum lapidare, nec tunc apprehendere ſta-

ſtatim conati fuiſſent; nec poſtea comprehendiſſent & crucifixiſſent: verùm excuſatione illius contenti, quieviſſent. 2do. Dices cum veteribus Arianis, non fuiſſe à Chriſto dictum, *Ego & Pater unum ſum*; ſed *unum ſumus*: non igitur unam ſuam cum Patre ſubſtantiam, quæ non *ſumus*, ſed *ſum* eſt, indicabat. Reſpondit vobis ad hoc, præter alios Idacius in lib. cont. Varimad. c. 16. à Domino duas hâc ſuâ divinâ ſententiâ confutatas hæreſes: alteram Sabellii negantis pluralitatem Perſonarum in DEO; propterea dixit *unum ſumus*: alteram veſtram negantium Filium Patri conſubſtantialitatem, & unitatem naturæ in pluribus Perſonis divinis, ideò dixit *unum*.

TEXTUS DUODECIMUS.

Joannis 14. 1. *Creditis in DEUM, & in me credite.*

42. Hic jam non cum Judæis, ſed ſeorſim cum ſuis loquens JESUS, aperit clariùs ſe DEUM verum eſſe. *Non turbetur cor veſtrum: Creditis in DEUM; & in me credite.* Appropinqvante paſſione mortéque ſuâ, ne illa conturbaret Diſcipulos; his verbis conſolatur eos, & exhortatur. Quæ, cum reliquis Sanctorum Patrum, Præſul Hipponenſis tr. 67. in Joan. ſic exponit. *Conſequens eſt, ut ſi in DEUM creditis, in me credere debeatis: quod non eſſet conſequens; ſi Chriſtus non eſſet DEUS. Creditis in DEUM; & in me credite, cui natura eſt, non rapina; eſſe æqualem DEO.* Taliter etiam Joan. 5. 17. dixerat Dominus: *Pater meus uſque modo operatur; & ego operor*: ubi ſe Filium in operando Patri æqualem; hîc autem ſe ſimpliciter DEO æqualem in eo, quòd in ipſum credi debeat, conſtituit. Unde ſi textui præſenti crederent Turcæ; deberent ex illo Chriſtum confiteri DEUM, etiam ſi nec Patrem, nec Filium in Divinitate agnoſcerent.

rent. *Creditis in DEUM*; & *in me credite.* Duo ſunt in verbis his divinitatis Chriſti documenta magna. Primum in particula &; quâ ſe cum DEO, *ut parem* in re maxima componit: alterum in eo, quod ſequitur, & *in me credite*; quo ſibi ſinè omni dubio jure ſummo attribuit fidem; quæ ſoli DEO debetur. Cætera quæ in eodem capite ſequuntur, confirmant eandem Chriſti argumentationem mirificè. *Si cognoviſſetis me; & Patrem meum utique cognoviſſetis. Qui videt me, videt & Patrem meum &c.* de quibus paulò poſt ſuis in locis.

43. Dices, amantibus DEUM neceſſariò amandum eſſe proximum quoque ſuum; credentibus DEO, credendum etiam eſſe verba DEI enunciantibus Prophetis: neque inde ſequi, vel proximum tuum, vel Prophetas, eſſe DEUM; ſed id unum, quòd proximus tuus ſit, propter DEUM, qui hoc præcipit, diligendus, & Propheta ùt legatus DEI verbáque illius proferens ſit audiendus. Reſpondeo Chriſtum hîc loci, de nullo præcepto divino, de nulla ſui legatione loqui; ſed ſimpliciter & abſolutè de DEO, & de ſua propria Perſona ſola, quam cum DEO comparat in re ſoli DEO conveniente. *Creditis in DEUM? & in me credite.* Non addit, & in me credite, quia id mandat DEUS, quia ego ſum legatus & Propheta DEI; ſed tantummodo, *& in me credite*: quiſum quidem etiam ut videtis, homo; at ſum quoque & fui ab æterno DEUS, quod non videtis oculis, verùm ex ſermonibus operibúſque meis diſcere poteſtis. *Et in me credite*, id eſt, me quoque DEUM eſſe intelligite, ac firmiſſimè vobis perſvadete; ut ne turbetur cor veſtrum in paſſione mortéque mea, in proditione Judæ, ac negatione Petri, à me nunc prædia. *Mortem metuitis huic formæ ſervi; non turbetur cor veſtrum, ſuſcitabit illam forma DEI*: ſubjicit hîc Auguſt. in hanc ſententiam locutum eſſe Dominum, illa ipſa phraſis, *in DEUM, in me*, ſatis indicat. Nam credimus Prophetis, at non

non & in Prophetas: hoc enim ſoli DEO propriè tribuitur, ut obſervârunt SS. PP. in Symbolo quoque Apoſtolorum, credimus in Patrem, in JESUM Chriſtum Filium ejus unicum, in Spiritum Sanctum; atque in nullum alium, ſed omiſsâ particulâ *in* credimus reliqua; ut Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem &c. Credere in aliquem ſignificare videtur, credere in ſummam æternámque veritatem; credere ita, ut ei nos totos ceu principio finíque noſtro contradamus, ſpem in eo collocemus omnem, in quem credimus Eſt incredibile quantò operè fidem hanc in ſeipſum exegeri per totum Evangelii curſum Chriſtus, ab iis quos curabat & ſalvare volebat; quod profectò nulla pura creatura facere absque ingenti blaſphemia, & cum ſucceſſu miraculi, potuiſſet. *Tu credis in Filium DEI?* ajebat cæco à nativitate Joan. 9. Dœmonium autem habenti, & parentibus ejus: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans Pater pueri cum lacrymis ajebat: Credo Domine! adjuva incredulitatem meam.* Marc. 9. 22. Centurionis, curationem pueri ſui expetentis, dicentisque: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo & ſanabitur puer meus*, encomio quàm extra ordinario fidem deprædicat! *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi* Math. 8. Cæcis ad ejus opem recurrentibus Math. 9. 28. *Dicit eis JESUS: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: ſecundum fidem veſtram fiat vobis, & aperti ſunt oculi eorum &c.* Archi-Synagogo inquiebat Mar. 5. 36. *Noli timere: tantummodo crede.* Quoties hujusmodi ſupplices audiverunt ex ore illius? *Fides tua te ſalvum*, vel *ſalvam fecit. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios DEI fieri: his qui credunt in Nomine ejus.* Joan. 1. 12. *Exaltari oportet Filium hominis ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joan. 3. V. 1. 5. & 16. *Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ*

ego

ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. Joan. 14. 12. Occurrunt sæpe-numero talia in Evangelio. *Cùm venerit Paraclytus ; arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem quia non crediderunt in me &c.* Joan. 16. 8. Ecce in his omnibus, & plúsque similibus nulla fit mentio à Christo Patris & DEI; sed sui unius, omnipotentis ac Salvatoris! cur? quia credere in Christum, est credere in DEUM, est credere in Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Act. 8. 36. Eunuchus Philippo : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari ? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo Filium DEI esse JESUM Christum.*

TEXTUS DECIMUS TERTIUS,

Paulus ad Rom. 9. 5. *Ex quibus est Christus, secundum carnem : qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula, Amen.*

44. EXponamus locum integrum Apostoli. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis; qui sunt cognati mei secundum carnem. Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa. Quorum Patres : & ex quibus est Christus secundùm carnem ; qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula. Amen.* Bellarminus Præfat. in l. 1. de Christo textum hunc producens : *Mirum est* ait, *quid non agat Erasmus, quo se non vertat, quid non moliatur; ut hoc telum de manibus nobis extorqueat. Primùm vocem DEUS supposititiam vult videri. Deinde ait hunc locum non esse efficacem ad revincendos Arianos. Denique sic optimè exponi posse docet : ut post illa verba,* ex quibus est Christus secundum carnem ; *Interposito puncto, sequatur actio gratiarum :* super omnia DEUS, *videlicet Pater,* sit benedictus in sæcula. Erasmus iste, Germaniæ Phœnix à Gesnero

in

in ſua Bibliotheca nominatus, ô quam duram ſibi delegit Provinciam, hæreſeos, ac potiſſimum Arianæ omnimodis defendendæ! quâ ille titulum viri ſapientis & eloquentis, quo fruebatur, corrupiſſe penitùs meritò cenſendus eſt. Nihil hâc Apoſtoli ſententia graviùs, nihil pro Chriſti Divinitate dici clariùs potuiſſe videbat diabolus. Obſcurandam igitur & fidem ejus non per Servetum, aut Lutherum, vel Calvinum, ſed per Eraſmum, qui minùs ſuſpectus ſuſpiciebatur ab omnibus, elevandam curavit. Ergo putas Eraſme in Annotationibus tuis in hunc locum, ℞ *DEUS* non eſſe de textu? cur? quia Cyprianus l. 2. cont. Judæos c. 6. & Hilarius in Pſ. 122. citant hæc verba ſine illa voce. At Bellarminus l. 1. de Chriſto c. 6. locum illum Cypriani legit in editione Aldi & Morelii cum voce *DEUS*: quæ nec potuit de-eſſe; quia in eo capite probare vult Cyprianus, Chriſtum in ſcripturis vocari *DEUM*. Hilarius citans hunc textum non ibi citat integrum, ſed pluribus omiſſis, ut patet; nihilque novi id eſt apud Scriptores: qui tamen alibi l. 4. & 8. de Trinit. citat eundem cum voce *DEUS*. Denique, licèt (quod frigidis conjecturis tuis nunquam efficies) abraderes ℞ *DEUS*, num abrades quæ præcedunt, nimirum, *ſecundùm carnem*, & *qui eſt ſuper omnia*? ex quo utroque Chriſtum pariter eſſe *DEUM* intelligimus. Ergo putas tu, poſt voces illas, *ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem*, poni poſſe punctum; & reliqua referri ad Patrem, per apoſtrophen ad illum? ut ſit ſenſus: *qui eſt ſuper omnia DEUS*, id eſt Pater, *benedictus in ſæcula*. Quid ita? ſic inquis te legiſſe apud Chryſoſtomum. At Bellarminus ait, in Chryſoſtomo græco ſe non inveniſſe punctum; ſed virgulam, qualis eſt in omnibus codicibus Apoſtolicis, græcis, ac latinis. An verò propter unum punctum in commentario Chryſoſtomi codicis tui repertum, quod vel vitio ſcriptoris, vel ab inſidente muſca relinqui potuit; corrigendi erunt omnes codices ſacri? græci

&

& latini? omnes commentarii & libri Sanctorum Patrum, qui nullo excepto, verba illa ultima textûs allati referunt ad Filium? Non enim ullum pro se allegare potuit Erasmus; nos præter omnes Commentarios, hujus etiam ipsius Chrysostomi libros tot alios, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Cyrilli, Athanasii, Victorini, Iidacii, Cassiani &c. & Patres reliquos omnes. Hactenus Bellarminus. *Quis non videt*, inquit hîc Cornelius à Lapide, interprætationem istam summè violentam referens: *hanc novam, biulcam, distortam, & absonam esse diastolen?*

45. Verùm Erasmi magis in hoc divinissimo argumento blasphemiis repudiatis, textum ipsum, qui planissimus est, nihilque obscuritatis habet, attendamus. *Ex quibus* id est Judæis; *est Christus secundùm carnem*: cur addit *secundùm carnem?* ut naturas Christi duas distinguat: alteram humanam, secundùm quam est ex Judæis; alteram divinam, ad quam exprimendam subjungit: *qui est super omnia DEUS*: proinde ut non in tota substantia sua; sed secundùm carnem & humanitatem duntaxat, ex Judæis esse Christum declaret. Si dicas paulò etiam antè Judæos Apostolus cognatos suos *secundùm carnem* vocavit; neque tamen voces illas addidit ad indicandas duas in Persona sua naturas. Respondeo Apostolum de se sic esse locutum, quò distingueret cognationem suam cum Judæis carnalem, à cognatione spirituali, quam habebat cum gentibus omnibus fidelibus: *Optabam anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem.* At ex Judæis dicere volens esse Christum, nullam habuisset rationem τὸ *secundùm*; nisi alteriùs quoque naturæ Majestatem, quam cotinuò expressit, in eo notare voluisset: secundùm quam Christus Filius DEI Patris, & principium erat Spiritûs Sancti, naturali suâ & æternâ cum utraque Persona illa Divina, ejusdem substantiæ unitate. *Qui est super omnia DEUS benedictus in secula. Amen.* Necquidquam moliri satage,

verba

verba hæc pretioſiſſima referre ad ſolum DEUM Patrem! *qui* relativum, nequit ad Patrem, de quo in toto illo capite nihil præceſſerat, referri; ſed neceſſariò referendum eſt ad Filium: Apoſtrophas in textu tam claro, tam exorbitantes comminiſci, nemo tibi Chriſtianorum indulgebit. Quot verba, tot contra Chriſtomachos Doctoris Gentium tela ſunt fulminea in hac ſententia: *ſuper omnia*, phraſis hæc ſignificat, ſuper omne quod creatum eſt. Unde male inferebant hinc Macedoniani, Spiritum Sanctum eſſe DEO, Chriſtóque minorem; ut oſtendit S. Gregor. Nazianz. S. Ambroſ. & alii: aliàs ex hoc loco Chriſtus ſuper Patrem ſuum etiam eſſe eodem modo dici poſſet, quod nec Macedoniani ſomniabant. *Qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus*: in Græco, nomini *DEUS* apponitur iſthic articulus; qui voci *DEUS*, creaturis applicatæ, nunquam in ſcriptura præponi ſolet: additur præterea, epithetum eidem, *benedictus*; quod cum nomine DEI copulatum ita proprium eſt DEO altiſſimo; ut puræ nunquam attribuatur creaturæ. Denique præmittitur aptiſſimè, *qui eſt ſuper omnia*: nam ſi neque Chriſto, neque Paulo credere voles; operibus Domini crede: prout ipſe de ſe argumentabatur. Inter opera verò quæ fecit Altiſſimus; profectò ſuper omnia in mundo ſunt illa, quæ à Chriſto, & per Chriſtum, & in Chriſto facta ſunt: adeò ut quamvis creatione mundi ſpectatâ, cum inſipiente in corde tuo dixiſſes, *Non eſt DEUS*; operibus tamen Chriſti accuratè conſideratis, & intellectis, verè deberes exclamare: Chriſtus eſt DEUS. Subjungit S. Paulus: *Amen*: quâ voculâ ſuam hanc totam ſententiam auream confirmat, inculcat iteratò, etiam atque etiam nobis commendat. Prævidit Spiritus Sanctus, ùt ùt DEUS appellandus ſit in ſcripturis perſæpè Chriſtus; non deſtituros ab ejus Deitate vera oppugnanda impios: ergo inculcavit in os calamúmque Apoſtoli Beniamini ſui; ut prædicaret ſcriberétque de Magiſtro ſuo: *Ex quibus eſt Chriſtus ſecun-*

ſecundùm carnem: qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſæcula. Amen.

TEXTUS DECIMUS QUARTUS.

Ut ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus DEUS, & vita æterna. 1. Joan. 5. 20.

46. UTrum in Paulo modò memorato, an in hocce Diſcipuli, quem diligebat JESUS, teſtimonio clariùs eluceat vera Domini Divinitas, haud facilè dixerim: ex utroque, clariſſimè Tribus eam hæc Joanne dignâ ſententiâ exhibet documentis. 1mo quia Chriſtus verus Filius DEI eſt. Vos appello mortale genus omne! dicite an verus quis Filius ejus eſſe poſſit; cujus de ſanguine veráque ſubſtantia & natura, nihil in ſua nativitate accepit: qui nihil habet in ſe de ipſa ſubſtantia Patris? 2do quia *hic* id eſt Filius DEI Chriſtus, de quo erat ſermo proximus, *eſt verus DEUS.* An declarare volens, Filium vocari DEUM non impropriè neque metaphoricè, ſed in propria nomini hujus notione, rem diſſertiùs explicare potuit; quam dicendo, *hic eſt verus DEUS?* 3tio *Et vita æterna.* Vita noſtra æterna, & beatitudo cæleſtis, nulla res creata eſſe poteſt; ſed ſolus DEUS viſus in ſeipſo, & per eam viſionem poſſeſſus: vitam illam creatura nulla largiri nobis, nec vita noſtra æterna poteſt, nominari; ſed unicus DEUS, alpha & omega, principium & finis noſter, qui Chriſtus eſt unà cum Patre Spiritúque Sancto ſuo. Quid hîc obſcurum? quid amphibologicum? Nihil eo Chriſtianorum auribus abſurdius, quod reſpondet ſervetus adverſariorum noſtrorum princeps l. 1. de Trinit. Chriſtum verum DEUM dici poſſe; ſed temporalem: quia veram à DEO Divinitatem accepit poſt mortem ſuam; juxta illud Apoc. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & Divinita-*

vinitatem. At, ô monſtrum Theologiæ! DEUS temporalis eſt DEUS idololatrarum & non Chriſtianorum, qui verum DEUM, æternúmque credimus. Veram Divinitatem accepit à Patre Chriſtus, quà DEUS ab æterno per generationem ſui; & quà homo aſſumptus eſt à DEO, formam ſervi accipiente in Incarnatione Divina; à morte verò carnis ſuæ tantùm illius Divinitatis, virtutísque ſuæ manifeſtationem & exaltationem accepit, tum à ſe DEO, tum à Patre ſuo. Sic omnes Orthodoxi textum illum Apocalypticum intelligunt: In quo aliqui pro *Divinitate divitias* legunt; in Græco enim eſt τὸν πλοῦτον: ſed utraque vox, & virtus illa, nihil aliud ſignificare poteſt, quàm virtutis & Divinitatis, divitiarúmque Chriſti æternarum gloriam, per mundum univerſum dilatatam poſt mortem ipſius: qua dignus ſpeciali titulo erat, quòd Incarnatus & occiſus ſit pro ſalute noſtra; quòd cùm DEUS eſſet æternus, nos humanitatis ſuæ morte, per gratiam Deos fecerit temporales.

§. II.

Afferuntur Textus reliqui ex novo Teſtamento.

1mò. JOan. 20. v. 27. Infer digitum tuum huc &c. Reſpondit Thomas, & dixit ei: *Dominus meus, & DEUS meus.* Quibus verbis Thomas Chriſtum æternum DEUM eſſe agnovit, & confeſſus eſt, fidémque ejus Chriſtus laudavit. Conſtat id 1mò.: quia voci *DEUS* in textu Græco eſt articulus præpoſitus, cum quo vox *DEUS* copulata ſemper in ſcriptura DEUM æternum ſignificat. 2dò. quia voci *DEUS*, & *Dominus*, poſtpoſuit Thomas pronomen poſſeſſivum *meus*, quo compellandi modo nunquam purus aliquis homo ab ullo Sanctorum eſt nominatus. Nec dici poteſt,

quòd hæc verba per modum admirantis, atque exclamantis dixerit Apoſtolus ad DEUM Patrem: nam verba illa: *reſpondit*, & *dixit ei*, manifeſtè indicant, ea directa eſſe ad Chriſtum, qui priùs Thomæ loquebatur, nec uſquam verba hæc *dixit ei* reperiuntur in Scriptura, ut ſermo ſubſequens dirigatur ad aliam perſonam ab ea, quæ per pronomen *ei* in mentem revocatur, ùt videre eſt in hoc ipſo capite, ubi multis vicibus habentur hæ voces: *dixit ei*, & ſermo ſemper dirigitur ad eam perſonam, cum qua priùs loquebatur. Nec item dici poteſt, quòd Thomas nihil viderit, ex quo eum DEUM æternum colligere potuiſſet; ſiquidem, ùt volunt Ariani, Reſurrectio non reſuſcitatum, ſed reſuſcitantem probat DEUM eſſe æternum: igitur Thomas dicta verba *Dominus meus*, & *DEUS meus* juxta eos ad Patrem æternum divexit, qui JESUM reſuſcitavit; vel ſi direxit ad Chriſtum, non DEUM æternum intellexit, ſed talem, de quibus loquitur Paulus 1. Cor. 8. v. 5. *Siquidem ſunt Dii multi, & Domini multi.* Reſpondeo enim, quòd Thomas, poſtquam experimento didicit Chriſtum vivere, crediderit, quòd virtute propria ſe reſuſcitaverit, prout eum ſæpius id docentem audivit, ut: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joan. 2. v. 19. adeóque credidit Chriſtum eſſe DEUM æternum. Quod adducitur ex Paulo, ſpectat ad Deos Gentilium: cùm autem unus ſit Chriſtianorum DEUS, Thomas confitendo Chriſtum DEUM, confeſſus eſt eum eſſe eundem cum Patre DEUM, adeóque æternum.

2dò. Joan. 16. v. 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt.* & Cap. 17. v. 10. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Prior Chriſti propoſitio eſt ad Apoſtolos, qua probare voluit mittendum à ſe Spiritum Sanctum, docturum quidem eos eſſe omnem veritatem, non tamen à ſemetipſo, ſed locuturum, quæ à Filio audiverit, atque ſcientiam & clari-

claritatem ab eo accepturum. Cùm enim ſupra Cap. 15. v. 26. dixerit Spiritum Sanctum à Patre procedere, quod idem eſt, ac à Patre ſcientiam & Divinitatem habere, quæ-rere poterant Diſcipuli; quomodo Spiritum Sanctum aſſe-rat ſcientiam, & claritatem à ſe accepturum, cùm antè jam acceperit à Patre? quod dubium præveniens Chriſtus, ſol-vit: *Omnia, quæcunque habet Pater*, mea ſunt (nota particu-lam illativam) *Propterea dixi, quia de meo accepit.* quaſi dice-ret: Spiritum Sanctum audiſtis à Patre procedere, non mi-remini à me quóque procedere: nam omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt; adeóque & virtus producendi Spi-ritum Sanctum, eíque ſcientiam, & claritatem communi-candi.

Poſterior propoſitio dicta eſt à Chriſto ad Patrem in oratione, qua ei commendabat Diſcipulos, adducens ratio-nem, *quia tui ſunt*, hanc autem rationem confirmat dicens: *mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*, ac ſi diceret: quia tua omnia mea ſunt, & viciſſim mea omnia tua ſunt, Apoſtoli quóque, quos dediſti mihi, & tui, & mei ſunt. Ex quibus clarè colligitur Chriſtum eſſe DEUM æternum, qui enim habet omnia tam interna, quàm externa bona, quæ habet DEUS æternus, uti Chriſtus ſe habere dicit, DEUS æter-nus eſt.

3tiò. Luc. 1. v. 16. *Multos Filiorum Iſraël convertet ad Dominum DEUM ipſorum, & ipſe præcedet ante illum.* Joan-nes dicitur præceſſurus ante illum, ad quem multos Filiorum Iſraël convertet; converſurus autem dicebatur ad Domi-num DEUM ipſorum, verum nimirum DEUM æternum; ergo ante illum æternum DEUM præceſſurus. Cùm ergo Joannes præceſſerit Chriſtum, ùt clarum eſt, clarè infertur Chriſtum eſſe DEUM æternum.

Nec poteſt dici, quòd Joannes præceſſerit verum æter-num DEUM, non in ſua propria perſona comparentem, ſed com-

comparentem in persona alicujus eximii Legati: hæc enim est ineptissima interpretatio, ùt patet ex Isai. 52. v. 6. Item Isai. 45. v. 4. Baruch. 3. v. 36. Ineptam etiam esse à simili ostenditur: si Rex mitteret Legatum Constantinopolim, & Legatus Constantinopolim veniens viam Regi venturo pararet, diceretúrque Rex veniet; numquid crederetur ab omnibus ipse Rex venturus? Ergo cùm Joannes quà Legatus, missus sit ad parandam DEO viam, & promittatur DEUS Israël post ipsum venturus, quis dubitare poterit DEUM Israël in propria sua persona venturum? neque enim ulla hìc alterius Legati mentio est, in cujus persona post Joannem DEUS Israël esset venturus. Unde licèt fortè alibi, ubi DEUS venisse, vel aliquid fecisse dicitur, in aliena persona venisse vel fecisse intelligatur, non sequitur, quòd etiam hìc ità intelligi debeat; aliæ enim sunt rationes pro aliis locis, quæ hìc non urgent ad sic intelligendum, cùm clarissimè de adventu DEI Israël in propria persona sensum nostrum confirment textus citati Isaiæ 45. v. 14. Item 52. v. 6. Baruch 3. v. 36. 3tiò. Baptista intelligitur in propria persona præcessùrus venturum DEUM, ergo etiam DEUS intelligendus est in sua propria persona venturus: cùm similis modus loquendi, similem exigat interpretationem, præsertim in eadem, eáque valde brevi sententia.

Neque dicas: Si Christus est DEUS æternus, cur Joannes quà ejus Legatus clarè non dixit esse DEUM? cur ipse cum Discipulis suis se ipsi non adjunxit? Respondeo enim, & quæro: si Christus Messias est (de quo nec ipsi dubitatis) quod Joannes bene scivit, cur id clarè Joannes non dixit? cur se illi cum Discipulis non adjunxit? Cæterum Joannes clarè docuit Christum esse DEUM æternum, quando illum nuncupavit agnum, qui tollit peccata mundi Joan. 1. v. 29. peccatum enim tollere per se solus æternus DEUS potest.

4tò. Joan-

4tò. Joan. 1. v. 15. Baptiſta ait: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt; quia prior me erat.* Hìc in utróque textu non poteſt intelligi excellentia dignitatis; haberet enim textus ſenſum nugatorium, nempe hunc: *Chriſtus major me factus eſt dignitate, quia prior me erat dignitate.* Hinc igitur ſequitur, Chriſtum non eſſe purum hominem: nam quà homo conceptus & natus eſt aliquot menſibus poſt Baptiſtam; ergo debet habere aliam naturam, ſecundùm quam fuit ante Baptiſtam.

Pergit textus: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Vocabulum *omnes* denotat tam veteres Prophetas, quàm Apoſtolos de plenitudine Chriſti accepiſſe; certum eſt autem veteres Prophetas gratiam & ſpiritum prophetiæ à DEO æterno accepiſſe, ergo Chriſtus, de cujus plenitudine acceperunt veteres Prophetæ, eſt DEUS æternus. Audi ulterius textum: *Quia lex per Moyſen data eſt, & gratia, & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt.* Cur autem Chriſtus præ Moyſe ſit auctor gratiæ, & veritatis, cauſam dat ibi Evangeliſta: *DEUM nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit. Et hoc eſt teſtimonium Joannis.* Ubi vides: ideo Chriſtum præ Moyſe auctorem gratiæ, & veritatis dici, quòd Moyſes, quemadmodum & cæteri homines ſolùm obſcurè, & in ænigmate; Chriſtus verò tanquam Unigenitus in ſinu Patris exiſtens clarè viderit DEUM; adeóque meliùs myſteria Divinitatis enarraturus ſit. Cùm igitur purus homo clarè videre Deum in hac vita non poſſit, Chriſtus, qui clarè DEUM vidiſſe aſſeritur, non erit purus homo, ſed ſimul DEUS verus æternus.

5tò. Joan. 5. v. 16. *Propterea perſequebantur Judæi JESUM, quia hæc faciebat in Sabbatho. JESUS autem reſpondit eis: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere; quia non ſolùm ſolvebat*

vebat Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dicebat DEUM, æqualem ſe faciens DEO. Hìc Chriſtus coram Judæis ſe à violatione Sabbathi excuſat exemplo Patris, pariter in Sabbatho operantis, dum dicit: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor.* Ac ſi dixiſſet: Patri meo, utpote nulli legi ſubjecto, licitum eſt in Sabbatho operari, igitur & mihi licitum eſt in Sabbatho operari (quod clarè exprimitur Matth. 2. v. 28. *Itáque Dominus eſt Filius hominis etiam Sabbathi*) qui illius ſum Filius proprius, adeóque nulli legi ſubjectus. Quare ſicut, ſi quis diceret: ſibi licitum eſſe facere aliquid, quia id licet Regi, quod non Regibus prohibitum eſt, cenſeretur ſe Regem ſeu Regi æqualem facere; ità meritò ex illis verbis Chriſti: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor.* tam Judæi, quàm Joannes intulerunt, quòd ſe fecerit DEO æqualem, quod clarè innuit Evangeliſta illis verbis: *Propterea ergo magis quærebant Judæi eum interficere; quia non ſolùm ſolvebat Sabbathum, ſed & Patrem ſuum dicebat DEUM, æqualem ſe faciens DEO.* Jam; qui ſe æqualem facit DEO, aut DEUS eſt, aut impoſtor, Ergo Chriſtus teſte Joanne æqualem ſe faciens DEO æterno, erit DEUS æternus.

Neque dicas: quòd Evangeliſta ibi non ſuam referat ſententiam, ſed Judæorum. Dato enim, retulerit ſententiam Judæorum. Opinio illa Judæorum vel fuit vera, vel falſa? ſi vera; habetur intentum: ſi verò falſa fuiſſet, debuiſſet illam vel Chriſtus, vel Evangeliſta corrigere, ne in re tanti momenti erraremus; ſicut dum Chriſtus dixiſſet Joan. 2. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* falſam opinionem Judæorum, putantium Chriſtum loqui de templo Salomonis, correxit Joannes, & mentem Chriſti expoſuit, quòd nimirum dixerit de templo corporis ſui. v. 31. Similiter cùm crederent Diſcipuli Chriſtum dixiſſe: Joannem Evangeliſtam non moriturum, eorum opinionem correxit Evangeliſta: *non dixit ei JESUS: non moritur;*

ritur; ſed, ſic eum volo manere, donec veniam. Joan. 21. v. 23. Atqui in caſu propoſito, nec Evangeliſta, nec Chriſtus correxit opinionem Judæorum, judicantium ipſum ſe facere æqualem DEO, imò opinionem eorum Chriſtus confirmavit dicens: ſe operari eadem, quæ Pater operatur. *Et ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & Filius, quos vult, vivificat.* Joan. 5. v. 21. ergo opinio Judæorum falſa non fuit; ergo Chriſtus verè ſe fecit æqualem DEO, ergo fuit DEUS verus.

6tò. Joan. 6. v. 63. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi priùs erat.* Chriſtus aliquoties in hoc Capite dicit, ſe de Cœlo deſcendiſſe; igitur intelligi poteſt ſufficienter eum dicere, per verba citata ſe ad Cœlos aſcenſurum ubi priùs erat; ſed Chriſtus ſecundùm naturam humanam nuſquam legitur ante reſurrectionem à mortuis, imò ante ſolennem ſuam aſcenſionem à die conceptionis ſuæ fuiſſe in Cœlo propriè tali; ergo debet habere naturam aliam etiam, ſecundùm quam priùs erat in Cœlo, non utique aliam, quam Divinam. Hìc etiam Chriſtus certè metaphoricum aſcenſum & deſcenſum non intellexit, aliàs id Judæi facilè intellexiſſent, neque dixiſſent: *Nónne hic eſt JESUS Filius Joſeph, cujus nos novimus Patrem & Matrem? quomodo ergo dicit hic: quia de Cœlo deſcendi:* v. 42.

7mò. Joan. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Dicente Chriſto ſe ab Abrahamo viſum eſſe, quærebant Judæi, quomodo ipſe multis ſæculis poſterior Abrahamo, ab eo videri, vel eum videre potuerit? Objectionem ſolvit Chriſtus dicendo: *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Hinc infertur Chriſtum non eſſe purum hominem; nam quà homo natus eſt multis ſæculis poſt Abraham, cùm ergo dicat ſe priorem Abrahamo, debuit habere aliam naturam, ſecundùm quam Abrahamò prior fuit, quæ utique non eſt alia, quàm natura Divina.

8vò. Joan. 17. v. 5. *Clarifica me Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Chriſtus ergo habuit ante mundum conditum gloriam, antequam habuiſſet humanam naturam productam; ergo habuit naturam Divinam.

9nò. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Joan. 16. v. 28. Nota ordinem verborum: dicit Chriſtus ſe priùs à Patre exiviſſe, quàm in mundum venerit, uti etiam dicit: priùs ſe per mortem relinquere mundum, quàm iret ad Patrem. Obſerva item: nullam perſonam poſſe aliter à Patre exire, quàm per productionem, quomodo enim exibit ab eo, qui immenſus, ſeu ubique eſt? Demum: Venire hominem in mundum idem eſt ac naſci vel concipi. Senſus ergo verborum Chriſti hic eſt: exivi à Patre per productionem, deinde veni in mundum per conceptionem vel nativitatem ex Virgine Matre: iterum per mortem relinquo mundum, & vado ad Patrem, à quo, priuſquam in vitam hanc mortalem naſcerer, exivi, ſeu productus ſum, & fui apud Patrem. Hæc explicatio plana eſt, & conformis aliis Scripturæ locis: *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis, qui eſt in Cœlo.* Joan. 3. v. 13. *Quod autem aſcendit, quid eſt? niſi quia deſcendit.* Eph. 4. v. 9. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM* Joan. 1. Hinc concluditur Chriſtum eſſe verum æternum DEUM; Nam ſi eſſet purus homo, non extitiſſet in Cœlo cum Patre, antequam conciperetur, & naſceretur ex Matre.

10mò. Joan. 14. v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Item: *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.* v. 7. Nulla datur imago in rebus creatis, ex qua DEUS æternus perfectè cognoſci poſſit; hinc cùm Chriſti perfecta cognitio ducat ad perfectam cognitionem Patris; ſequitur Chriſtum non eſſe purum hominem.

11mò,

11mò. Auctorem vitæ interfeciſtis. Act. 3. v. 15. Auctor vitæ temporalis extra dubium eſt æternus DEUS, apud quem eſt *fons vitæ.* Pſal. 35. v. 10. *Qui dat omnibus vitam & inſpirationem.* Act. 17. v. 25. *In quo vivimus, movemur, & ſumus.* v. 28. Cùm ergo dicatur Chriſtus à Petro auctor vitæ, DEUS æternus eſt.

12mò. Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI, quam aquiſivit ſanguine ſuo.* Certum eſt, quòd Chriſtus redemerit homines, & ſanguinis ſui effuſione ſibi aquiſiverit Eccleſiam; ergo cùm Scriptura illum, qui aquiſivit ſanguine ſuo Eccleſiam, vocet DEUM abſolutè, Chriſtus eſt abſolutè Deus, Deus æternus.

13tiò. Rom. 9. v. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus.* Certè nullus, niſi ſolus æternus Deus, poteſt dici, Deus ſuper omnia benedictus: ergo Chriſtus eſt verus æternus Deus.

14tò. Hebr. 1. v. 6. *Et adorent eum omnes Angeli DEI.* Hæc verba adduxit Paulus ex Pſ. 96. & dicit Chriſtum adorandum cultu *Latriæ*, DEO vero, æterno competente, de quali loquitur Pſalmus, aliàs fruſtrà Pſalmum citaret, ſi alio ſenſu, quàm Pſalmus, adorationem acciperet. Sed & aliæ Scripturæ clarè innuunt Chriſto adorationem Latriæ convenire. Philip. 2. v. 10. *Ut in nomine JESU omne genu flectatur &c.* Rom. 14. v. 10. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, &c.* Joan. 5, v. 23. *Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Item Apoc. 5. v. 12. & ſeq. idem Divinus honor ſedenti in throno, & Agno tribuitur; quô honore ſi Agnus indignus eſſet, utique ei à Cœleſtibus Spiritibus non tribueretur; nec Agnus eum acceptaret, cùm ipſe dicat. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: & ſciat, quòd Deus gloriam ſuam alteri non dabit. Iſ. 42. v. 8.

15tò. Hebr.

15tò. Hebr. 2. v. 16. *Nunquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Dum hìc laudatur Chriſtus, quòd non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehenderit, neceſſe eſt, Chriſtum, antequam ſemen Abrahæ per ſui conceptionem apprehendiſſet, fuiſſe in aliqua natura, ſecundùm quam apprehendere liberè potuit naturam Angelicam, vel Humanam; ſi enim liberè non apprehendiſſet, laudari inde non potuiſſet: cùm ergo non detur præter Angelicam & humanam alia natura libera, quàm Divina, neceſſe eſt Chriſtum extitiſſe in natura Divina, in qua exiſtens, liberè ſemen Abrahæ apprehendit:

Sunt & alii multi textus, ad rem facientes, quos adducere prolixum foret.

INSTITUTIO XI.

Reſpondetur iis, quæ objiciunt ex Bibliis Adverſarii.

SUpervacanea cenſeri poſſet hæc eſſe diſputatio: cùm noſtra defendentes, ità ea, quæ opponuntur, retuderimus, ut nihil hoc nomine præterea tractandum videatur: ſed ne ſe contemptos penitus querantur Gigantes hi, lapides blaſphemiæ in DEUM Chriſtúmque Dominum mittentes; quibusnam è ſacri Codicis Oraculis moti ſint præcipuè ad bellum atrociſſimum univerſo Chriſtiano generi faciendum, audiamus.

Objiciunt 1. illud omnium celeberrimum, quo nulla non unus triumphare ſe putat inter veteres & recentiores Chriſtomachos: *Pater major me eſt*, ajebat Chriſtus, Joan. 14. v. 28. Reſponſio pleniſſima ac ſolidiſſima in promptu eſt etiam pueris Catholicorum: Major eſt quoad *naturam* Chriſti *humanam*; ſed non quoad *naturam Divinam*: quam utrámque

que omni oblatâ occasione, prædicabat, & ostendebat in Evangeliis Dominus: earúmque jam uni, jam alteri contradixerunt Hæretici. Responso isto enecti Ministri Sarmatiæ, ac Transylvaniæ Consentientes; cùm aliud nihil reponendum haberent, vocârunt nos per probrum, *binaturæos*, quasi novum aliquid confinxissemus: sed exprobrent Spiritui Sancto, & Apostolis passim id, si non ubique, in scripturis suis inculcantibus: exprobrent SS. PP. universis, nihil frequentiùs de Christo prædicantibus. Porrò quòd in loco modo allegato, Christus de se *ùt homine*, non verò *ùt DEO* loquatur, est prorsus evidens. *Si diligeretis me*, ait, *gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*: Secundùm eam igitur Christi naturam Pater illo major est, secundùm quam ibat ad Patrem; videlicet secundùm *Humanitatem*; nam secundùm *Deitatem* erat semper in Patre, & Pater in illo: uti ipsemet sæpiùs affirmabat: erat unus cum Patre DEUS, & duæ Personæ ab invicem inseparabiles.

Erant quidam è SS. PP. (teste Bellarmino lib. 1. c. 16.) qui *majoritatem* hanc accipi posse censebant etiam pro *prioritate Originis*, vi cujus Pater est principium, & origo reliquarum personarum (absque tamen ullo detrimento *æqualitatis* personarum, & identitatis, ac unitatis naturæ Divinæ) ac proinde Filius sit à Patre, non Pater à Filio. Verùm tenendum, cum communi sententia PP. & Theologorum; Christum hoc loco locutum fuisse in sensu priori, jam explicato. Hinc palàm, ac dilucidè profitetur de Christo Ecclesia Catholica in Symbolo D. Athanasii: *Æqualis Patri secundùm Divinitatem*; *minor Patre secundùm humanitatem.*

Objiciunt 2dò. Textus Scripturæ dicentes clarè, DEUM esse *unum*: *Audi Israël Dominus DEUS noster Dominus unus est.* Deut. 6. 4. Et multa similia è veteri testamento. Et ex novo: *Scimus* (ait Paulus 1. Cor. 8. 4.) *Quia nihil est idolum in mundo; & quod nullus est DEUS nisi unus:* & mox infrà: *Nobis tamen*

tamen unus DEUS. Et ad Galat. 3. 20. *DEUS autem unus est:* & alia plura. At quis hæc noſtrûm negat, ô boni Viri? Confitemur omnes *Unum* eſſe DEUM, ſed tres *perſonas* in hoc *uno* eodémque *DEO*, videlicet: Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum eundémque DEUM, unum Dominum, & hoc Bibliorum contextu probamus. Vos ſolum *Patrem* DEUM eſſe aſſeritis, adeóque unicam perſonam in DEO ponitis; ſed non probatis, neque in æternùm probabitis. Sed ut oſtentent magis nomen *Unitariorum*, quod ſibi neſcio quando aſſumpsêre in Tranſylvania Adverſarii noſtri, nituntur, ùt ùt miſerè & infeliciter probare unicam in Deitate perſonam, ſolúmque Patrem eſſe DEUM: igitur.

Objiciunt 3tiò. Textus ſequentes: *Hæc eſt vita æterna* (inquit Chriſtus Joan. 17. 3.) *ut cognoſcant te ſolum DEUM verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Et Apoſtolus 1. Cor. 8. 5. *Nobis tamen unus DEUS, Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus JESUS Chriſtus, per quem omnia & nos per illum.* Et 1. Timot. 2. 5. *Unus enim DEUS: Unus & mediator DEI & hominum homo Chriſtus JESUS.* Sed cæcus eſt, qui non videt clarè in his textibus (idem eſt de ſimilibus aliis) Chriſtum JESUM DEUM affirmari. Nam in 1mò Textu clarè dicitur; *vitam æternam*, ſive beatitudinem conſiſtere in *cognitione*, ſeu *viſione DEI*, & *JESU Chriſti*: quis autem niſi amens, aſſerat, beatitudinem ſeu vitam æternam conſiſtere in cognitione & viſione *puri hominis*, vel alterius *puræ creaturæ?* In 2dò Textu JESUS Chriſtus appellatur *unus Dominus*, quod nulli competit niſi *vero DEO*; ùt patet ex illo Deuter. 6. 4. Audi Iſraël, Dominus DEUS noſter *Dominus unus eſt*: & innumeris aliis Scripturæ locis. Huc pertinet illud à Chriſto dictum Diſcipulis. Joan. 13. v. 13. *Vos vocatis me, Magiſter & Domine, & benè dicitis, ſum etenim.* Et illud ex Ep. S. Judæ Apoſtoli v. 4. *Subintroierunt quidam homines impii DEI noſtri gratiam transferentes in luxuriam,*

riam, & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum JESUM Chriſtum negantes. Solum Dominatorem & Dominum unum Chriſtum apellat: eccui id convenire poteſt, niſi uni & vero DEO? In Textu ὁ τὸν, per τὸ *Homo Chriſtus JESUS*, ſignificatur *Homo DEUS;* ſive Deus carne humanâ ſibi Hypoſtaticè unitâ indutus. Neque enim ullus *purus homo*, nec Angelus, uti nec ulla alia pura creatura, pro peccatis hominum ad æqualitatem ſatisfacere; adeóque homines DEO perfectè reconciliare, & per ſanguinem Crucis (ùt loquitur Apoſtolus) pacificare, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt; & conſequenter nec eſſe *Mediator DEI & hominum* poterat: ùt conclamant ſenſu unanimi SS. PP. Eccleſiæ Doctores, Theologi. Cæterùm de particulis *ſolus* & *unus* doctrinam univerſalem, ex qua facilè objectiones diſſolvas, accipe ex Lyranoi, aliiſque Scripturæ interpretibus, omnibúsq; Theologis Catholicis: quando iſta adjunguntur attributis ſive prædicatis DEI *eſſentialibus* ſeu *communibus* tribuuntur omnibus tribus perſonis (qualia v. g. ſunt Deus, Dominus, Sanctus, Omnipotens &c.) & dũ dicuntur de una perſona, non excluduntur aliæ duæ perſonæ Divinæ, ſed neceſſariò includuntur, & ſubintelliguntur: & ſolùm excluduntur *perſonæ*, & *res creatæ*, ſive quæ non ſunt *DEUS*. Hinc ſi de *Patre* dicas: Tu *ſolus* Deus, tu *ſolus* Dominus, tu *ſolus* Sanctus, omnipotens, æternus, immenſus, Creator, Salvator, Sanctificator &c. ſemper intelligitur (*cum Filio & Spiritu Sancto*: ſi de *Filio*; ſemper intelligitur, cum *Patre & Spiritu Sancto*: ſi de *Spiritu Sancto*; ſemper intelligitur *cum Patre & Filio*: quia omnes hæ tres perſonæ in eſſentia ſeu natura ſunt omnino idem, ſeu unus idémque numero Deus. Huc pertinet illa Venerabilis Bedæ ſententia: *Quamcunque in eadem Sancta & Individua Trinitate perſonam nominas, ſolus DEUS eſt; & cùm totam ſimul Trinitatem nominas, ſolum verum DEUM nominas.* Quando verò particulæ illæ *ſolus*, & *unus* adjunguntur prædica-

dicatis *notionalibus*, sive *proprietatibus personalibus*, tunc, dum dicuntur de una persona, excluduntur aliæ in sensu *notionali & personali*: sic si dicas de Patre; tu *solus ingenitus*, excluditur Filius & Spiritus Sanctus: si dicas de Filio: tu *solus genitus*: excluditur Pater & Spiritus Sanctus: si de Spiritu Sancto: Tu *solus à Patre Filióque procedens*, excluditur Pater & Filius: cùm hæ tres personæ in prædicatis notionalibus, seu proprietatibus personalibus sint distinctæ. Huc facit D. Athanasius in suo Symbolo ab Ecclesia Catholica probato, & usu roborato: *Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filij; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.*

Objiciunt 4tò. & quærunt: Cur igitur toties Apostoli *Patris* vel *DEI* nomini distinctum adjungunt *Christi JESU* titulum, si Christus in *Patre* ac *DEO* per se intelligendus est? Respondeo nullum in verbis Spiritûs Sancti esse otiosè cadens in terram. Hæc unius ejusdémque DEI repetitio non vacat singulari mysterio. *Gratia vobis & pax à DEO Patre nostro, & Domino JESU Christo*: est solenne initium Epistolarum S. Pauli, Rom. 1. 7. 2da Cor. 2. 2. Gal. 1. 3. Ephes. 1. 2. &c. Quid hæc sibi volunt? duo declarant unius ejusdémque DEI mysteria; unum *DEI*, ùt erat in se ab æterno, & *ante Incarnationem* sui, Creator, & Gubernator mundi alterum, ejusdem *DEI* mysterium ineffabile ab *Incarnatione* naturâ nostrâ vestiti: nomine *DEI* significatur illud; istud nomine *Christi*. Continetur totum in *Christo* nomen *DEI*, sed non vicissim in nomine *DEI*, totum quod significat *Christus*: *DEUS* indicat naturam Divinam; *Christus* explicat præterea *naturam humanam* à Filio DEI assumptam; qui formam servi accipiens nihil de forma DEI amisit, nec amittere potuit. Est in Christo aliquid inferius *DEO* videlicet *natura nostra*; sed est etiam totum id, quod significat *DEUS*, videlicet *natura Divina*. Noli proinde blasphemare,

mare, dicendo, absolutè minùs significari nomine Christi, quàm nomine DEI. Opus enim DEI longè omnium maximum, & amabilissimum denotat appellatio *Christi*, quod nomen *DEI*, & reliqua nomina de se non repræsentant: quod illud? Verbum caro factum habitans in nobis, moriénsque pro nobis. Unde nomini *Christi* præponitur quidem sæpiùs nomen *DEI*, qui priùs erat in se DEUS, quàm factus sit homo; sed non rarò etiam postponitur: sic Galat. 1. v. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per JESUM Christum, & DEUM Patrem.* Et Ephes. 5. v. 5. *Non habet hæreditatem in Regno Christi & DEI.* Et 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo, ùt ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI.* Et 2. Thessalon. 2. v. 15. & 16. *Ipse autem Dominus noster JESUS Christus, & DEUS, & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.* Conjunctio ergo ista *DEI* & *Christi* explicat duo altissima mysteria, cuivis, qui ad salutem, ac vitam æternam pervenire velit, creditu summè necessaria; *SS. Trinitatis*, & *Incarnationis*. Hinc ulterius disce: Quando in his & similibus textibus nominatur *DEUS*, & postea additur *Pater*, aut *Christus ejus Filius*, aut *Spiritus Sanctus*; tunc explicatur, ac declaratur etiam *pluralitas personarum* in eadem *natura Divina*; de quo non multum, ac non nisi sub nube quadam in testamento veteri legimus: in novo, Christus DEI Filius primùm revelavit; Apostoli deinde (quos secuti omnes Orthodoxi) & verbis & scriptis prædicârunt. Nec officit, quòd interdum diverso ad speciem loquendi modo mysterium istud exprimant: v. g. *Patri per Christum vel Filium in Spiritu Sancto gloria* &c. hoc enim idem est: ac Patri, & Christo, vel Filio, & Spiritui Sancto gloria &c. ùt non semel demonstratum in hactenus dictis. Imò adverte, quòd quæcunque Divinarum personarum expressè nominatur,

tur, jam & reliquæ indicantur: Sic ſi nomines *DEUM Patrem*, neceſſe eſt, ut confitearis *DEUM Filium*; impoſſibile enim eſt, ut *ſit DEUS Pater*, ſi non generaret *Filium DEUM*; & è contrà, ut ſit *DEUS Filius*, ſi non generaretur à *Patre DEO* (ſicut vel in humanis, ut ſit *homo Pater* ſi non generaret Filium hominem, & è contra) jam Pater & Filius producunt amorem mutuum infinitum, qui eſt Spiritus Sanctus Patri Filióque conſubſtantialis, ſeu ejusdem ſubſtantiæ ac naturæ Divinæ. Hinc 1. Joan. 2. 23. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Vos ferit hæc ſententia Adverſarij, qui negatis *Filium DEUM*; hoc ipſo enim nec habetis *Patrem DEUM.*

Objiciunt 5tò. binos textus Apoſtoli: 1mùm, 1. Cor. 3. v. 22. & 23. *Omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem DEI.* 2dùm, ex eadem Epiſtola, C. 11. v. 3. *Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris vir: Caput verò Chriſti DEUS.* Ergo (inferunt ex 1mo) ſicut nos ſubſumus Chriſto tanquam inferiores, & ſervi; ita Chriſtus DEO: & ſicut (inferunt ex 2do:) caput noſtrum Chriſtus eſt, tanquam membrorum ſubditorum, ita caput Chriſti Deus eſt. Reſpondeo ad utrumque: Apoſtolum in his textibus loqui de Chriſto, *quà homine*, ſive ſecundùm naturam humanam accepto: ſecundùm quam, ſine dubio, inferior eſt DEO, ſubjectus DEO, & caput illius eſt Deus: non autem ſecundùm *naturam & perſonam Divinam*, ſecundùm quam æqualis eſt DEO Patri, imò idem numero Deus cum ipſo, & Spiritu Sancto. Unde Chriſtus ſecundùm *naturam humanam* præcisè acceptus, eſt ſibi ipſi quoque ſubjectus ùt ſecundùm *naturam Divinam* accepto, non minùs, quàm Patri, & Spiritui Sancto: & ſimiliter, *quà DEUS*, eſt caput ſui ipſius *quà hominis.* Et cur neque Apoſtolus, neque alia Scriptura uſquam dicit hoc ſenſu; omnia veſtra ſunt: vos autem Spiritûs Sancti, Spiritus autem Sanctus

ctus DEI; nisi quòd Spiritus Sanctus non habet aliam naturam assumptam inferiorem naturâ Divinâ? Unde Apostoli dum loquuntur de Christo *quà DEO*, sive secundùm *naturam Divinam accepto*, loquuntur æqualiter ac de DEO Patre quoad prædicata essentialia. Sic Joan. 1. dicitur: *Et DEUS erat verbum, omnia per ipsum facta sunt* &c.

Explicant quidem SS. Ambrosius, & Chrysostomus etiam hoc sensu supra dictos textus: quòd *Christus sit DEI*, id est Filius DEI Patris Unigenitus; & *caput ejus sit Pater*, tanquam *principium & origo Filij*: sed volunt solùm indicare *prioritatem originis* inter Patrem & Filium, absque ullo detrimento *æqualitatis* personarum, & *identitatis naturæ*; nec ullam admittunt *inferioritatem* aut *subjectionem* personæ Filij ad personam Patris, cùm sint unus idémque numero Deus.

Objiciunt 6tò illud Math. 24. v. 36. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater.* Et Marci 13. v. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater:* ergo (inferunt) Filius erat inferior scientiâ ipso Patre; & consequenter nec Deus. Respondeo cum SS. PP. & omnibus Orthodoxis; Filium DEI, etiam ut jam hominem factum à primo instanti suæ conceptionis, sive unitæ sibi humanitatis per unionem Hypostaticam, sciviſſe semper clariſſimè & diem & horam judicij extremi: quomodo enim non sciviſſet, *Qui constitutus est à DEO Judex vivorum & mortuorum.* Actor. 10. v. 42. & quidem ùt homo (unitus Hypostaticè Verbo; cui scilicet teste ipsomet) *Potestatem dedit Pater judicium facere, quia Filius hominis est.* Joan. 5. v. 27. juxta quod & Caiphæ respondens ait Math. 26. v. 64. *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus Cœli.* Scivit ergo hæc Christus, sed scientiâ quodam modo privatâ, sive *pro se*; non autem scientiâ alijs *communicabili*; sive *scientiâ* quam possit alijs *revelare*; tali proinde se scire, rectiſſimè & veriſſimè

mè negavit. Sicut v. g. Confeſſarius interrogatus de iis quæ ſcit ſolùm ſcientiâ in Sacramento Pœnitentiæ, ſive ſub ſigillo ſacramentali acceptâ, rectiſſimè reſpondet & reſpondere debet, ſe *neſcire*: quia ſcientia in tali foro accepta, ad forum externum perinde ſe habet, ac ſi non exiſteret: Sic etiam Legatus Principis, de iis quæ ſecretò à Principe ſuo accepit pro privata ſua notitia & directione, nulli tamen revellanda, veriſſimè reſpondet ſe *neſcire* ſi interrogetur ab ijs, qui jus ad ea ſcienda non habent, proinde neque ad interrogandum de iis: aut, quibus Princeps noluit ea à Legato ſuo revelari. Sic ergo proportionaliter res habet in caſu adducto de die & hora judicij. Confirmatur hæc Doctrina ex eo, quod dixit Chriſtus Joan. 15. v. 15. *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ubi evidens eſt, non poſſe intelligi *ſimpliciter omnia* quæcunque audivit Filius à Patre (hæc enim ſunt infinita) ſed ea omnia, quæ audivit *ipſis revelanda*; & per ipſos Eccleſiæ. Unde meritò Agnoitæ habiti ſunt Hæretici, teſte S. Damaſceno in lib. de hæreſibus; quòd ex textu citato malè intellecto, aſſererent, Chriſtum Dominum ignorâſſe diem judicij. Et inter errores Origenis recenſetur, quòd tr. 30. in Math. dixerit, Chriſtum Dominum neſciviſſe tunc diem & horam judicij, quando hæc dicebat ad diſcipulos; ſed poſt ſuam reſurrectionem primùm acquiſiviſſe hanc notitiam. Chriſtus enim à primo conceptionis ſuæ inſtanti habuit tum viſionem beatificam, tum ſcientiam infuſam, utpote Filius naturalis DEI, de quo ait Apoſtolus Coloſ. 2. v. 3. *In quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ abſconditi.*

Objiciunt 7mò. Locum illum Epiſt. S. Pauli 1. Cor. 15. v. 24. & ſeq. *Deinde finis: cùm tradiderit Regnum DEO & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos*

ſub

ſub pedibus ejus. Noviſſima autem inimica deſtruetur mors: Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus. Cùm autem dicat; omnia ſubjecta ſunt ei; ſine dubio, præter eum, qui ſubjecit ei omnia. Cùm autem ſubjecta illi fuerint omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit DEUS omnia in omnibus.

E quibus, Adverſarij volentes abrogare Divinitatem JESU Chriſto, impiè deducunt; ipſum regnaturum uſque ad finem mundi; deinde *traditurum Regnum DEO Patri*, huíc-que *ſubjectum* futurum, conſequenter non eſſe DEUM. Sicut, inquiunt, Legatus Regis cujuspiam confecto feliciter bello redux omnia tradit Regi, séque in ordinem ſuum redigit, & ſubjectus fit Regi, ùt alij, Rex verò per ſe gubernat.

Reſpondeo, ex eorum eſſe numero Adverſarios noſtros, quos commemorat Princeps Apoſtolorum in ſua ſecunda Epiſtola, ubi loquens de Epiſtolis S. Pauli, ait cap. 3. v. 16. *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*: interpretando nimirum illas, non ex mente Eccleſiæ, & unanimi conſenſu SS. PP. & Eccleſiæ Doctorum, ſed ex privato Spiritu & Critirio, pro ſua libidine. Explicat hunc locum Apoſtoli ex profeſſo contra Arianos S. Hilarius libro 11. de Trinitate. S. Hieronymus Epiſt. ad Principium. S. Auguſtinus quæſtione 66. inter. 83. & lib. 1. de Trinitate, cap. 8. Cum quibus, & communi Doctorum, & Interpretum Orthodoxorum ſententia, ſic ea expono. *Deinde finis*: nempe, conſumationis ſæculi, & Regni diſpenſationis Chriſti, quam *ùt Caput Eccleſiæ militantis* habuit. *Cùm tradiderit Regnum*, id eſt, Eccleſiam fidelium, & Congregationem Electorum, *DEO, & Patri*, id eſt, *DEO uni* in eſſentia, & *Trino* in perſonis: per τὸ *DEO* ſignificatur *unitas* eſſentiæ; per τὸ *Patri* indicatur Trinitas perſonarum: nam Pater eſſe nequit

quit ſine Filio, & Pater aç Filius ſine Spiritu Sancto, prouti in antecedenter dictis clarè & abundè probatum eſt. Vocem *tradiderit* non ſic accipe quaſi prius DEUS & Pater non regnaverit ſuper nos in hoc ſæculo (quod vel cogitare impium foret) cùm ipſe Chriſtus Dominus clarè aſſerat Lucæ 17. v. 21. *Ecce enim Regnum DEI intra vos eſt;* ut innumera alia Scripturarum teſtimonia taceamus; & ratio ipſa dictat: ſed quòd in hoc Regno ejus, quod nunc durat, adhuc ex parte aliqua quodammodo regnant etiam peccata, mors, Diabolus; Calamitates item & miſeriæ humanæ &c. Cùm autem finis ſæculi aderit, & miſerit Chriſtus *Angelos ſuos, ut colligant de Regno ejus omnia ſcandala*, Math. 13. 41. tunc tradet, ſeu præſentabit Electos ſuos ab ſe redemptos, ab omni labe purgatos, & ab omni miſeria liberos, DEO & Patri. *Cùm evacuaverit omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem.* Per hæc verba aliqui intelligi volunt tres choros bonorum Angelorum his nominibus appellatos, *evacuandos*, hoc ſenſu; quòd non erit jam neceſſaria poſt diem judicij, adeóque ceſſatura eſt gubernatio Eccleſiæ per eosdem Angelos. Communiùs alij, & congruentiùs intelligunt angelos malos ex his tribus choris Cœlo dejectos cum Lucifero; quorum abolebit Chriſtus omnem omnino poteſtatem in futuro ſæculo in fideles, & Electos ſuos. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*: Tò *donec* non ſignificat ſimpliciter, quaſi poſtea non eſſet regnaturus Chriſtus; cùm de ipſo dictum ſit ab Angelo Luc. 1. 32. *Et regnabit in Domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*: ſed indicat, quòd Chriſtus regnet etiam in militante Eccleſia in terris (non obſtantibus tot ejusdem perſecutionibus) donec omnes inimicos pedibus ſubſternat, ita, ut nec portæ inferi adverſus Eccleſiam ejus prævalere poſſint: poſtea verò regnabit longè glorioſiùs in æternum in Eccleſia, & cum Eccleſia triumphante in Cœlis. *Noviſſi-*

vissima autem inimica destruetur mors: videlicet, *per resurrectionem mortuorum*, quando omnes, *qui in monumentis sunt, audient vocem Filij DEI, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicij.* Joan. 5. v. 28. & seq. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus: id est; omnia creata subjecit Pater Christo quà *homini*, seu naturæ humanæ in persona Divina *subsistenti*: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra.* Math. 28. v. 18. non tamen ità, quasi non fuissent subjecta etiam Patri, & toti SS. Trinitati, ejúsque altissimo Dominio, quod abdicare nullatenus potest. *Cùm autem subjecta fuerint* Christo *omnia*, jam dicto modo, *tunc & ipse Filius subjectus erit* Patri, scilicet *secundùm naturam suam humanam*, in qua *minor est Patre*, non secundùm *Divinam* in qua æqualis est *Patri* & idem numero DEUS, cum Patre, & Spiritu Sancto. Eleganter hìc D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 8. *Christus*, ait, *in quantum DEUS est cum illo* (id est cum Patre) *nos subjectos habet; in quantum Sacerdos, nobiscum illi subjectus est.*

Sed dices, Christum secundùm naturam humanam etiam ante *finem* Ecclesiæ militantis seu ante diem universalis judicij, subjectum fuisse unà nobiscum DEO Patri. Respondeo id verum esse, sed post *finem* diverso modo se subjiciet, sive *subjectum ostendet*, ùt ait D. Chrysostomus: ante *finem* enim subjectus erat Patri tanquam caput Ecclesiæ militantis, eam verbis & exemplis dirigendo; meritorum suorum virtute roborando; Sacramentis muniendo ad præliandum cum hostibus; gratiâ speciali militibus suis assistendo; eos ab hostium insidiis defendendo &c. post *finem*, tanquam caput Ecclesiæ triumphantis, eandem in æterna felicitate collocando; Ubi *DEUS unus & trinus erit omnia in omnibus*, quem facie ad faciem, sive prout est in se, *intueri*, eóque perfrui, tota *substantialis* & *essentialis* est *beatitudo*, & perpetua, ac sempiterna Beatorum (absque fastidio, imò cum

inexplicabili gaudio, ſuavitate, dulcedine) ùt ità dicam, occupatio: Hic eſt ille *perennis torrens voluptatis*, de quo ſcriptum eſt Pſ. 35. v. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Reliquæ Beatorum, quibus in corpore & anima æternùm perfruentur, deliciæ, ſpectant ad eorum accidentalem (ùt loquuntur Theologi) beatitudinem. Hinc diſce, quo ſenſu idem Apoſtolus de ſtatu militantis Eccleſiæ loquens dicat: *Omnia & in omnibus Chriſtus.* Coloſ. 3. v. 11. De ſtatu verò triumphantis: Ut ſit *DEUS omnia in omnibus.* 1. Corint. 15. v. 28.

Objiciunt 8vò Textum D. Petri Actorum. 2. v. 36. *Certiſſimè ſciat ergo omnis Domus Iſraël, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit DEUS, hunc JESUM, quem vos crucifixiſtis.* Ergo Chriſtus (inferunt Ariani) non erat per naturam *Dominus*, adeóque nec *DEUS*, ſed à DEO Patre factus, & denominatus per communicationem quandam poteſtatis & authoritatis Divinæ. Reſpondeo: tamne cæci eſtis, ut ex hoc ipſo textu non videatis Apoſtolum loqui de Chriſto JESU *quà Homine*? Nam certè Judæi eum *quà Hominem* crucifixerunt, non *quà DEUM*: *quà Homo*, ſine dubio non fuit Dominus, nec DEUS (aliàs *natura humana*, quam in tempore creatam aſſumpſit, fuiſſet *DEUS*, quòd nemo niſi amens, vel hæreticus dicet) ſed *qui Homo*, eſt & dicitur, & Dominus & Deus, à primo inſtanti, quo Filius DEI Patri coæternus, & conſubſtantialis, *aſſumpſit naturam humanam* per unionem hypoſtaticam, de Spiritu Sancto in utero Virginis conceptus, & homo factus. Quo ſenſu accipiuntur, & explicantur locutiones illæ Scripturæ, & SS. PP. de Chriſto, quòd *Unctus ſit Spiritu Sancto. Delibutus Divinitate:* Et aliæ ſimiles. Hoc etiam ſenſu, *per communicationem idiomatum* (ùt loquuntur Theologi) dicitur *DEUS paſſus, crucifixus, mortuus* &c. id eſt, *Homo DEUS.*

Objiciunt 9nò. ineptam, & impiam quamdam ſuam ratio-

tiocinationem è textibus à Christo Domino prolatis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis.* Joan. 5. v. 43. *Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo dicentes; quia ego sum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos.* Luc. 21. 8. Et ab Apostolis. 1. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam.* Colos. 2. v. 8. *Hic est Anti-Christus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est,* 1. Joan. 4. v. 3. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur JESUM Christum venisse in Carnem: Hic est seductor & Anti-Christus.* 2. Joan. v. 7. Audi, & obstupesce stolidam non minùs, quàm blasphemam conclusionem: ergo (inquiunt) qui post mortem, & resurrectionem Christi inceperunt docere, & promulgare in uno DEO esse tres personas distinctas, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & has esse unum eundémque numero DEUM, sunt *seductores*, sunt *Anti-Christi*, sunt *decepti per Philosophiam.* Sed, ô vecordes! nónne Christus ipse & ante mortem primus clarè explicuit hoc mysterium (ùt suprà ostensum est ex Evangelio, præsertim S. Joannis) & post mortem ac resurrectionem suam præcepit Apostolis, ut baptizarent omnes gentes, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti?* Et Apostoli prædicaverunt ubique? Vos igitur, vestríque Prædecessores hæretici, qui cæperunt illud negare, & destruere, estis dicendi *seducti, & seductores*, & *Anti-Christi* (in sensu Apostolorum) *decepti per Philosophiam* &c. Videamus singula. In 1mo Textu Christi verba accipienda sunt de illo Anti Christo propriè dicto ante diem judicij venturo, quem Judæi recipient tanquam Messiam, quem adhuc semper expectant; cujus tanquam præcursores fuerunt & sunt *Christomachi*, adeóque quodammodo Anti-Christi. In 2do possunt intelligi, etiam de iis, qui Judæos seducebant post Christi Ascensionem; quales erant Simon Magus, Menander, quorum uterque se Christum dicebat, teste

Irenæo lib. 1. cap. 20. & 21. & alii plures, de quibus Joſephus lib. 20. Antiquit. qui ſe *Salvatores* nuncupabant. Horum & ſimilium *tempus appropinquâſſe* ait Chriſtus, in hoc textu. Textus citatus S. Pauli, vos clariſſimè ferit, non ſolùm ſic truncatus à vobis, ſed totus. Siquidem vos myſterium SS. & individuæ Trinitatis, quod Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, quod eſt *ſupra* (non tamen *contra*) *naturam*, ac fide *ſupernaturali* credendum, negatis ducti rationibus *merè naturalibus*; & principijs Philoſophicis illud fallaciter, ſed ſtolidè, impugnatis, non capientes quomodo Unus in eſſentia DEUS, ſit Trinus in Perſonis, & tres Perſonæ ſint idem numero DEUS; adeóque nec volentes credere Filio DEI illud revelanti, & affirmanti: ergo *decepti eſtis per Philoſophiam.* Textus uterque D. Joannis directè fulminat Ebionem, & alios Hæreticos ejus temporis, *qui ſolvebant JESUM* non agnoſcentes in eo duas naturas Divinam & Humanam; quos vocat *Seductores* & *Anti-Chriſtos* in ſenſu jam ſuprà dicto. Quorum doctrinam cùm vos teneatis, eodem fulmine ferimini, iisdémque titulis digni eſtis. Textus prior quem vos truncatis, ſic habet: *Et omnis Spiritus, qui ſolvit JESUM, ex DEO non eſt, & hic eſt Anti-Chriſtus &c.* Alteri Textui ſubjungit idem Apoſtolus, v. 9. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, DEUM non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet.* Permanetísne vos in doctrina Chriſti, quam tradidit de SS. Trinitate? imò illam impugnatis: ergo *DEUM non habetis.*

Objiciunt 10mò. Ebion (uti & Cherintus) non docuit Chriſtum fuiſſe nudum *ſeu purum Hominem*, uti nos, neque id Ebionitæ tenuerunt, ſed, *Chriſtum æternum deſcendiſſe in Hominem JESUM*: ergo (calumniantur hi Chriſtomachi) non nos, ſed potiùs vos eſtis Ebionitæ, qui Chriſtum, & Hominem & DEUM docetis. Reſpondeo: Ebion (idem eſt de Cherinto) utrumque hoc docuit, & Ebionitæ tenuerunt:

runt: vos admittitis primum, nempe Christum esse *purum hominem*, secundum negatis; nos autem utrúmq; hoc negamus, ergo non nos, sed vos estis Ebionitæ, ad hoc enim sufficit, quòd primum illum errorem Ebionis teneatis, & mordicus defendatis. Audite testimonia clarissima de Ebionis doctrina. S. Ignatius Episcopus & Martyr, Epistola ad Philadelphios ait: *Qui dicit JESUM purum esse hominem, serpens est, mentis inops, cognomine Ebion.* S. Irenæus lib. 1. cap. 25. & 26. *Secundùm Ebionem*, inquit, & *Cherintum JESUM nudum hominem natum, deinde autem descendisse in eum Christum in forma columbæ, ut in eo habitaret.* Tertull. lib. de Carne Christi. *Poterit hæc opinio Ebioni convenire, qui nudum hominem constituit JESUM.* Et lib. de præscript. Hæret. *Cherintus Christum hominem tantùm sine Divinitate contendit.* S. August. Hæres. 30. *Ebionæi Christum tantummodo esse hominem docent.* Euseb. lib. 3. hist. cap. 27. narrat; Ebionitarum quosdam facere Christum Filium Joseph; quosdam solius Virginis; omnes tamen in eo convenire, ut ante MARIAM non fuerit. Bellar. lib. 1. de Christo cap. 15. ait, Hæresim Ebionis in eo sitam fuisse, quòd Filius MARIÆ nudus homo fuerit; sed anno 30. alia persona (quam dicebat Christum) in eum descenderit, in eóque inhabitaverit; atque ità fuisse JESUM unitum cum Christo per conjunctionem, & inhabitationem. Nos Catholici omnes hos errores damnamus; & fide firmâ credimus, & confitemur in Christo unam esse *personam Divinam* Verbi sive Filij DEI, *duas autem naturas*, scilicet *Divinam*; ab æterno existentem; & *humanam* in tempore assumptam è carne Matris Virginis, in cujus utero verbum caro factum est: quam doctrinam quia neque Ebion, neque Cherintus, neque Arius, neque Nestorius, neque alij vestri prædecessores, neque vos, etsi qui sunt vestri similes, admittitis, sed impugnatis, *JESUM solvitis*, Christomachi estis.

Objiciunt 11mò. Christus Dominus (teste Apostolo Acto-

Actorum 20. v. 35.) ipſe dixit: *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Item Math. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Item Math. 20. v. 23. Ad filios Zebedæi: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo,* ergo (inferunt ex 1. & 2. Textu) Pater eſt *beatior*, & *potentior*, qui *dat*, vel *tradit*, quàm Filius, qui *accipit.* Et ex 3. Textu: Pater habet *poteſtatem*, quàm Filius non habet: ergo non ſunt *æquales*, uti nos aſſerimus. R. nego has omnes conſequentias; ſi loquaris de *datione*, & *acceptione*, ſive *communicatione* Patris ad Filium *ad intra*, ùt loquuntur Theologi. Licèt enim Pater, tanquam principium ſive origo reliquarum perſonarum, *det*, ſive *communicet* Filio omnia, *generando* illum ab æterno; & Filius *accipit*, hoc eſt, *generatur* ab æterno à Patre; nulla ſequitur *inæqualitas*, ſed ſolùm ſignificatur *prioritas Originis* (abſque ulla prioritate temporis, vel naturæ) adeóque nec eſt *beatior*, nec *potentior* Pater Filio, ſed hic habet omnem omnino beatitudinem, potentiam, poteſtatem, æternitatem &c. quam habet Pater: ùt ipſe Chriſtus teſtatur. *Omnia* inquit, *quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Joan. 16. v. 15. Et rurſum, loquens ad Patrem: *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Joan. 17. v. 10. Loquendo igitur in ſenſu iſto Pater neceſſariò, & ab æterno omnia, quæ habet, ita *dat* Filio, ut nunquam potuerit non dare Filio; & Filius ità *accipit* neceſſariò ab æterno omnia, quæ habet Pater, ut nunquam potuerit *non accipere*, eáque *non habere*: quod reipſa nihil eſt dicere aliud, quàm, Pater neceſſariò ab æterno *generat* Filium ſibi conſubſtantialem; & Filius Patri conſubſtantialis neceſſariò ab æterno *generatur.* Quod ſi loquaris de *datione* & *acceptione*, *ad extra*, Chriſtum accipiendo ſecundùm *naturam humanam*, procul dubio ſecundùm hanc naturam non eſt æqualis, ſed *minor* Patre, minùs potens, minùs beatus &c. ſed tunc minimè probas, quod intendis.

Cæ-

Cæterùm Textum primum Apoſtolus ipſe intelligit de datione, & acceptione opis alicujus temporalis (v. g. auri, argenti, veſtis) ùt patet clariſſimè ex loco citato. Et ratio eſt, quia, qui opem accipit, *indiget*; abundat, qui dat; *habet*, unde det. In Textu 3. Chriſtus ait, non eſt meum *dare vobis*, qui id petitis, ſive prætenditis; ſed *illis* quibus paratum eſt à Patre meo, & à SS. Trinitate, per electionem ad talem ſeſſionem; non ergo ſignificat, *Filio* deeſſe aliquam *poteſtatem*, quam habet Pater: uti vos ad veſtram perniciem detorquetis hunc textum, ſicut & illum primum, ab Apoſtolo citatum.

Aliæ Objectiones Adverſariorum ſunt copiosè ſuis locis in hoc opere, refutatæ.

INSTITUTIO XII.

Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ teſtimonio roboratur Chriſti Divinitas, & Myſterium Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis.

MAximam eſſe inſaniam, atque impietatem, id non credere, vel in dubium vocare, quod univerſa Vera Chriſti Eccleſia ſemper credidit, tradidit, & docuit, quis non videt? credidiſſe autem ſemper Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Divinitatem Chriſti, tum ex his, quæ ante, tum ex iis, quæ poſt Concilium primum Nicænum adduci poſſunt argumentis, clarè probatur. Nunc de primis ſit

§. Primus.

Argumenta pro Parte prima.

Argumentum primum deſumitur è Symbolo Apoſtolorum; quod maximam ſemper habuit, & habet in doctrina fidei

fidei auctoritatem, ac venerationem apud Christianos. Fusè illud exposuimus primis nostris Institutionibus : nunc breviter solùm ea perstringemus, quæ ad præsentem materiam spectant, & sufficiunt. Primùm igitur dicitur in eo: *Credo in DEUM*; quo significetur *unitas* essentiæ ac naturæ Divinæ in tribus Personis, quæ deinde nominantur: uti expresè, pro claritate ponitur in Symbolo Nycæno: *Credo in unum DEUM*: mox additur: *Patrem Omnipotentem* &c. quo significatur *prima Persona* in eadem Deitate, Origo reliquarum. Sequitur :*Et in JESUM Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* quo significatur *secunda Persona* in eadem Divina natura. Expositis deinde ijs, quæ de Incarnatione hujus secundæ Personæ, sive Filij DEI Unigeniti credenda sunt: subjungitur: *Credo in Spiritum Sanctum:* quo significatur *Tertia Persona* in eadem essentia Divina. Ubi vides clarissimè explicari in una Deitate tres distinctas Personas Divinas: & simul Christum JESUM esse verè *DEUM*, utpote, *Filium DEI unicum*; & similiter Spiritum Sanctum esse *DEUM verum.* Sicut enim dicitur : Credo *in* DEUM Patrem &c. ita, credo *in* Jesum Christum &c. Credo *in* Spiritum Sanctum: per quam particulam denotantur Personæ Divinæ. Unde illud Christi, Joannis 14. v. 1. ad Apostolos dicentis: creditis in Deum, *& in me credite*: per quod (ùt docet S. August. tract. 67. in Joan.) se quoque Deum esse contestatur. De reliquis juxta hoc Symbolum credendis non dicitur, *in;* v.g. credo *in* Ecclesiam Catholicam, sed: *Credo Ecclesiam Catholicam* &c.

Adversarij nostri admittere se profitentur, & verbis etjam recitant hoc Symbolum, timentes forsitan, ne, si illud rejicerent, à populo Christiano lapidentur: interim reipsa non credunt: non enim credunt, Jesum Christum *Filium DEI unicum*, sed docent esse purum hominem, & Filium DEI solùm adoptivum per gratiam, licèt aliis excellentiorem,

rem, utpote excellentiore gratia præ reliquis adornatum. Sed, ô cæci! quacunque tandem gratia polleat, si tamen adhuc solùm *adoptivus* est, & non Filius *naturalis*, adeoque ejusdem cum Patre *substantiæ*, & consequenter *DEUS*; nec potest dici *unicus*, cum Filij DEI *adoptivi* sint plurimi, unus altero, majore, & majore gratia pollentes; nec potest dici *Dominus noster* (uti sæpe ostensum antea) quod tamen utrumque articulo citato Symboli Apostolici clarissimè repugnat: Sed nec Pater, potest dici: *DEUS Pater*, si non habet *Filium DEUM*, uti pariter non semel probatum, & per se patet: Ex quo consequitur; quòd jam nec ipsum Patrem habeatis *DEUM*, adeoque nullum, sitísque prorsus Athei.

Oggerunt hìc putidum & jam sæpius refutatum argumentum, quòd nimirum in hoc Symbolo, nec *Filio*, nec *Spiritui Sancto*, sed soli *Patri* apponatur prædicatum *Omnipotentis*, & *Creatoris Cœli & Terræ*. Verùm jam toties dictum prædicata DEI absoluta, sive essentialia (qualia sunt citata) dicta de una persona, intelligi semper de aliis quoque personis; cùm sint omnibus tribus *communia*; & omnia opera ad extra esse communia toti sanctissimæ Trinitati.

Argumentum secundum sumitur à nomine *Christiani*, deducto à nomine *Christi*: Hoc nomine appellari cæperunt Fideles Ecclesiæ novi & æterni Testamenti, primùm Antiochiæ; ùt constat ex Actibus Apostolorum, quo deinceps semper appellati sunt, & appellantur; eóque discernebantur, & discernuntur ab omnibus Infidelibus adeò, ut & ipsi Hæretici (licèt falsò, vel certè immeritò) semper illo gloriati sint, & gloriantur. Verùm gloria hæc solis competit *veris Christianis*. Unde Princeps Apostolorum Petrus, idémque primus Antiochiæ Episcopus ait: *Nemo autem vestrûm patiatur, ùt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ùt Christianus, non erubescat: glorificet autem DEUM in isto nomine.* 1. Pet. 4. à vers. 15. Fideles veteris

veteris Teſtamenti voluit vocare DEUS, *populum ſuum, populum DEI electum*, ad diſtinctionem ab omnibus aliis populis, ùt patet tum è multis aliis Scripturæ locis, tum clariſſimè ex illo Deut. 7. v. 6. *Te elegit Dominus DEUS tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram.* Idem repetitur Deut. 14. v. 2. Dicite nunc ô Chriſtomachi! Cùm Deus, per Prophetam Aggæum (c. 2. v. 8.) poſtquam dixiſſet: *Et veniet deſideratus cunctis gentibus* (id eſt Meſſias ſive Chriſtus, uti nec vos negabitis) ſubjungat: *Et implebo domum iſtam gloriâ*: Et mox v. 10. *Magna erit gloria Domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ*: id eſt, Eccleſiæ novi Teſtamenti à Chriſto fundandæ, quam Synagogæ veteris Teſtamenti. Et cùm paſſim in Scripturis omnem ſibi uni vendicet, & ab omnibus attribui velit *gloriam*, eámque extra ſe alteri nunquam daturum proteſtetur: videtúrne vobis credibile, quòd majorem hanc domus noviſſimæ, quàm primæ gloriam ceſſerit *puræ creaturæ*; qualem vos blaſphematis eſſe *Chriſtum*; ità, ut ab hujus nomine ſuam accipiat *denominationem* populus Eccleſiæ *novi & æterni Teſtamenti*, vocetúrque *Chriſtianus*? Ego verò dico vobis; nil poſſe cogitari ſtolidiùs, nihil magìs impium: idémque mecum dicent omnes, rationis, ac veræ fidei non penitus expertes. Neceſſe eſt igitur, Chriſtum *eſſe verum, eundémque cum Patre, & Spiritu Sancto DEUM.*

Confirmant hoc argumentum tot centena, & centena millia Martyrum, pro *Chriſti* nomine tormenta crudeliſſima mortémque acerbiſſimam cum gaudio perpeſſorum. *Martyrum*, inquam, hoc eſt, *Teſtium Divinitatis JESU Chriſti.* Orbi Chriſtiano conſtat univerſo, idcirco illos & olim à Tyrannis Infidelibus, & poſtea etiam ab Hæreticis (præſertim Arianis) diverſis occiſos ſuppliciis, quòd Chriſtum Jesum, *DEUM* confitebantur, & propugnabant; quem Gentiles merum eſſe hominem (uti & Ariani) & quidem infami Cru-

cis

cis ſuplicio damnatum aſſerebant. Quæ veſtra eſt extrema inſania? quæ impietas? ô Chriſtomachi! Si tam inſipientes credatis fuiſſe Apoſtolos, cæterósque Chriſti Diſcipulos, Spiritu Sancto plenos; eorúmque Succeſſores Sanctiſſimos Pontifices, Epiſcopos, Doctores, & reliquos glorioſos Chriſti Confeſſores, ut hominem *purum* pro DEO vero colerent, ſanguinem, & vitam alacres pro eo funderent; & æternam ab ipſo beatitudinem expectarent?

Argumentum Tertium ducitur à condemnatis ſemper ab Eccleſia (ducto à temporibus Apoſtolorum exordio) Hæreſibus, ac Hæreticis omnibus, qui vel *Divinam*, vel *Humanam* in Chriſto naturam non credebant, aut quavis ratione oppugnabnt; ſive, ùt loquitur Apoſtolus, & Evangeliſta Joannes *JESUM ſolvebant*. De quo Apoſtolo refert Epiphanius quòd cùm aliquando ex impulſu Spiritûs Sancti, præter ſuam alioquin conſuetudinem, ad balneum progrederetur; audiens ibidem eſſe Ebionem; móxque animadvertens, ſe ad perhibendum veritati teſtimonium eò fuiſſe vocatum à DEO, illico dixerit: feſtinemus hinc egredi, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione propter ipſius impietatem. Hoc ipſum de Cherinto narrat Irenæus, Euſebius, Theodoretus. Baronius autem ad Annum Chriſti 74. putat credibile eſſe, utrumque hunc Hæreticum unà fuiſſe in balneo: cùm præſertim magna eſſet inter ipſos neceſſitudo ob ſimilem de Chriſto doctrinam, ſive potiùs impietatem & blaſphemiam. De condemnatione porrò hujusmodi Hæreticorum à principio Eccleſiæ cepta, & continuata ſubſequis temporibus, pleni ſunt libri Sanctorum Patrum, Concilia, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Idem eſt de impugnantibus Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

Argumentum Quartum deſumitur ex abrogatis per Chriſtum Veteris Teſtamenti Feſtivitatibus, & in novas mutatis. Præceperat DEUS olim populo ſuo diverſas ſolennitates,

ficum, in Templis, & Aris Supremo Numini dicatis, ſublimis effulgeat, ac veneranda. Dicite (quæro iterum) dicite Chriſtomachi: Unde hæc tanta, tam admiranda, tam excelſa mutatio? Dicetis, ſi ſanæ mentis eſtis: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi* Chriſti DEI veri atque altiſſimi!

Argumentum Sextum pro Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, deductum ex Triſagio illo, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. & Doxologia illa; *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto* &c. Utraque hæc DEI laudatio deſumpta eſt ex Scripturis, ac in ſpecie ex illo Iſaiæ cap. 6. v. 3. Ubi Seraphini acclamabant DEO ſedenti ſuper ſolium excelſum ac elevatum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena eſt omnis Terra Gloria ejus.* Et Apocal. 4. v. 8. Ubi 4. animalia *Requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Et Rom. 11. v. 36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi gloria in ſæcula Amen.*

Triſagij ſupradicti uſum, à principio in Eccleſia ſemper viguiſſe, teſtatur antiquitas Lyturgiarum Miſſæ, in quibus (uti etiam nunc poſt Præfationem, ante Canonem) pronunciatur; eúmque ab Apoſtolis inductum fuiſſe apertè probat ex Lyturgiis S. Jacobi, & Marci, S. Clemens lib. 8. Conſtit. cap. 16. à quibus Hymnum hunc *triumphalem* eſſe appellatum ait. Neque obſtat quod Microl. cap. 11. de Eccl. Obſer. referat, à Sancto Xiſto (qui fuit octavus Pontifex à S. Petro) *decretum fuiſſe*, ut Hymnus iſte in Miſſa cantetur: plura enim ſunt ejuſmodi, quæ longè priùs in uſu, & praxi Eccleſiæ fuerunt, quàm *lege* aliqua eidem præciperentur: uti eſt certiſſimum. Porrò Triſagio iſto, luculentam Sanctiſſimæ Trinitatis profeſſionem contineri, nemo Sanctorum Patrum, & Orthodoxorum Theologorum negat. Accipe brevem, ſed elegantem S. Ambroſij lib. 3. de Spir. Sancto cap. 18. ſententiam: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus*

Deus Sabaoth: non, semel dicunt, ne singularitatem credas: non, bis dicunt; ne Spiritum excludas: non, Sanctos dicunt: ne pluralitatem (Dominorum, ac Deorum) *æstimes, sed ter repetunt, & idem dicunt; ut etiam in Hymno, distinctionem Trinitatis, & Divinitatis intelligas unitatem.* Similia habet lib. 2. de Fide ad Grat. cap. 4,

In Hymni hujus eximiam commendationem, & Anti-Trinitariorum confusionem facit prodigium illud, quod Anno Christi 446. Imperatore Theodosio Juniore, & Proclo Patriarcha Constantinopoli contigit teste Nicephoro, S. Damas., Baronio, & aliis pluribus. Cùm enim Urbs ista horribili terræ motu quassaretur, adeò, ut collapsis jam 57. turribus, & magna parte murorum, periculum immineret, ne penitùs evertatur, uti complures aliæ earum partium Civitates, Imperatórque cum Patriarcha & populo Constantinopolitano in campum apertum excessisset, ibíque prostrati omnes misericordiam Divinam implorarent; Puer quidam è media turba cernentibus omnibus, repentè in altum sublatus, ac paulò post rursùm demissus, retulit, se audivisse Angelos Trisagion illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus, concinentes DEO, útque idem omnes facerent, admonuit: quô ab omnibus magna contritione & devotione factô, motus terræ conquievit; puer verò, expositis quæ acceperat mandatis, animam DEO Creatori reddidit.

Par est antiquitas prædictæ Doxologiæ, seu versiculi illiùs, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*: siquidem & in Lyturgiis supra citatis S. Jacobi, & Marci adhibitus legitur: Et Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27., eum ex Apostolorum esse institutione tradit. Qui scripserunt, recentiùs esse institutum non de prima ejus origine, sed de illa institutione loquuntur, quâ dictus versiculus incepit addi in fine cujusvis Psalmi. Et certè, hoc nomine nunquam legitur impugnatus ab Arianis, quòd sit recenter institutus: sed primùm

primùm, ajebant Ariani, in verſiculo hoc, primo loco nominari *Patrem;* & hinc referebant hunc eſſe priorem tempore *Filio*; & conſequenter Filium non eſſe DEUM; idem à fortiori de Spiritu Sancto. Quæ illatio quàm ſit putida, & ridicula, patet ex eo, quia numeratio requirit neceſſariò ordinem: ſola igitur eſt prioritas *Ordinis* inter perſonas Divinas; vel prioritas *Originis:* uti ſæpiùs in antecedentibus oſtenſum eſt: nulla autem prioritas *naturæ*; multò minùs prioritas temporis. Hinc ad clariùs retundendos hos impios, addita eſt à Concilio Nicæno pars altera hujus verſus, videlicet: *Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen.* Quam additionem recepit univerſa Eccleſia.

Volebant deinde Ariani corrumpere dictum verſiculum dicendo: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: vel, ùt alij: *Gloria Patri in Filio, & in Spiritu Sancto*: quæ quidem locutiones licèt poſſent recipere ſenſum Catholicum ſi in ſano & recto ſenſu accipiantur: quia tamen Ariani, in his fraudes ſuas occultabant; & Filio, ac Spiritui Sancto Divinitatem abrogare intendebant, ideò ab Eccleſia receptæ non ſunt; ſed verſiculus ſemper pronunciatus, uti nunc pronunciatur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:* in qua locutione clarè & manifeſtè apparet & diſtinctio Perſonarum, & Unitas eſſentiæ. Fraus porrò Arianorum circa ſupradictam eorum locutionem, patuit etiam miraculo, poſt Annum Chriſti 492. quod refert Ado in Chronico. Cùm enim quidam Epiſcopus Arianus nomine Barbas, Baptiſmum conferre vellet per formulam illam *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, aqua repentè diſparuit, non ſine confuſione Epiſcopi.

§. II.

§. II.

Patres Orthodoxi, & qui ante Concilium Nicænum floruerunt; & qui Concilio illi interfuerunt; & qui post illud vixerunt; doctrinam nostram de Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis tenuerunt, & propugnârunt.

AUsi sunt quidam recentiores Ariani in suam doctrinam, seu potiùs errorem, & impietatem, aliquos PP. veterum textus detorquere, sed vel depravatos, vel falsò citatos, aut mendaciter confictos. Etsi enim quidam istorum phrasibus nonnihil aliis, quàm nos, de his Mysteriis locuti sint; reipsa tamen idem omnino, quod nos, semper intellexerunt, & docuerunt. Eorum Textus, claráque testimonia fusè adducit Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 10. Gregor. de Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 20. & cap. 23. è quibus evanescunt omnes adversariorum, licèt per se futiles, objectiones: nobis his immorari non vacat. Quid? quod ipse Franciscus David Arianus, in Disput. Albana, Adversatio Calviniano, sententias S. Justini, & S. Ignatij MM. aliorúmque PP. veterum, doctrinæ ejus objicienti, clarè respondérit his verbis: *Ego non nego, veteres Interpretes stabilire Triperſonatum DEUM.* Et S. Athan. in Epist. de Decret. Nicænæ Synodi testatur, Arianos nullum ex Veteribus pro suo errore afferre potuisse: contra quos citat etiam Origenem; quem illi pro se trahebant; uti & recentiores adducere conantur. Verùm Ruffinus expressè tradit, & alij credunt, errores qui contra Mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis in ejus Libris reperiuntur, fuisse ab Arianis postea malitiose insertos: ipsum verò de his Mysteriis rectè & Catholicè sensisse, ac docuisse: licèt deinde in alios errores, in

rebus aliis prolapsus sit; & hac causâ ab Orthodoxia defecerit. Malè item, & incaſsùm Ariani Dionyſium Alexandrinum in partes ſuas detorquere nituntur. Nam is, cùm falsò accuſatus fuiſſet apud Dionyſium Romanum, quòd Filium DEI *Creaturam* dixiſſet, mox apologiam pro ſe ſcripſit, & ad dictum Pontificem miſit, in qua expreſsè hæc verba ponit: *Oſtendo falſum eſſe crimen, quod mihi objiciunt quòd Chriſtum DEO conſubſtantialem eſſe negâſſem &c.* ùt refert S. Athanaſius allegatus; & plura alia de eodem adducit teſtimonia ut & D. Baſil. lib. de Spiritu S. c. 29.

Quid plura: ipſimet Ariani, facto ipſo confeſſi ſunt, PP. Veteres penitùs contra doctrinam Arii ejúsque Sequacium ſtare & pugnare. Cùm enim Theodoſius ſenior (ùt narrant Socrates, Sozomenus, & paſſim alij Scriptores) in ſuam præſentiam Conſtantinopolim Epiſcopos eorum omnes, etiam exules, cum Catholicis convenire juſſiſſet; iíque cupidè comparuiſſent, ſecúmque peritiſſimos quósque Sophiſtas adduxiſſent, ſperantes cauſam ſuam ſi non obtinere ſaltem ità implicare, ut non liqueat. Tum Imperator (de conſilio Nectarij Patriarchæ Conſtantinop.) Arianos percontatus, quid vobis, inquit, videtur de Patribus ac Doctoribus, qui de myſteriis illis, de quibus vos inter & Catholicos eſt controverſum, ſcripsêre priùs, quàm Arius in mundo apparuiſſet? Reponunt Ariani, eos fuiſſe Viros admirabiles, & Chriſtianorum Magiſtros; quibus tam propter eorum dignitatem, quàm propter doctrinam, veneratio ſumma debeatur. Subjecit illicò M. Theodoſ. unum igitur è duobus eligendum eſt vobis: ut vel confiteamini, quæ illi docuerunt, & ſcripſerunt; vel retractetis, quæ in eorum laudem modò dixiſtis, eósque anathematizetis: nullus hìc locus tergiverſationi, nullus diſceptationi, alterutrum vobis faciendum neceſſariò. Hac ſententia velut fulmine icti Arij Sectatores ità ſunt perculſi, ut quo ſe verterent,

terent, neſcirent; ac inter ſeipſos graviter diſſidere incipe-
rent: Semi-Ariani adhærendum doctrinæ PP. Veterum cum
aliqua explicatione, aſſerebant: negabant Ariani rigidi,
certò ſcientes ſe PP. illorum clariſſimis teſtimoniis convin-
cendos, & condemnandos: atque adeò ad novam diſputa-
tionem de propoſitis controverſiis ſe revocabant. At Im-
perator non ultro cunctandum ratus, juſſit, utriúsque Se-
ctæ Coriphæos, ut ſuæ fidei profeſſionem quilibet ſeorſim
breviter conſcribat; & Patriarcha Nectarius pariter ſuam
confeſſionem: quæ cùm in conventu illo publicè lectæ fuiſ-
ſent; & ſola Patriarchæ confeſſio eſſet conformis doctrinæ
PP. Veterum, & Nicæni Concilij; Arianorum verò pror-
ſus diformes, has Imperator manu prehenſas invocato ſo-
lenniter DEI nomine, ſpectantibus omnibus dilaceravit;
ſolámque illam, quam Patriarcha Nectarius conſcripſit to-
to ſuo Imperio retinendam ſanxit, & promulgavit legibúſ-
que latis Arianiſmum proſcripſit, átque ex Oriente ejecit:
qui poſtea ſorte infelici, in Occidentem per Gotos, Van-
dalos, aliósque Romani Imperii hoſtes rurſum invectus,
multas dedit ſtrages, diúque ſæviit, dum tandem, DEO
propitio, inde quoque eliminatus hodie in exiguo Tran-
ſylvaniæ angulo ſedem aliquam tenet, quam tamen, gratiâ
DEI operante, ſenſim plures deſerunt; brevíque, ùt ſpe-
tamus, agnitâ Orthodoxæ fidei veritate, omnes vacuam
relinquent.

Nunc ad Concilium Nicænum. Ante hoc annis pluri-
bus (quod reticeri nefas foret) S. Gregorio Neo-Cæſarienſi
Epiſcopo, à multitudine & magnitudine miraculorum,
quæ patrabat, dicto Thaumaturgo, nocte quadam de my-
ſteriis fidei, quæ tunc agitari cæperant, meditanti, appa-
ruit ingenti ſplendore Sanctiſſima Virgo Deipara, unà cum
S. Joanne Evangeliſta; & præter aliam doctrinam cœleſtem,
hanc quoque tradidit: *Verbum DEI eſſe verum Filium veri*
Patris,

Patris, DEUM ex DEO, inviſibilem ex inviſibili, æternum ex æterno. Item hanc: *Trinitas perfecta, majeſtate, æternitate, & regno, minimè dividitur.* Item: *neque ſerviens quid, neque factum, neque addititium in Trinitate reperitur.* Porrò doctrinam ſibi divinitùs traditam, Sanctiſſimus ille Epiſcopus, quàm primùm viſio diſparuit, accuratè deſcripſit; & ipſe, dum vixit, prædicavit; & poſteris prædicandam reliquit: eámque tam Orientalis, quàm Occidentalis Eccleſia approbavit, & tanquam Sacroſanctum depoſitum Cælitùs collatum religioſiſſimè cuſtodivit. Vide D. Gregor. Nyſſenum in vita S. Gregorii Thaumaturgi. Baron: ad annum Domini 233. Paulò item priùs, quàm Arius errores ſuos ſpargere cæpiſſet, revelavit DEUS S. Antonio Magno (ùt ſcribit D. Athanaſ. in ejus vita) quàm terribilia mala is in Eccleſiam per ſuam hæreſim ſit invecturus. Unde S. iſte adeò deinde Arianos deteſtatus eſt, ut nullum pateretur ad montem ſuum aſcendere; omnibúsque author erat, ut eos tanquam peſtem nocentiſſimam fugiant.

Arius porrò natione Afer, ſtudiô literarum & Philoſophiâ Gentilium excultus, homo ambitioſus honorísque & gloriæ cupidiſſimus; poſteaquam Alexandriam, ſub initia ſæculi IV. veniſſet, ſchiſmati primùm Meletiano (quod tunc Alexandrinam Eccleſiam turbabat) adhæſit: Sed ubi hoc parùm ambitioni ſuæ velificare adverteret; ad Petrum Patriarcham ejus Eccleſiæ, pœnitens ſaltem ad ſpeciem, revertit; à quo ſinu paterno exceptus, Diaconus ordinatus eſt, & mox iterum relapſus, & Eccleſiæ rebellis, ad Schiſmaticos Meletianos tranſiens, ab eodem Petro excommunicatus: pro quo, rurſus pœnitentiam ſimulante, cùm Achillas & Alexander Presbyteri ejusdem Eccleſiæ deprecarentur Patriarcham, tunc carcere ob confeſſionem Chriſtianæ fidei incluſum & jamjam Martyrio afficiendum, ut eum

eum in communionem reciperet; recipere nullatenus voluit; iisdémque Presbyteris, simul succeſſores ſuos fore in Patriarchatu, Divino Spiritu prædixit; simul præcepit, ne unquam Arium in communionem reciperent; eò quòd ipſum DEO eſſe mortuum certò sciret: apparuiſſe enim sibi Dominum JESUM noctu, veſte diſciſsâ & ab ſe ſciſcitatum rei hujus cauſam, reſpondiſſe: *Arius veſtem meam, quæ eſt Eccleſia, dilacerabit*, cujus prædictionis veritatem mox ſanguine Martyr obſignavit. Ab ejus morte glorioſa, Achillas (ùt prædictum fuerat) Patriarcha factus, homo apprimè lenis ac mitis, Arii fictâ pœnitentiâ, & importunitate deceptus, DEO, altiſſimo ſuo judicio, ità permittente, Arium in communionem recepit, Presbyterum ordinavit, eidémque principem in urbe Parochiam adminiſtrandam, & Scholam Theologicam docendam tradidit. Mortuo Achillâ, Arius, quia Sedem Patriarchalem (quam ſpe decoraverat) obtinere non potuit, Alexandro juxtà vaticinium S. Petri Martyris Patriarchâ creatô, in rabiem actus, virus ſuum, quod eouſque preſſerat, contra DEUM Trinum & Chriſtum DEI Filium vomere cæpit; eóque non paucos Alexandrinos, & alios, atque adeò etiam quosdam Epiſcopos inficere; & Patriarcham Alexandrum ſibi reſiſtentem, variis calumniis ac falſis criminationibus velle opprimere: cúmque monitus, nulla ratione reſipiſcere vellet; convocat Patriarcha Alexandriam è Provinciis Ægypti, & Lybiæ centum Epiſcoporum Concilium; in quo doctrina ejus damnata & anathematizata; ipſe verò pervicax & in ſua contumacia obſtinatus, ritu ſolemni beneficio Eccleſiæ privatus & excommunicatus eſt. Quô factô Alexandriâ ſe ſubducens, atque ad Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum, aliósque Patronos confugiens, eas turbas in Eccleſia Orientali excitavit, ad quas componendas Concilio univerſali opus eſſe judicatum eſt; quod proinde in urbem Nycænam (quæ tunc

Sedes

Sedes erat Conſtantini Magni) de conſenſu & voluntate Romani Pontificis convocatum, ibidémque, præſidentibus Legatis Sedis Apoſtolicæ, ac præſente ipſo Conſtantino, celebratum eſt.

Convenêre autem ad hoc Concilium ex toto Orbe Chriſtiano Patres trecenti octodecim (quorum ſingulorum nomina conſcripta, ad ſua tempora conſervata tradit Epiphanius Hæreſ. 69.) non ſine altiore DEI conſilio, & myſtica ſignificatione hujus numeri; qui, ùt notat S. Hilar. & Ambroſ. jam olim præfiguratus fuit in trecentis decem & octo vernaculis, quos, ad bellum expeditos, numeravit Abraham, & percuſſit 4. Reges inſignémque conſecutus victoriam, decimas Melchiſedeco *Sacerdoti DEI altiſſimi* obtulit: ut habetur Gen. cap. 14. At, qui Viri convenere? Plurimi ex his vitæ Sanctimoniâ, & miraculorum ſplendore celeberrimi: non pauci ſtigmatibus & cicatricibus glorioſis, pro confeſſione fidei toleratis, ſignati: numeroſi, martyrij deinde coronâ illuſtres: à quibus omnibus Arius cum ſua doctrina damnatus eſt: & propoſita formula Confeſſionis fidei, ſeu Symbolum Nicænum, ab omnibus omnino tenendum; in quo expreſsè poſitum eſt, Chriſtum DEI Filium credendum & confitendum eſſe ὁμοούσιον ſive *conſubſtantialem Patri:* quem gladium (quo deinceps ſemper jugulata eſt Hæreſis Ariana) mira DEI providentia, ignorans & minimè porrexit Catholicis ipſe juratus eorum hoſtis, & Arianorum protector Euſebius Nicomedienſis, qui in ſua Epiſtola hæc verba poſuerat: *Si DEI Filium increatum dicimus*; ὁμοούσιον, *ſive conſubſtantialem cum Patre incipimus confiteri:* quam proinde voculam Arianis maximè formidabilem, Patres retinendam ſemper cenſuerunt. Porrò hanc fidei confeſſionem Nicænam, omnes, etiam fautores Arianorum, Epiſcopi ſubſcripsêre; quamvis pleríque horum fictè ſolùm

&

& fraudulenter, metuentes ne Sedibus ſuis privarentur. Unde Euſebius alter, Cæſareenſis Epiſcopus, ſcripſit deinde Epiſtolam ad ſuos (quam recitat Socrates) in qua ſe excuſans, quòd aliam, quàm docuerat, fidei formulam ſuſcepiſſe videretur; ait: *Sic ſe novum veſtimentum ſuperinduiſſe, ut tamen vetus nequaquam abjecerit.*

Et reipſa, prædicti duo Euſebij, ſuis fraudibus, & importunâ Conſtantiæ Sororis Imperatoris intercessione id effecerunt, ut, annum circiter decimum à Concilio Nicæno, Conſtantinus Arium (quem impoſtores iſti mentiebantur fidem Nicænam tenere átque adeò injuriâ exilium pati) Conſtantinopolim evocârit; & num fidem Nicænam, cujus Imperator erat tenaciſſimus, verè & ex animo teneret, ac profiteretur, in conventu multorum publicè interrogavit: Arius, ùt erat inſtructus, ſe eam amplecti ac tenere reſpondit; id quod juramento firmavit, formulámque dictæ fidei, proprio chirographo ſignatum Conſtantino obtulit (addit Socrates; Arium dum juraret, formulam aliam impiam, ſub axillam ſuam conjeciſſe) tum Imperator: *ſi recta eſt*, inquit, *fides tua, benè jurâſti: ſi autem impia eſt, & tamen jurâſti, DEUS te pro tuo juramento condemnet.* Quibus dictis, jubet eundem communioni Catholicæ per Alexandrum Patriarcham Conſtantinopolitanum reſtitui; quo refragante, Euſebiani conclamant, ac minis etiam intentatis ſe die poſterâ, quæ erat Dominica, etiam invitô Patriarchâ Arium in Eccleſiam inducturos, vociferantur. S. Patriarcha (quod unum reſtabat) unà cum S. Jacobo Epiſcopo Niſibeno, & populo reliquo Catholico, in preces effuſi, ardenter deprecabantur DEUM, ut ipſemet Eccleſiæ ſuæ in extremo hoc periculo ſuccurrere dignaretur. Nec defuit juſtus Judex & vindex recentis tum perjurij, tum aliorum ſcelerum Arij, DEUS: cùm enim is magnâ pompâ, & plauſu Arianorum, deſignatâ die ſummo manè ab Euſebianis ad

Eccle-

Ecclesiam Patriarchalem, quam etiam violentè ingredi parabant, deduceretur per medium forum; an conscientiæ remorsu, & horrore perjurij, an alia de causa, incertum est; laxatâ alvô, ad latrinas communes foro vicinas divertere coactus, dum ventrem exonerare intendit, *crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus*: (ùt ait de Juda Iscariote D. Petrus Actorum 1.) simili videlicet morte consumptus hic secundus Christi proditor, quâ fuerat consumptus proditor primus Judas. Fama deterrimæ hujus mortis mox, ùt fit, totam implevit urbem; non valentibus occultare, & frustra conantibus aliter interpretari Arianis, his incredibilem confusionem, Catholicis gloriam peperit; & Constantinum ad tuendam viribus omnibus Nicænæ confessionis veritatem, mirificè animavit. Scriptores tam Græci quàm Latini, qui Historiam ejus temporis scripsêre, hoc factum referunt: & ex iis Sozomenus, & alij tradunt, locum hunc mortis Arij, detestabilem semper fuisse habitum: dum post non paucos annos Arianus quidam opibus potens, ad obliterandam quoad fieri possit, mortis infamis memoriam, eundem à Magistratu urbis illius emit, & superædificatis ædibus obstruxit, ne scilicet posteris quoque aut peregrinis, si faciem priorem retineret, in oculos incurrens ostendi posset, & turpissimæ mortis Arij memoria revocari.

Et vos, ô Anti-Trinitarij! ô Christomachi mavultis adhuc tenere, profiteri, tueri doctrinam Authoris tam impij, perfidi, perjuri, toties à tot Patribus, & ab ipso DEO tam perspicuè damnati, quàm doctrinam Patrum omnium ac Doctorum, tam ante Concilium Nicænum florentium, quàm in illo congregatorum, quàm post illud ad hodiernam usque diem successivè viventium; qui omnes uno ore, sensu unanimi, verbis & scriptis, Arij doctrinam, & vestram condemnant? nescio profectò, an ridenda potiùs vestra est stul-

ſtultitia, an deploranda veſtra cœcitas! His addite immanem illam barbariem, incredibilem crudelitatem, quâ veſtri Ariani in Oriente Imperatores, in Occidente Reges; utrobique Duces, Præfecti Magiſtratus, cives; ipſi veſtri, ſi Superis placet Epiſcopi, in innocentes Paſtores, & gregem Catholicum ſævierunt. Legite Hiſtorias, conferte tormenta & cruciatus, quos Ethnici Tyranni, in Chriſti Divinitatis Confeſſores excogitavêre, cum carnificina, quam veſtri in eoſdem exercuêre; &, fallor niſi, crudeliores fuiſſe veſtros, quàm Gentiles deprehenſuri eſtis: atque ex eo concludite, an vera veſtra poſſit eſſe Religio, quæ tam immenſo abeſt intervallo à Chriſtiana manſuetudine. Quid dicam de miraculorum & multitudine, & magnitudine, quæ tempore hujus Arianæ perſecutionis, DEUS, & Chriſtus ejus Filius, per ſuos & pro ſuis Confeſſoribus patrare dignatus eſt? legite, numerate ſi poteſtis, expendite, ſed animo ſincero, & veritatis ſtudioſo; & haud erit poſſibile, ut ad tantam fidei Catholicæ (quæ his evidenter confirmabatur) lucem adhuc cœcutiatis.

§ III.

Ethnicorum teſtimonio Chriſti Divinitas probatur.

NEc pigebit, nec pudebit nos, Ethnicorum teſtimonio uti contra vos, ô Chriſtomachi! quo & Apoſtoli, & SS. PP. uſi ſunt contra ipſos Gentiles. Certè D. Paulus Act. 17. cùm Athenas, Chriſtum annunciaturus, veniſſet, & ad Areopagum deductus eſſet: *Viri*, inquit, *Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video: præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra, inveni & aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio*

vobis

vobis v. 23. Et infra, v. 28. *Sicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cùm ſimus DEI &c.* Annunciavit deinde iis Chriſtum Orbis terrarum Judicem venturum, & reſurrectionem mortuorum: ùt ibidem habetur. S. Clemens Alexan. tradit & Petrum & Paulum uſos fuiſſe ejuſmodi teſtimoniis Ethnicorum in prædicatione Evangelij ad Gentiles lib. 6. Stromatum ſic ſcribens: *Quomodo DEUS Judæos ſalvos eſſe voluit, dans eis Prophetas, ita etiam Græcorum ſpectatiſſimos, propriæ ſuæ linguæ Prophetas excitatos, à vulgo ſecrevit. Præter Petri prædicationem, declaravit id Apoſtolus Paulus, dicens: Libros quóque Græcos ſumite: agnoſcite Sibyllam, quomodo unum DEUM ſignificet, & ea, quæ ſunt futura. Hydaſpen ſumite, & legite; & invenietis DEI Filium multò clariùs & apertiùs eſſe ſcriptum; & quemadmodum adversùs Chriſtum multi Reges inſtruerent aciem, qui eum habent odio, & eos, qui nomen ejus geſtant, & ejus fideles, & adventum, & tollerantiam.* Ità Clemens. Neque obſtat, hæc verba Apoſtoli Pauli, non legi in ejus Epiſtolis, vel Actibus Apoſtolorum; neque enim omnia geſta, aut dicta ab Apoſtolis ſcripta ſunt in literis Divinis; ſatis eſt, ea conſignata fuiſſe ab Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui ea vel ipſi viderunt, aut audiverunt; vel ab aliis viſa aut audita, per traditionem acceperunt, & poſterorum memoriæ literis commendârunt. Sic idem Apoſtolus Act. 20. v. 35. teſtatur Chriſtum Dominum dixiſſe: *Beatius eſt magis dare, quàm accipere*: quæ tamen verba nullibi ſcripta reperiuntur in Evangeliis.

Porrò è Gentilium teſtimoniis clariſſima ſunt teſtimonia Sibyllarum, quarum Oracula tanto erant in pretio apud Ethnicos, quanto apud Judæos Prophetarum vaticinia. Ex illarum Oraculis, Cicero, Virgilius, & alij Ethnici deduxêre & ſcripsêre; *Novum quempiam naſciturum mundi Dominum, cujus procreandi honorem, fata Judæa deſtinarent.* Ha-

rum

rum Oraculis PP. Primitivæ Ecclesiæ passim Gentiles oppugnabant, & convincebant de veritate Religionis Christianæ, quamobrem non pauci Gentiles, Christianos *Sibyllitas* appellabant; ùt scribit Origenes, citatus ab Hoffmano in suo lexico Historico. Quòd verò in Sibyllarum libros irrepserint cum tempore aliqui errores, nihil obest sinceritati, ac genuinæ veritati versuum, quos SS. PP. contra Gentiles citabant; aliàs hi arguissent Sanctos Patres falsitatis, & impostura; si versus ab illis citati, non fuissent reperti in libris Sibyllarum; quod tamen nunquam fecerunt: imò lectionem librorum Sibyllinorum, intentatô mortis periculô suis interdixerunt: teste Justino Apol. lib. 2. è quibus patet vanitas argumenti, sive potiùs commenti Christomachorum dicentium, PP. veteres hac in re *piâ fraude usos*, ad Gentiles convertendos. Vos fortè ejusmodi piâ fraude, id est fallaciis, & mendaciis utimini ad seducendos Christi fideles: de Sanctis autem illis Patribus id sentire vel dicere, nefarium & impium, ac Hæreticorum proprium est. Certè ex eo, quòd Tertullianus, & Origenes, tandem in errores quosdam contra fidem prolapsi sint, nihil obstat, quò minùs eorum Authoritas in iis, in quibus rectè & orthodoxè senserunt, magna sit apud omnes, & frequenter pro testimonio adducatur. Sed jam videamus versus Sibyllarum, quibus Christi Divinitas ostenditur.

Primum sit illud celebre carmen Sibyllæ Erythrææ (quod adducit Constantinus Magnus in sua oratione; aítque, à Cicerone latinè redditum) cujus versuum literæ initiales in Græco efficiunt hunc sensum: *JESUS Christus DEI Filius Salvator, Crux*, quibus deinde versibus subjungitur hoc Distichon:

Unus & æternus DEUS, hic Servator & idem
Christus pro nobis passus, quem carmina signant.

Alterum de Christo Judice venturo sic habet:

E Cœlo Rex adveniet per secla futurus

Scili-

Scilicet in carnem, præsens ut judicet orbem:
Unde DEUM cernent incredulus, átque fidelis,
Occultos actus retegens tunc quisque loquetur,
Secreta átque DEUS referabit pectora luci.

Aliud de Christo nascituro.

Cùm domus effundit stirpem Davidica, cui
In manibus totus mundus, tellus, mare, Cœlum.

Et ad Mariam Virginem.

Accipe Virgo DEUM gremiô intemerata pudicô.

Aliud de cœcitate Judæorum Christum occidentium.

Non nôsti miseranda tuum, quem proluit olim
In Jordane DEUM - - -

Et rursum.

Insipiens gens tuum DEUM non intellexisti.

Lactantius & S. August. referunt hos versus:

Ipsa tuum stulta DEUM non agnovisti,
Sed Spineâ coronâsti coronâ,
Horridúmque fel miscuisti.

Item hos:

In manus iniquas infidelium veniet,
Et dabunt DEO alapas manibus incestis.

Tandem de Cruce Christi:

O lignum felix in quo DEUS ipse pependit.

At vos, ô Christomachi, hæc & similia Gentilium testimonia facilè deridetis: quid mirum? qui eadem facilitate, & SS. PP. & Scripturæ ipsius testimonia, erroribus vestris contraria deridetis. Sed quâ insaniâ? an fortè Deus Gentilibus hæc manifestare non poterat? imò teste Apostolo: *Quod notum est DEI, manifestum est in illis. DEUS enim illis manifestavit --- ità ut sint inexcusabiles.* ad Rom. 1. v. 19. & seq. idque tum ad salutem ipsorum, si acceptâ notitiâ uti congruè voluissent (DEUS enim *vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. v. 4.) tum ad confusionem Hæreticorum, pejus de Deo, quàm Ethnici sentientium, & loquentium. Quare si & vos frontem non perfricuissetis, & faciem penitùs non exuissetis; erubescere, & pudore suffundi meritò deberetis, quòd Gentiles ipsi rectiùs, ac honorificentiùs quàm vos, & senserint, & scripserint de Christo JESU, cui sit cum Patre & Spiritu Sancto omnis honor, virtus & gloria in sæcula sæculorum,

Amen.

INDEX RERUM.

Pag. 1.

PRoœmium 10.
Fundamentum totius Disputationis 12.
Argumentum Scripturarum Princeps 30.
Divinitatem Christi docet ejus Incarnatio 52.
Christus fuit ille Deus, quem Patriarchæ & Prophetæ Deum, & Dominum Israëlis prædicabant 76.
Nomina Christi docent, illum esse Deum altissimum

DE NOMINE JESU.

De Nomine Dei, quo passim vocatur in scripturis 82.
De Nomine Filii Dei 88.
De Nomine Emmanuelis 100.
De Nomine Messiæ sive Christi 104.
De Nominibus Domini & Magistri 114.
De Nomine Altissimi 123.
De Sex Christi Nominibus. Is. 9. 125.
Officia Christi monstrant eum esse Deum. De Officio Redemptoris & Salvatoris 129.
De Officio Mediatoris & Advocati 143.
De Munere Sacerdotis, & Pontificis 149.
De Officio Legislatoris & Novi Testamenti Conditoris. 151.
De Munere Capitis Ecclesiæ 158.
De Officio Sponsi 161.
De Officio Prophetæ 164.
De Officio Judicis 165.
Ex Attributis & Operibus Christi probatur ejus vera Divinitas. 168.
De Attributis Domini 184.
De Operibus Christi 199.
Tota Vita Christi, & Oeconomia sive Dominicæ Incarnationis dispensatio Divinitatem ipsius, veram testatur 201.
De Christi nobiscum in terris versati vita privata 221.
De Christi Prædicatione 252.
De Passione, Mortéque Domini 265.
De Resurrectione & Gloria Christi

De Myste-

De Myſterio SS. Trinitatis à Chriſto per totam Incarnationis ſuæ ſeriem explicato 272.
Duas inprimis in Deo perſonas conſubſtantiales Chriſtus explicavit 273.
Chriſtus expoſuit mundo tertiam Perſonam Spiritum Sanctum 277.
De Miſſione Filii & Spiritûs Sancti 292.
Tres nodi Gordii Anti-Trinitariorum ſolvuntur 300.
De vera Spiritûs S. Divinitate 316.
Spiritus S. eſt Perſona, & quidem à Patre & Filio diſtincta 317.
Vera Spiritûs Sancti Divinitas teſtimoniis ſcripturæ probatur 322.
De Teſtimoniis Eccleſiæ Veteris & SS. Patrum 336.
De Particularibus ſcripturæ teſtimoniis, quibus Myſterium Diviniſſimæ Trinitatis, ac Chriſti Divinitatis probatur 341.
De Textibus nobilioribus. Textus 1. *Jo.* 1. 1. *& ſeq.* 342.
Textus 2. *Epiſt. ad Coloſſ. cap.* 1. *&* 2. 362.
Textus 3. *Epiſt. ad Hebr. caput vel maximum* 1. 367.
Text. 4. *Epiſt. Joan. primæ c.* 4. *&* 5. *Item ex ejusd. Epiſt.* 2. 372.
Text. 5. *Matth. Ult.* Baptizantes eos &c. 379.
Text. 6. *Finis Epiſt.* 2. *ad Cor. plurimique ſimiles* 385.
Text. 7. *Matth.* 16. *Quisnam ſit dicendus Chriſtus?* 390.
Text. 8. *Matt.* 22. *ſub. finem. Mar.* 12. 35. *Luc.* 20. 41. 393.
Text. 9. *Pſalmus* 109. 397.
Text. 10. *Pſalmi* 2*di v.* 7. 401.
Text. 11. *Joan.* 10. 30. Ego & Pater unum ſumus. 403.
Text. 12. *Jon.* 14. 1. Creditis in Deum, & in me credite. 409.
Text. 13. *Rom.* 9. 5. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem: qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula 412.
Text. 14. Ut ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. 1. *Joan.* 5. 20. 416.
Text. reliqui ex novo Teſtamento 417.
Reſpondetur Objectionibus adverſariorum 426.
Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ teſtimonio roboratur Chriſti Divinitas, & Myſterium SS. & Individuæ Trinitatis 443.
Patres Orthodoxi, qui ante Concilium Nicænum floruerunt, & qui Concilio illi interfuerunt, & qui poſt illud vixerunt Doctrinam noſtram de SS. Trinitatis, & Incarnationis Myſteriis tenuerunt 453.
Ethnicorum teſtimonio Chriſti Divinitas probatur 461.

D. O. M. A.

Quod Bonum, Felix, Fauſtum,
Fortunatúmque ſit
Huic Almæ, ac Regio-Principali, Societatis JESU
ACADEMIÆ CLAUDIOPOLITANÆ,
Senatui Philoſophico,
Totíque Reipublicæ Chriſtianæ.
SUB
AD MODUM REVERENDO,
AC DOCTISSIMO PATRE
STEPHANO SZABO,
è S. J. AA. LL. & Philoſophiæ Doct.
Nec non
Inclytæ Facultatis Philoſophicæ
DECANO SPECTABILI.

Illuſtriſſimi, Spectabiles, Perilluſtres, Reverendi, Præno-biles, Nobiles, tam Virtute, quàm Eruditione conſpicui, AA. LL. & Philoſophiæ Candidati.

IN AULA ACADEMICA
Anno M. DCC. XXXIV. Menſe Majo. Die 27. Horâ 8vâ matut.
Primâ AA. LL. & Philoſophiæ Laureâ condecorati ſunt.

PROMOTORE
R. P. ANDREA GALL
è Soc. JESU AA. LL. & Philoſ. Doctore,
Ejuſdémque Profeſſore Ordinario.

NOMINA PROMOTORUM.

Illuſtriſſimus, Spectabilis, ac Magnificus Dom. FRANCISCUS è Comitibus KALNOKY, de Kőrős-Patak, Siculus, ex ſede Sepſi.

1. Ordine Alphab.
- Alexius Cſerei, de Nagy-Ajta, Spectabilis, Siculus, ex ſede Cſik, è Convictu Nobilium.
- Franciſcus Hemerl, Nobilis, Tranſylvanus, Albæ-Carolinenſis, ex Comitatu Albenſi.
- Illuſtriſſimus, Spectabilis, ac Magnificus Dominus Franciſcus è Comitibus Kálnoky, de Kőrős-Patak, Siculus, ex ſede Sepſi.
- R. D. Martinus Gergelyffi, Nob. Sic. Ditroienſis, ex ſede Gyergyó, è Sem. Cler. Alum. Illyeſianus.
- Thomas Monos, Nobilis, Siculus, Korondienſis, ex ſede Udvarhely.

2. Ordine Alphab.
- Andreas Láſzló, Prænobilis, Siculus, Ikafalvenſis, ex ſede Kézdi, è Convictu Nobilium.
- Gabriel Szoroſſi, Nobilis, Ungarus, Somlyovienſis, ex Comitatu Kraſznenſi, e Convictu Nobilium.
- Matthæus Berethalmi, Nobilis, Tranſylvanus, Berethalmienſis, ex ſede Medgyeſienſi.
- Sigismundus Trſtyánſzki, De eadem, Nob. Ung. ex Comitatu Trenchinienſi, è Convictu Nob.
- Simon Cſobott, Nobilis, Sic. Al-Torjenſis, ex ſede Kézdi, è Seminario S. Joſephi.

Emeri-

Ord. Alphab. 3.

Emericus Vizy, Nobilis, Ung. Jászberinienſis, ex Diſtrictu Jazygum, è Sem. S. Joſephi.

R. D. Gregorius Sándor, Prænob. Sic. Vacsárcſienſis, ex Sede Cſik, è Seminario Clericorum, Alumnus Aporianus.

Joannes Szabó, Nobilis, Siculus, Zetalakienſis, ex ſede Udvarhely, è Sem. S. Joſephi.

Joſephus Cſapai, Perill. Siculus, Kállenſis, ex ſede Maros, è Convictu Nobilium.

R. D. Stephanus Borſos, Nob. Ung. Hát-Szegienſis, ex Com. Hunyadienſi, è Sem. Cler. Alum. Ap.

Stephanus Csûrôs, Nobilis, Siculus, Uj-Falvenſis, ex ſede Káſzon.

Ord. Alphab. 4.

Andreas Cſiki, Nobilis, Sic. Zetalakienſis, ex ſede Udvarhely, è Seminario S. Joſephi.

Antonius Farkas, Prænob. Ung. Claudiop. ex Comitatu Koloſienſi, è Convictu Nobilium.

Franciſcus Csáki, Nobilis, Sic. Al-Torjenſis, ex ſede Kézdi, è Seminario S. Joſephi.

Stephanus Halmágyi, Nob. Sic. Solymoſienſis, ex ſede Udvarhely. è Convictu Nobilium.

Ord. Alphab. 5.

Felix Alkman, Nob. Siculus, Remetenſis, ex ſede Maros, è ſem. S. Joſephi.

Ladislaus Nemes, Nob. Ung. Cſicsó-Mihályfalvenſis, ex Comitatu interioris Szolnok.

Stephanus Dávid, Nobilis, ſiculus, Szent-Lélekienſis, ex ſede Kézdi. è ſem. S. Joſephi.

Mar-

Qr. Al. 6. Martinus Szakmári, Nobilis, ſiculus, Rákoſienſis, ex ſede Cſik.
Stephanus Boros, Nob. ſic. Szép-Vizienſis, ex ſede Cſik. è ſem. s. Joſephi.

Qr. Al. 7. Petrus Mártonffi, Nobilis, Siculus, Szent-Mártonienſis, ex ſede Cſik.
Stephanus Sipos, Nobilis, Siculus, Szent-Imreienſis, ex ſede Cſik.

PROBLEMATA IN ACTU DECISA.

Sacra, an profana Reſpublica plus Utilitatis accipiat à Philoſophia?

STATICUM.

δός μοι πᾶ στῶ, καὶ κινῶ τὴν γήν. Archimedes. id eſt: *Da mihi, ubi conſiſtam, & movebo Tervam*, Idque quovis pondere, aut potentiâ, vel ſinè.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU